



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

Liber CXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)



Lusitanorum defectio ab Hispanis.

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.  
LIBER CXCIX.

URBAN. VIII. PONTIF. MAXIMUS.  
FERDIN. II. & III. OCCID. IMP.



§. I.

*Pax Pragensis inter Ferdinandum II.  
Imperatorem & Joannem Geor-  
gium Saxonice Electorem.*

Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

[Infaustus Nordlingensis prælii succes-  
sus tantopere Germaniæ Protestan-  
tes, Suecosque animo dejecerat, ut  
Hiß. Eccles. Tom. LX, A in lib. 5.

Jæger. Hist.  
Ecc. 15. c. 1.  
Brachel. Hist.  
in lib. 5.



Sæc. XVII. in Wormatiensi Conventu varia volu-  
 A. C. 1635 tarent consilia, quibus lapsas fœdera-  
 torum res restituere possent; præcipue  
 tamen eorum cura eo abibat, ut Joan-  
 nem Georgium Saxoniae Electorem,  
 quem Cæsari nimis propensum suspica-  
 bantur, a separata pacis negotiatione  
 averterent. Hanc in rem non modo  
 literas, sed ipsum etiam Oxenstirnum  
 ad eundem decernebant: Verum Ele-  
 ctor belli pertæsus, ac sui neglectu of-  
 fensus, armorum societatem, cuius ipse  
 primus Author erat, prior quoque dis-  
 solvere, pacemque cum Cæsare inire  
 statuit, acriter impellente Mathia Hoo-  
 Lutherano Præcone, Viro fidem ac  
 sectæ suæ causam cuicumque plus offe-  
 renti venalem exponere parato, qui et-  
 iam quatuor Philippicorum, & decem  
 regalium millia in procuratæ pacis mer-  
 cedem accepisse fertur. Præterea Ele-  
 ctorem sollicitabat Philippus IV. Hispa-  
 niæ Rex, Dresdam misso Paradiso Co-  
 mite; pariter Ferdinandus III. Hunga-  
 riæ Rex datis literis Saxoni significa-  
 bat, quod plena agendi facultate in-  
 structus, Patris sui nomine honestas  
 pacis condiciones offerre paratus esset,  
 jamque Leitomeritium Legatos suos  
 Trautmansdorffium Comitem, Que-  
 stenbergium, & Ghebardum Doctorem  
 destinasset, proin Elector suos quoque  
 Ora-



Oratores eo decerneret. Annuit Saxo, *Sæc. XVII.*  
 atque urgente Georgio Hassiæ Land- *A. C. 1635.*  
 gravio, qui se nunquam Austriacas par-  
 tes deserturum, moribundo Patri suo  
 pollicebatur, ibidem die decima Mar-  
 tii anni prioris inducias sanxit: Post-  
 quam vero Joannes Bannerus Suecici  
 exercitus Dux Bohemiam infestare mo-  
 liebatur, Legati Leitomeritio Pirnam  
 concessere, ubi serio de ipsa pace actum  
 est. Vertebaratur totius difficultatis cardo  
 circa Cæsareum restitutionis edictum,  
 ejusque executionem: jam enim occu-  
 pata Ecclesiasticorum bona retinendi  
 spes, in Protestantibus Religionis, belli,  
 pacisque moderatrix evaserat: Igitur  
 explorata Saxonum cupiditate, Cæsa-  
 ris Legati, cum pacem Sacrorum spo-  
 liis de fæderatis esse mercandam cogno-  
 vissent, Electori pollicebantur, Cæsa-  
 ris edictum in Saxonia nequaquam ef-  
 fectui dandum fore, in ceteris quoque  
 Protestantium Principum ditionibus il-  
 lius executionem esse differendam: Mi-  
 nus arridebat hæc pollicitatio illis, qui  
 bonorum Ecclesiasticorum usurpationem  
 rescisso penitus restitutionis edicto sibi  
 perpetuo jure assertam volebant: Mul-  
 tis in hanc rem ultro citroque agitatis  
 conventum est, ut utriusque partis Ora-  
 tores Pragam contenderent, ultimam  
 manum pacis negotio adhibituri: Ob-  
 stiterat

A 2



**Sæc. XVII.** stiterat vehementer Rothæus Franciæ  
**A. C. 1635.** Legatus, qui Protestantibus validas  
 pecuniarum, militumque suppetias Regis sui nomine pollicebatur; ipse etiam Bannerus datus ad Saxoniam Electorem literis haud dissimulanter pacis consilia vellicabat, sibi significari postulans, quid tandem subsidii Suecia a Saxone sperare posset? Insuper Christina Suecæ Regina eundem Electorem, quod ea incerta ac inconsulta Pragæ pacem iniisset, objurgabat, datis die secunda Decembris Holmiæ literis. Nihilominus superatis hisce quoque obstaculis paucos intra dies pax die vigesima nona Maji composita, atque Viennæ a Cæsare confirmata est, cui etiam Saxoniam & Brandenburgi Electores, Guilielmus Vinariensis, Georgius Luneburgicus & Anhaltinus, omnesque Principes, & Saxoniam inferioris Ordines, qui hac pace res suas habuerunt integras, subscripsere, adeo, ut Suecis duntaxat Guilielmus Hassiæ & Bernardus Vinariæ Duces juncti remanerent: Norimbergenses quoque & Memmingani, Erfurtenses, Ulmenses, & Francofordiani dimisso Suecorum præsidio in Cæsaris gratiam rediere, bonaque Ecclesiastica post annum 1627. ablata Catholicis restituerunt, Hungariæ Regis potentiam veriti, qui cum valido exercitu



citu ex Hungaria in Imperium, san- Sæc. XVII.  
citæ pacis articulos executurus, pene- A. C. 1635.  
traverat.

## §. II.

*Theologorum Viennensium consultatio  
circa hujus pacis æquitatem jussu  
Cæsaris habita.*

Priusquam vero Ferdinandus II. Im- *Khevenh.*  
perator hujus pacis negotio postre- *Annal. Ferd.*  
mam adhiberet manum, ut suæ con- *tom. 12.*  
scientiæ securitati consulere, nec te- *Caramuel*  
mere in Ecclesiæ præjudicium, propo- *Pac. lic. de-*  
sitos pacis articulos, *ipsa pace Religionis*  
duriore, approbasse argueretur, hoc  
dubium, *an tuta conscientia Pragensis pa-*  
*ci articuli admitti valeant?* mature di-  
scuti jussit, Ergo viginti octo Theolo-  
gos, Viros lectissimos, quibus pietate  
& doctrina clariores, magisque exer-  
citos univèrsa Austria non habuit,  
Viennam convocabat, hos inter magis  
conspicui erant duo FF. Prædicatores,  
Valdespina, & Farrarius; ex Capuc-  
cinis P. Didacus de Quiroga, Mariæ  
Imperatricis Confessarius, Valerianus  
Magnus, & Basilius de Aerea: Voca-  
bantur etiam in consilium, præter alios  
quinque Jesuitas, P. Lammormannus  
Ferdinandi II. Cæsaris Confessarius,  
necnon Universitatis Viennensis Rector



Sæc. XVII. Magnificus, atque ex Carmelitis Di-  
A. C. 1635. scalceatis P. Alexander a Jesu Maria,  
 Ex-Provincialis, & P. Stephanus, Theo-  
 logiæ Professor, ambo pietate, scien-  
 tia, librisque asceticis & Scholasticis,  
 quos ediderunt, nominatissimi. His  
 duo Franciscani Conventuales ex mo-  
 nasterio Sanctæ Crucis, unus Augusti-  
 nianus, necnon Ecclesiæ S. Michaelis  
 Præpositus, alique accesserunt. Con-  
 gregatis igitur his omnibus diu propo-  
 sitæ utrinque rationes ponderabantur,  
 atque ex Consultoribus nonnulli hanc  
 pacis negotiationem improbabant, eo-  
 quod Saxonix Electori, eique foedere  
 junctis Protestantibus ad quadraginta  
 annos Ecclesiasticorum redituum usus,  
 necnon tres Magdeburgenses Dynastie,  
 ejusque Filio Magdeburgensis Archiepi-  
 scopatus permitteretur: Præ ceteris  
 P. Quiroga demonstrare nitebatur, quod  
 Cæsar non modo *possit*, sed & Religio-  
 ne *obstrictus* esset, hanc pacem ratam  
 habere, cunctaque concedere, sine  
 quibus Saxones pacem admittere recu-  
 sarent: aliis tamen reponentibus, quod  
 minus necessarium esset, inquirere, an  
 Cæsar pacem hanc admittere *teneatur*,  
 sed utrum salva Religione in articulos  
 cunctos a Saxone propositos consentire  
*valeat?* id Cæsarem posse spectata ne-  
 cessitate extrema, affirmabant Consulto-  
 rum



rum potissimi, quibus etiam accessit **Sæc. XVII.**  
 P. Pennalosa Jesuita, reliqui vero quin- **A. C. 1635.**  
 que Socii, nec inter se, nec cum ce-  
 teris Theologis conveniebant, variis  
 insistentes principiis; probe enim per-  
 spectum habebant, (ut ait Caramuel)  
 quod, cum ipsi fuerint Regum, Princi-  
 pumque Confessarii, aut pœnitentibus suis  
 absolutionem negare (quod tamen facere  
 haud solent) aut sententiam, quam dissua-  
 derent, probabilem judicare tenerentur.  
 Cum autem sexdecim omnino ex Theo-  
 logis censerent, quod Cæsar hanc pa-  
 cem cum Saxonibus inire valeat, hinc  
 illorum consultatio exacte conscripta  
 ad Cæsareum Senatam deferebatur,  
 ubi etiam Cardinalis Pasmannus Stri-  
 gonienfis Archiepiscopus, Cæsarem hos  
 articulos firmare, *obstrictum* esse, pro-  
 nuntiabat, suamque sententiam edito  
 tractatu, qui in Cancellaria Cæsarea  
 asservatur, comprobare, oppositasque  
 rationes refellere nitebatur, simulque  
 Patri Quirogæ manifestabat, quod jam  
 antea mentem suam circa immunitatem  
 Ecclesiasticam Urbano VIII. Pontifici  
 aperuerit, eidemque haud dissimulan-  
 ter declararit, duo esse privilegiorum ge-  
 nera in Ecclesia, nimirum, aliqua esse con-  
 cessa a Christo, alia a Regibus, illa huma-  
 nitus auferi non posse, hæc vero posse, si  
 necessitas publica postulet, nec civilis aliter  
 possit



Sæc. XVII. *possit obtineri tranquillitas.* Rebus igitur  
A. C. 1635 in Senatu diu matureque agitata præ-  
 valuit sententia illorum, qui Cæsarem  
 ad hanc pacem obstrictum censuere.

## §. III.

*Præcipui hujus Pacis articuli.*

*Priorat.*  
*Guald. Hist.*  
*Ferd. II.*  
*Bougeant.*  
*Hist. Bell.*  
*tricen. part.*  
*I. l. 3. §. 65.*  
*Pufendorf*  
*rev. Suec.*  
*lib. 4.*

Ad firmandam hanc pacem Saxonie  
 Elector, ceterique Principes Aca-  
 tholici præcipue movebantur, eoquod  
 Protestantium rebus per Nordlinganam  
 cladem collapsis, Cæsaris vero ausis,  
 exiguam Ecclesiasticorum bona retinen-  
 di vel augendi spem haberent reliquam;  
 Sueci autem Proceres privatis duntaxat  
 commodis suis intenti, communem  
 Protestantium causam negligere vide-  
 rentur, ac pro suo arbitrato per Ger-  
 maniam dominantes, ad Imperii exci-  
 dium Gallos, Batavos, aliosque ex-  
 teros Principes bello involvere satage-  
 rent. Genuina tamen prosperæ hujus pa-  
 cis causa in Electore Saxonico haud  
 alia erat, quam sacri spoliis conservatio  
 sibi promissa, qua pro se potitus, haud  
 ultra Augustanis, aliisque Protestanti-  
 bus, quos paulo ante contra resitatio-  
 nis, reformationisque edictum calamo  
 & gladio tam ardentem tuebatur, pa-  
 trocinium suum impendit: Erant au-  
 tem inter pacis conditiones præcipue  
 Reli-



Religionem spectantes potillimum hæ. Sæc. XVII.  
 I. Bona Ecclesiastica immediata ante A.C. 1635.  
 Passaviensem pacem erepta, necnon  
 mediata ante & post hanc pacem a  
 Protestantibus occupata, quotquot eorum  
 anno 1627. die duodecima Novembris  
 ab eis erant possessa, Protestantes  
 ad annos quadraginta quiete retineant,  
 & a præfato temporis spatio eis per  
 Catholicos erepta restituantur, nisi de  
 iis antea lis apud Cæsaris tribunal mota  
 fuerit. II. Vicissim Catholici eo tem-  
 pore possessa retineant, & postmodum  
 ablata eis reddantur. III. Status Po-  
 liticus in iisdem bonis, item Electio-  
 nes, Postulationes, Menses Papales;  
 exercitium Religionis inter Catholicos  
 & Protestantes etiam in Archiepiscopatu  
 Bremensi, uti præfato tempore utrinque  
 servabatur, relinquuntur. IV. Durante  
 hoc spatio quadraginta annorum, intra  
 primum decennium agatur de perpetua  
 pace, quæ si obtineri nequit, tota con-  
 troversia maneat, uti præfato tempore  
 fuit, salva semper Cæsaris auctoritate  
 controversiam illam moderandi. V.  
 Electoris Filius Archiepiscopatum Mag-  
 deburgensem possideat, Brandenburgico  
 autem Marchioni, dum vivit, quotan-  
 nis inde duodecim Imperialium millia  
 persolvat. VI. Saxoniz Elector utram-  
 que Lusatiam a Cæsare, & Querfur-  
 tum,



Sæc. XVII. tum, Gutterbockium, Damam & Bor-  
A. C. 1635 ckium a Magdeburgensi Archiepiscopo  
 jure feudi, Halberstadiensem vero Epi-  
 scopatum Leopoldus Guilielmus Cæsa-  
 ris Filius obtineat. VII. Libera Im-  
 perii Nobilitas, & civitates Imperiales  
 juxta transactionem Passaviensem vel  
 specialia pacta, Religionis exercitio  
 fruantur. VIII. Donawertha refusus  
 nondum belli sumptibus, necnon Ele-  
 ctoratus & Palatini ditioes quamdiu  
 linea Wilhelmiana floruerit, Maximi-  
 liano Bavariæ Duci relinquuntur. IX.  
 Omnia loca ab infesto Sueciæ Regis  
 adventu Cæsari, ejusque sœderatis ab-  
 lata, si adhuc in Protestantium pote-  
 state existunt, restituantur. X. Adre-  
 cuperanda cetera bona Saxo Cæsarem  
 omni ope juvet, omnia tamen bello  
 Danico occupata Cæsar reddat, data  
 Electori Brandenburgico, si in hanc pa-  
 cem consenserit, investitura in Pome-  
 ranicæ Ducatum. XI. Philipsburgum  
 in potestate Cæsaris pro commodo Im-  
 perii permaneat. XII. Omnes in hanc  
 pacem conspirantes consilia & arma  
 amoveantur. XIII. Captivis utrinque  
 libere dimissis, generalis offensarum  
 oblivio sit, excepta tamen causa Pa-  
 latina & Bohemica, necnon quibus-  
 dam



dam rebellibus, quos Cæsar excipien- Sæc. XVII.  
 dos judicaverit. A. C. 1635.

## §. IV.

*Belli Gallici initium contra Cæsarem.*

Promulgata hac pace Protestantium Annal. Ferd.  
 plerique ad Cæsaris Saxonisque par- Khevr. t. 12.  
 tes revertebantur, initaque armorum Theates Eu-  
 societate Rhenum pene omnem, ma- rop. l. 3.  
 guamque Imperii partem recuperarunt: Maier. acta  
 unde nil minus arduum fuisset, quam pac. Westph.  
 Suecos aliunde nupera clade fractos Recueil des  
 Germaniæ finibus pellere, Imperio pa- traites de  
 cem reddere, oppressisque Catholicis Franc. p. 381.  
 Religionis suæ libertatem, quietamque  
 bonorum possessionem asserere: Verum  
 hanc felicitatem Germaniæ invidebat  
 Richelius Cardinalis, qui pro vasto ac  
 inquieto ingenio suo Ludovicum XIII.  
 Regem optimum, quem pro suo arbi-  
 trario regebat, proposita universalis Mo-  
 narchiæ spe, eo inclinabat, ut Suecis  
 duodecim peditum & sex Equitum  
 millia præter quatuor librarum millio-  
 nes contra Cæsarem, ejusque foedera-  
 tos promitteret, ea tamen lege, ut  
 cum Austriacis (nisi ex communi Gal-  
 lorum, Suecorumque consensu) nec  
 pax nec induciæ fierent, sed ad urgen-  
 dum bellum uterque ex foederatis mu-  
 tuum præstaret auxilium: Enimvero  
 Cæ-



Sæc. XVII Cæsar Urbanum Papam interpellabat,  
A. C. 1635. ut ab hoc fœdere rei Catholicæ admo-  
 dum funesto Franciæ Regem averteret:  
 nec suis partibus defuit Pontifex: ve-  
 rum Austriacæ magnitudinis æmulatio,  
 perturbatisque Germaniæ rebus Galli-  
 cum Regnum novis Imperii accessioni-  
 bus protendendi opportunitas spesque  
 Richelium tantopere inflammabat, ut  
 eo instigante Galliarum Rex Cæsari, &  
 Hispaniarum Regi bellum palam de-  
 nuntiaret, simulque diversis exerciti-  
 bus Hispaniam, Germaniam, Italiam,  
 Belgium, & Rhætiam peteret: Nec ei-  
 dem deerant speciosi hostilitatis obten-  
 tus, & præcipue denegata capti Tre-  
 virensis Electoris libertas, Trevis &  
 Philippsburgum, ejecto Gallico præsi-  
 dio a Cæsareis Hispanisque recupera-  
 tum, & Spira a Bavaris in deditionem  
 accepta, quam tamen paulopost Galli  
 Suecorum copiis suffulti recuperarunt:  
 Ne vero Sueci expirantibus induciis  
 per Polonorum invasionem in Borussia,  
 a Germanico bello præpedirentur, Fran-  
 ciæ Rex Claudium Memmium de  
 Avaux, Virum mira in rebus gerendis  
 dexteritate præditum ablegabat, ut  
 cum ceteris Principum Oratoribus  
 Stumsdorffii congregatis Uladislauum  
 Poloniæ Regem ad perpetuam pacem,  
 vel saltem diuturnas inducias permo-  
 veret:



veret: Horum etiam suasionibus in vi-  
 ginti sex annorum inducias utrinque  
 conventum, non alio Religionis e-  
 molumento, nisi quod Parochiale Tem-  
 plum Elbingæ Catholicis relictum esset:  
 Sueci autem urbes omnes in Borussia  
 occupatas haud cunctanter Polonis re-  
 stituerent, unice eo fine, ut Polono-  
 rum metu soluti unacum Gallis Cæsa-  
 rem in Germania validius opprimere  
 possent. Nec alia ex causa Ludovi-  
 cus XIII. Franciæ Rex cum Oxenfir-  
 mio nomine Sueciæ Reginæ, mutato  
 nonnihil priori fædere in hos articulos  
 convenit.

I. Regina & regnum Sueciæ, & Rex  
 regnumque Franciæ impliciti bello cum do-  
 mo Hispanica, & domo austriaca obligant  
 ac promittunt; se non suscepturos aut admis-  
 suros ullum tractatum pacis cum Principi-  
 bus dictæ domus austriacæ uno aut pluri-  
 bus, multo minus super hoc negotio con-  
 clusuros, nisi conjunctim & communi con-  
 sensu, nec inituros ullam armorum suspen-  
 sionem, aut inducias, nisi conjunctim &  
 communi consensu.

II. Cancellarius Sueciæ promittit & se  
 obligat nomine Reginæ ac regni Sueciæ ad  
 conservandum liberum exercitium Religio-  
 nis Catholicæ in Ecclesiis a sua potestate ac  
 imperio dependentibus occupatis in Imperio  
 ab anno millesimo sexcentesimo decimo octavo  
 post



Sæc. XVII. post exortos hosce Germaniæ motus. Et ut  
A. C. 1635. Ecclesiasticæ Personæ libere fruantur bonis  
 suis sine impedimento ac molestia; cum hac  
 reservatione, ut cuicumque parti suum jus  
 saluum maneat.

III. Convenit quoque inter prædictos Le-  
 gatos, ne quis locus munitus aut castrens  
 in Imperio, quod tenetur manu Regiæ  
 Sueciæ ac Regis Franciæ, reddatur hosti,  
 nisi communi consensu utriusque Regiæ,  
 Regisque Sueciæ & Franciæ.

IV. Serenissima Regina Sueciæ, & Chri-  
 stianissimus Rex Galliæ convenerunt, & se  
 obligarunt ad auxilium militare confædera-  
 tis Germaniæ servandum, prout se quisque  
 obstrinxerit.

In majorem rei fidem hæc sincere serva-  
 tum iri, munivimus hac manus nostræ sub-  
 scriptione, & sigilli appositione, factum  
 Compendii die 28. Aprilis Anni 1635.

Axelius Oxenfirminus  
 Boutillerus.

Præterea ipsemet Rex die nona Junii  
 ex Monceo castro literas oppido pro-  
 lixas ad Montbazonium Ducem dedit,  
 in quibus belli Hispaniæ Regi denun-  
 tiati æquitatem vindicare satagebat.



## §. V.

Sæc. XVII.  
A. C. 1635.*Urbs Augustana a Cæsareo - Bavaris  
arcte cincta.*

Jam septimo Mense Bavari Augusta-  
nam Urbem, intercluso comœatu,  
arcte cinctam tenebant, quin tamen ad-  
huc oblata Cæsaris clementia, Nord-  
lingana Suecorum clades, grassansque  
in Urbe contagio, atque extrema in-  
opiæ necessitas Lutheranorum perti-  
naciam frangere potuisset: Adeo spu-  
ritus Religionis libertatisque amor secta-  
riorum animos in sua pervicacia obdu-  
rare solet. Hortabatur equidem Sena-  
tum Magnus Teutonici Ordinis Magi-  
ster Comes de Stadian, qui absdubio  
Ferdinandi Hungariæ Regis, quocum  
Laingæ agebat, impulsu, missis inde  
litteris pro recuperanda Cæsaris gratia  
Augustanis suam spondebat operam,  
eosdem admonens, ut fractis jam Sue-  
corum viribus, honestas deditiois le-  
ges potius, quam irati Victoris vim  
præstolarentur; verum Augustani nun-  
tium, qui Teutonici Magistri epistolam  
attulerat, ne quidem referatis hisce li-  
teris remisere, respondentes quod, pacisci  
non possent, utpote nimis arcte Sueco-  
rum fæderi juncti. Comperta horum  
obstinatione Maximilianus Bavarix  
Ele-

*Langen-  
mant. Hist.  
Regim. Aug.  
l. 4. c. 3.  
Stengel.  
Rer. Aug.  
p. 2. c. 73.  
Khevenh. l. c.*



Sæc. XVII. Elector Wallium Comitem supremum  
 A.C. 1635. Boici castri Præfectum iussit, ut adhuc  
 angustius urbi assidere, & contumaces  
 tandem fame subigere niteretur: Inde  
 vero urbs ad tantam victus inopiam  
 redigebatur, ut Senatus missis ad Re-  
 gem legatis cum eo transigere peteret:  
 hi tamen a Rege fuere repulsi, eoquod  
 tam indignas obtulissent condiciones,  
 ut eas Rex nequidem legere dignare-  
 tur. Arctius igitur occlusa urbe, jam-  
 jam equorum, asinorum, canum, fel-  
 liumque carnes publice in macello ve-  
 num ibant, imo & nonnulli a mortuorum  
 hominum carne haud abstinerunt.  
 Tentabant quidem Ulmenses Luthere-  
 rani suis sociis inferre cibaria: ast ab  
 obsidentibus territi, annonam omnem  
 agricolis, Bavarisque relinquere coacti  
 sunt. Necdum tamen Joannes de  
 Winckel Suecus Urbis Gubernator tot  
 civium militumque calamitates ultro-  
 nea deditioe redimere cogitabat, sed  
 querulos objurgans, famem in urbe  
 grassari negabat, eoquod ejus rheda  
 adhuc salva esset, ex cujus corio fames  
 depelli posset. Hujus inhumana per-  
 vicacia animatus impudentissimus qui-  
 dam Præco, in Ecclesia ad S. Annam  
 frequentissimo populo die decima sexta  
 Augusti e suggestu declamans, suadere  
 non



non erubuit, satius esse, fæno & palea Sæc. XVII.  
A. C. 1625.  
 pasci, quam se Cæsari submittere, mi-  
 litesque potius sinistram arroderent, &  
 dextera pugnarent, quam utramque  
 manum ad implorandam Cæsaris cle-  
 mentiam attollerent. Postquam vero  
 inediæ violentia, ac diurnitas urbem  
 pene ad incitas redegerat, tandem die  
 decima octava Januarii anni currentis  
 Lutherani decrevere, quod cum Ca-  
 tholicis civibus primo concordiz pacta  
 mutuo consensu stabilire vellent, ut  
 demum Imperatori nil ultra reliquum  
 maneret, nisi ut hæc pacta ipse sua  
 quoque auctoritate firmaret; cum au-  
 tem hi denuo tam duras Catholicis pro-  
 ponerent condiciones, ut iniqua vexa-  
 tio non sublata, sed duntaxat in aliam  
 oppressionis speciem mutata videretur,  
 hinc Lutherani propriæ calamitatis sub-  
 levandæ necessitate compulsi, die  
 sexta Februarii hoc anno Legatos Lo-  
 wenburgum Wirtembergici Ducatus  
 urbem ad Comitem Galassum, supre-  
 mum Cæsarei exercitus Vicarium de-  
 cernebant, eo fine, ut eidem circa ci-  
 ves Augustanos, Religionis exercitium,  
 impositosque urbi milites, mutuz trans-  
 actionis articulos proponerent.



Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

## §. VI.

*Compositionis articuli ab Augustanae  
Urbis Delegatis Gallasso Co-  
miti propositi.*

*Ex Arch.  
Abbat.  
S. Crucis.*

Cum vero Senatus Lutheranus dedi-  
tionis articulos haud absimiles ab  
illis, quos antea Catholicis obtrudere  
gestiebat, pariter Cæsareo Belliduci  
præscribere præsumeret, hinc illos  
rursus immutare eidem consultum  
videbatur: Erant autem sequentes tra-  
ctationis conditiones, ad quas Gallas-  
sus post longam deliberationem quidem  
respondit, responsi tamen confirmatio-  
nem, ab ipso Cæsare præstolandam  
esse edixerat.

I. „Vi pacis Religiosæ, ac specialis  
„pacti de anno 1584. factæque desuper  
„Cæsareæ ratihabitionis tam Catholica  
„quam Lutherana Religio usque ad nu-  
„per factam immutationem continuato  
„modo in hac Urbe simul deinceps ac  
„perpetuo relinquatur; æque ac Mini-  
„sterium Evangelicum, prout nunc est,  
„immutatum, penitus independens,  
„ac intactum servetur ac conservetur.

Ad hoc fuit responsum: *Religio in  
eo statu, quo tempore Suevicæ invasionis  
exstitit, remaneat.*

II. „Dam-



II. „Damna, devastationes &c. Sæc. XVII.  
 „tam Ecclesiasticis quam Laicis intra A. C. 1635.  
 „vel extra Urbem turbidis hisce tem-  
 „poribus quovis modo illatæ oblivioni  
 „tradantur, ac propter eas nec ab Urbe  
 „nec a Senatu &c. quicquam repetatur.,

Responsum; *Propter ejusmodi damna  
 Suevicæ invasionis tempore illata cuilibet via  
 juris sit aperta, Bavaricæ autem Electori  
 ob diuturnam, & pertinacem Urbis obsi-  
 dionem illico post firmata deditiois pacta  
 refundenda sint octoginta florenorum millia.*

III. „Urbs, Magistratus, & cives  
 „utriusque Religionis ob deprædationes  
 „&c. non molestantur, sed salva sint  
 „eorum privilegia & immunitates.,

R. *Cuilibet sua, prout in primo arti-  
 culo statutum quoad Religionem salva sint,  
 quantum vero ad privilegia, eorumque con-  
 firmationem, facta criminis deprecatione,  
 expectanda sit decisio a Cæsare.*

IV. „Vi pacis Religiosæ quatuor illis  
 „Catholicis Sacerdotibus, qui tempore  
 „hujus pacis in urbe erant, omnes Ec-  
 „clesiæ eorum (exceptis illis ad S. Cru-  
 „cem & S. Georgium) usque dum am-  
 „bæ a duobus Dominis Abbatibus de-  
 „structæ, erunt iterum ædificatæ, sicut  
 „& omnes eorum domus, in urbe bo-  
 „naque extra urbem sita, quotquot eo-  
 „rum in Magistratus manus venerunt,  
 „in eo statu, in quo nunc sunt, resti-  
 „tuan-



Sæc. XVII. „tuantur & cedantur, vicissim vero  
A. C. 1635. „Evangelicis eorum Ecclesiæ, Scholæ,  
 „fundationes, & pia loca, prout ea  
 „ante nuperam innovationem possede-  
 „runt, cum quietâ possessione in-  
 „dulgeantur.,

R. *Cuncta, quæ ad Religionum exer-  
 citium unacum Ecclesiis, Scholis, Noso-  
 comiis, & bonis ad ea spectantibus decreta  
 sunt, relinquuntur, & in eo statu, quo  
 tempore Suevicæ invasionis erant, restituantur.*

V. „Quoniam vero Magistratus Lu-  
 „theranus in eo potissimum gravatus  
 „fuerit, quod Catholici suffragantium  
 „numero prævaluerint, indeque gra-  
 „ves illæ diffidentia & dissidia ortum  
 „traxerint, ideo Magistratus, Curia,  
 „officia, Collegium Advocatorum, &  
 „Cancellaria ex Catholicis & Prote-  
 „stantibus æquali numero constet, &  
 „nuper electi Evangelici Patricii a tota  
 „Patriciorum Societate acceptentur &  
 „confirmentur.

R. *Cuncta in eo statu, quo tempore  
 Suevicæ occupationis erant, relinquuntur,  
 a Cæsare autem præterea constituatur Ur-  
 bis Governator, sine cuius scitu, consensu  
 & confirmatione nec in criminalibus, &  
 Politicis, nec in Oeconomicis quicquam de-  
 cernatur: circa Patricios occurrente neces-  
 sitate ad Cæsarem recurrendum erit.*

VI. „Epi-



VI. „Episcopus, ejus Successores, Sæc. XVII,  
 „& vicini Ordines jurisdictionem exer- A. C. 1635.  
 „cere, vel ob illata damna compensa-  
 „tionem quærere, a Cæsare prohibean-  
 „tur: Ad hoc est responsum, uti antea  
 „ad articulum secundum.

VII. „Urbis Gubernator, tribuni &  
 „præsidiarii cum omnibus sarcinis libere  
 „urbe excedere permittantur, & qui-  
 „dem cum honoribus militaribus,„

R. *Id concedendum esse.*

VIII. „Omnes cujuscunque conditio-  
 „nis, qui Suecis, eorumque fœderatis  
 „consilio, officio vel quovis pacto ad-  
 „hæserunt, libere excedere permittan-  
 „tur, nec sub ullo obtentu molestentur.„

R. *Omnes, qui ad præsidium non per-  
 „tinent, intra sex hebdomadas post præsidii  
 „discessum Belliduci sese fistant, & si emi-  
 „grare desiderant, securitatis literas obtineant.*

IX. „Omnia belli tormenta a Suecis  
 „occupata & relicta secure remittantur.

R. *Totus belli apparatus a Suecis præ-  
 „cipue in ditione Bavarica occupatus, atque  
 „in urbem deductus, ibidem intacte perma-  
 „neat, ea vero, quæ ad Electorem Bavaricæ  
 „pertinent, sine tergiversatione eidem resli-  
 „tuantur, & eo, unde fuerunt ablata, de-  
 „ducantur, de ceteris Cæsar disponat.*

X. „Obsides Monacenses & Landis-  
 „hutani ex Bavaria extracti præstita  
 „satisfactione & cautione unacum præ-  
 „sidia-



Sæc. XVII. „fidiariis urbe excedant, seque ad lo-  
A. C. 1635. „ca ipsis assignanda recipere teneantur.

Ry. *Omnes quicumque obsides & capti sine lytro & promissi exactione dimittantur.*

XI. „Præfidiariorum currus & far-  
 „cinæ nullibi visitentur, aperiantur,  
 „aut teloniis graventur, nec etiam eis  
 „equi vel alia spolia eripiantur.

Ry. *Observetur articulus septimus & octavus, simulque Magistratus, ne dolus fiat, provideat.*

XII. „Emigrantibus de omni securi-  
 „tate per publicæ fidei literas contra  
 „omnes incurfus caveatur, ac per Ba-  
 „variam vel Cæsaris ditiones transeunti-  
 „bus gratis omnia necessaria suppedi-  
 „tentur. „

Ry. *Id eis usque Ulmam & No-  
 rimbergam concedatur, urbsque eis quor-  
 dam subministret currus, reliquis obsidibus,  
 ut de curruum &c. restitutione, damno &c.  
 cautum esset.*

XIII. „Ex Bavari vel Cæsaris signis  
 „transfugæ in suis officiis relinquantur,  
 „nec reverti cogantur: Tribuni ve-  
 „ro severe eos castigent, qui transfu-  
 „gere moliantur. „

Ry. *Bavari & Cæsarei transfugæ ab  
 pœna honoris vel vitæ ad sua signa, retento  
 eodem officii gradu revertantur, ac unicui-  
 que liberum sit, ultro Bavari vel Cæsaris  
 signa sequi.*

XIV.



XIV. „Ob Damna, incendia &c. in Sæc. XVII  
 „transitu fors emergentia, emigrantes A. C. 1635.  
 „non retineantur, sed reus a suo Tri-  
 „buno plectatur. „

R. *Observetur articulus duodecimus.*

XV. „Ægrotis militibus Augustæ ne-  
 „cessaria suppeditentur, ac demum ad  
 „exercitum libere remittantur. „ Id  
 „quoque eis concessum, sicut & XVI.  
 „articulus, quo petitum, „ut cadavera  
 „Lautereggensis & Badensis Marchio-  
 „num in suis sepulcris intacta rema-  
 „neant, & petentibus Agnatis sine im-  
 „pedimento remittantur. „

XVII. „Omnes quovis modo Suecis  
 „inservientes libere dimittantur, nec  
 „propterea eis quicquam imputetur,  
 „sed in perfecta amnestia comprehan-  
 „dantur. „

R. *Hi ad viam juris & æquam Cæsa-  
 reæ Majestatis cognitionem remittantur.*

XVIII. Quiscunque negotii causa in  
 „Urbe moratus fuit, nunc vero cum  
 „præfidiariis emigrare desiderat, libere  
 „dimittatur. „

R. *Observetur articulus octavus.*

XIX. „Omnes Magistratui addicti,  
 „ceterique ob præstita Suecis obsequia,  
 „vel ex alio quocunque obtentu non de-  
 „sineantur, sed solutis solvendis sub  
 „publica fide emigrare permittantur,  
 „sique nonnulli negotiorum causa in  
 „urbe



Sæc. XVII „urbe morari desiderant, venditis suis  
 A.C. 1635 „intra annum libere emigrare permit-  
 „tantur.

Rg. *Circa emigrationis tempus obser-  
 tur articulus octavus, circa præstationes  
 trinas vero ob emigrationem Magistratus  
 commune urbis bonum respiciet, nullumque  
 injuste gravari permittet.*

XX. „Urbs ab utriusque Religionis  
 „civibus defendatur, nec armis spolie-  
 „tur, sique Urbi præsidarii imponeren-  
 „tur, non alii quam Cæsarei juxta ne-  
 „cessitatis & facultatum rationem im-  
 „ponantur, iique æquali numero in Ca-  
 „tholicorum & Lutheranorum ædes  
 „collocentur, stativorum distributione  
 „Magistratui relicta.

Rg. *Præsidarii & Gubernator ad Cæ-  
 saris arbitrium Urbi imponantur, non plu-  
 res tamen, quam ad Urbis defensionem &  
 securitatem necessarii erunt.*

XXI. „Si Saxonix Elector vel alii  
 „Ordines Evangelici in favorem Luth-  
 „ranorum ultra hæc pacta quicquam  
 „obtinuerint, vel obtenturi sint, iis hi  
 „libere gaudeant. „

Rg. *Præter hæc conventa nihil omnino  
 concedatur.*

XXII. „Interim Urbis Magistratus  
 „usque ad Cæsaream supradictorum ar-  
 „ticulorum confirmationem in præfenti  
 „statu relinquatur. „

Rg. Rg.



Re. Relinquatur usque ad plenam recon-  
 ciliationem cum Cæsare & ejusdem ulte-  
 riorem dispositionem.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1635.

## §. VII.

*Dedendæ Urbis conditiones a Cæsare  
 Augustanis præscriptæ.*

Quoniam vero Lutherani ob Cæsaris  
 auctoritatem tam indigne vilipen-  
 sam, totiesque neglectam oblatæ gra-  
 tiæ viam tam amplis favoribus sese in-  
 dignos reddiderant, prioris transactio-  
 nis capita potissimam partem Cæsaris  
 jussu fuerunt immutata, tandem vero  
 die decima tertia Martii nomine Cæsa-  
 ris Regisque Hungariæ Mathias Co-  
 mes de Gallas, necnon foederatorum  
 Principum, & Protestantium Ordinum  
 nomine Joannes Georgius Winckelius  
 Urbis Augustanæ Gubernator, item  
 Consules, totusque Senatus ac cives  
 in sequentes dedendæ Urbis articulos  
 interposita sacramenti Religione con-  
 venerunt.

*Acta Arch.  
 Abb. ad  
 S. Crucem.  
 Ex auth.  
 Arch. Abb.  
 Imp. ad S.  
 Udalr. lit. X.  
 Adl. An-  
 nal. Boic.  
 p. 3. l. 20.  
 p. 55.  
 Kham. Hie-  
 rarch. Ang.  
 P. I. Cathedr.*

I. „Circa Religionem, decreto Cæ-  
 sareo, ac reformationi anno millesi-  
 mo sexcentesimo vigesimo nono insti-  
 tutæ insistatur, ita tamen, ut Augu-  
 stanæ Confessionis civibus ex speciali  
 Cæsaris gratia Ecclesiam unam, eorum  
 expensis, ædificandi, ac Prædicantem



Sæc. XVII. „unum eidem præficiendi copia fieret,  
A. C. 1635. „hic vero Præco jurato profiteretur,  
 „quod præter ea, quæ Confessioni Au-  
 „gustanæ immutatæ consona sunt, ni-  
 „hil ad populum dicere, docere, nul-  
 „lamque in Romano Imperio prohibi-  
 „tam sectam invehere velit. „

II. „Circa Ecclesiasticorum bona ex  
 „norma pactorum inter Augustanum  
 „Episcopum, & Magistratum conven-  
 „torum, atque ad utriusque partis pre-  
 „ces a Cæsare confirmatorum resti-  
 „tutio fiat, simul tamen Cæsarea sua  
 „Majestas indulgeat, ut Augustanæ  
 „confessioni addictis fundationes pro-  
 „eorum sectæ affectis factæ & erectæ  
 „relinquantur. „

III. „Quoad Nosocomia, Ophanotro-  
 „phia, Leprosorum, expositorum Do-  
 „mus &c. servetur Cæsareum decretum  
 „anno præfato die Octava Martii e-  
 „manatum. „

IV. „Urbi omnia pristina privilegia,  
 „immunitates &c. integræ permaneant.

V. „Circa urbis Regimen pro nunc  
 „duntaxat electionis norma Caroli V.  
 „necnon desuper prædicto anno & die  
 „facta Ferdinandi Cæsaris sanctio ser-  
 „vetur, ac Regimen, prout ante Sue-  
 „vicam immutationem fuerat, restitua-  
 „tur: integrum tamen sit Cæsareæ Ma-  
 „jestati, pro proxima electione ac Re-  
 „gimi.



„giminis norma juxta præfatam Ca- Sæc. XVII.  
 „rolī V. sanctionem decernere. „ A.C. 1635.

VI. „Damnorum ferventibus hisce  
 „turbis cuicumque illatorum compen-  
 „satio non per vim, sed per viam juris  
 „quærat. „

VII. „Nec urbs, nec Senatus nec  
 „quicumque alius lytris, deprædationi-  
 „bus &c. quovis pacto molestetur.

VIII. Urbis Gubernator cum omni-  
 „bus militibus, sarcinis &c. inter mili-  
 „tates honores armatus urbe excēdat.

IX. „Belli tormenta, ac reliquis ap-  
 „paratus ad urbem spectans relinqua-  
 „tur intactus: Ea autem omnia, quæ  
 „ad Baviariæ Electorem spectant, præ-  
 „sertim quæ Suecicus miles ante trien-  
 „nium ex Monacensi armamentario, &  
 „thesauro abstraxerat, eidem mox re-  
 „stituatur, necnon quinquaginta flore-  
 „norum millia, quæ idem Elector in  
 „suos milites, qui urbem cinctam tene-  
 „bant, impendere cogebatur, eidem  
 „refundantur, ita ut millia viginti quin-  
 „que proximo Paschatis, totidem vero  
 „Pentecostes festo solvantur (\*).

#### X. Om-

(\*) Quoniam vero Electorem plusquam  
 octoginta florenorum millia coercendæ urbi  
 impendisse confiterat, hinc die sexta Martii  
 Deputati speciali transactione polliciti sunt,  
 se reliqua triginta florenorum millia ad diem  
 S. Michaelis numeraturos.



Sæc. XVII. X. „Omnibus (exceptis Cæsari sub-  
A. C. 1635. „jectis) qui officio vel obsequio Suecis,  
 „fœderato exercitui, vel Augustane  
 „Confessionis Statibus &c. quovis modo  
 „adhæserunt, intra sex hebdomadas  
 „cum omnibus suis bonis libera emi-  
 „grandi facultas sit. „

XI. „Nec emigrantium currus &c.  
 „aperiantur vel lustrentur, nec etiam  
 „præfidiarii teloniis graventur, caveat  
 „tamen Magistratus, ne aliorum bona  
 „sub hoc obtentu ex urbe educantur,  
 „vel aliunde quid fraudis irreat.

XII. „Obsides, & captivi utrinque  
 „sine lytro dimittantur, prius tamen  
 „quæ pro suo victu debent, solvere te-  
 „neantur. „

XIII. „Emigrantes quoque sub con-  
 „gruo præsidio Erfordiam usque dedu-  
 „cantur, & ab omni militum incurſu  
 „defendantur, eisque ubique necessa-  
 „ria ad victum gratis suppeditentur,  
 „atque ad duodecim currus necessari  
 „equi subministrentur, relictis interim  
 „obsidibus, per quos de restituendis  
 „hisce equis cautum sit. „

XIV. „Suecicum præsidium mox  
 „adventante Cæsaris milite, urbe ex-  
 „cedat. „

XV. „Milites a Cæsaris vel Bavari  
 „signis transfugæ rursus ad sua vexilla  
 „redeant, ad quæ etiam quisvis alius  
 „tran-



„transire permittatur, non tamen co- Sæc. XVII.  
gatur., A. C. 1635.

XVI. „Si fors ab emigrantibus Sue-  
cis ex incendio &c. damnum cuivis  
inferretur, propterea emigrantes non  
detineantur, sed culpæ obnoxius a  
suis Tribunis plectatur.,

XVII. „Infirmis militibus Augustæ  
necessaria porrigantur, ac sanitati  
restituti datis ultro securitatis literis  
ad Suecicum exercitum remittantur.

XVIII. „Palatino - Lauterckii & Ba-  
denfis Principum cadavera in suis se-  
pulcris relinquuntur, vel petentibus  
Agnatis libere extradantur.,

XIX. „Si quisunque alius civis &c.  
unacum præfidiario milite emigrare  
peteret, eidem solutis, quæ de jure  
urbi solvenda sunt, discedere inte-  
grum sit.,

XX. „Omnes Senatui deservientes,  
Præcones, cives &c. propter eorum  
officia vel ob alios quoscunque obten-  
tus non detineantur, sed sexta heb-  
domada post præsidii discessum eis se-  
curitatis literæ tradantur, si vero ne-  
gotiorum causa in urbe remanere co-  
gantur, id eis integrum sit, evolutio-  
que anno ac peracto negotio venditis  
rebus suis libere aliorsum migrare  
valeant.,

XXI.



**Sæc. XVII. XXI.** „Imponatur Urbi præsidium  
A. C. 1635. „juxta decreta alendum, de cetero  
 „circa militiam & Statum politicum  
 „in scio Governatore nihil agant, quin  
 „tamen propterea Senatui in Urbis  
 „regimine quicquam derogetur, ut  
 „que Urbs in suis privilegiis non  
 „lædatur, Governator invigilet. „

XXII. „Hisce vero præfidiariis sta-  
 „tiva assignandi cura, Senatui relin-  
 „quatur, deinceps vero Urbs nullis a-  
 „liis stativis sit obnoxia. „

XXIII. „Privatis hisce pactis Urbs  
 „contenta sit, ac deinceps ex univer-  
 „salibus pactis nihil speret nectimeat. „

XXIV. „Usque ad hujus pacti confir-  
 „mationem a S. Cæsarea Majestate fa-  
 „ciendam Respublica in statu præfenti  
 „remaneat. „

Hæc pacta, quorum quatuor exem-  
 pla æquali tenore confecta fuerunt, no-  
 mine Cæsaris a Comite Mathia de Gal-  
 las, Carolo Ludovico Comite de Sultz,  
 Georgio Comite de Wolckenstein &  
 Joanne Kranen: nomine autem Bava-  
 riæ Electoris a Christophoro Barone de  
 Ruepp fuere signata. Demum nomine  
 Governatoris ac Suecici præsidii Geor-  
 gius Braitkhull, Joachimus Falckhen-  
 mair & Joannes Mathias Lauber Doctot  
 chirographum suum apposuerunt. Post-  
 ea nomine civitatis Jeremias Jacob  
 Steng-



Stenglin Duumvir, Otto Lauginger Sæc. XVII.  
 Consul, Joannes Udalricus Oesterrei- A. C. 1635.  
 cher Judex, Zacharias Stenglin & Jo-  
 hannes Forstenhauser Doctores, ac Se-  
 natus Consultores subscripsere.

Postera die Protestantes per Depu-  
 tatum querebantur, quod suis civibus,  
 nec Ecclesia nec locus, in quo interim,  
 usquedum concessum erigeretur Tem-  
 plum, sectæ suæ sacra peragere possent,  
 in hisce pactis fuisset assignatus, ac  
 unicus duntaxat Præco tantæ multitu-  
 dini impar promissus: rogabant itaque  
 Comitem de Gallas, ut Cæsarem ad  
 hæc eorum petita inclinare vellet: Ita-  
 que Comes die decima quarta ejus-  
 dem Mensis (dummodo Cæsaris con-  
 sensus accedat) ut unum adhuc Præ-  
 conis coadjutorem advocare, ac præ-  
 cario ad sex hebdomadas Ecclesia Fra-  
 trum Minorum pro sectæ suæ exercitio  
 uti possent, eisdem indulsit, ea tamen  
 lege, ut ipsimet interim pro sibi assi-  
 guanda Ecclesia Cæsarem supplices adi-  
 rent. Præterea Lutherani Senatores  
 Maximilianum Bavarix Electorem,  
 nondum obtenta Cæsarea pactorum  
 confirmatione, die decima quinta Apri-  
 lis convenere, rogantes, ut pro impe-  
 tranda quadam harum conditionum  
 moderatione apud Cæsarem partes suas  
 interponere haud gravaretur: verum  
 Luthe-



Sæc. XVII. Lutherani sibimetipsis amplioris gratiæ  
A. C. 1635. viam obstruxerant, eoquod tandiu pa-  
 ternas hortationes toties adhibitas, ob-  
 latamque Cæsaris clementiam antea  
 flocci habuissent, & nunc primum fa-  
 me ferroque ad extrema redacti, sese  
 Cæsaris imperio subicere coacti essent.  
 Nihilominus Augustani Deputati pro  
 mitigandis concordiæ articulis Vien-  
 nam contenderunt: interim vero die  
 vigesima septima Martii Wallius Gene-  
 ralis cum Winckelio Governatore Sue-  
 co collocutus, sequenti die cum dua-  
 bus Cælareo-Boicis legionibus urbem  
 ingressus est, Sueco præsidio inde mox  
 excedente: die autem prima Aprilis  
 Comes Otho Henricus Fugger designa-  
 tus a Cæsare Urbis Governator, com-  
 perta Catholicorum oppressione Luthe-  
 ranam plebem armis exui, & præsidarios  
 milites Lutheranis duntaxat civibus im-  
 poni, atque Ecclesiarum claves Eccle-  
 siasticis restitui iussit: unde Abbas ad  
 S. Crucem solemnè Paschatis die rur-  
 sus Ecclesiam suam ac Monasterium pos-  
 sidere cæperat, clausis Lutheranorum  
 templis: unde hi usque ad annum huius  
 sæculi quadragesimum nonum duntaxat  
 in Annæo Collegio suæ sectæ cultum  
 exercebant (\*). Allata autem, die vi-  
 gesima

(\*). Quod autem ante & post pacem Passa-  
 vien-



gesima tertia Aprilis Cæsarea pacto- Sæc. XVII.  
 rum confirmatione, tertia post die Ca- A. C. 1635.  
 tholicus Senatus (exclusis Lutheranis)  
 primum in Curia confessum habuit, ubi  
 exauctorati Senatores Lutherani, cum  
 impositam mulctam solvere tergiverfa-  
 rentur,

rientem non Confessio Augustana, sed potissimum Calviniana apud Augustanos prævaluerit, fatentur eorum acta Historico - Ecclesiastica parte 105. pag. 437. his verbis: Die evangelische Psarrgemeine zum heiligen Kreuz bis nach geendigten Reichstage 1530. bliebe ohne Prediger, und da der größte Theil des evangelischen Volks und die Bürgerschaft sich auf die schweizerische Seite geneigt hatte, und der Confession Tetrapolitanae anhieng, ließ man Buzerisch genannte Prediger von Straßburg kommen. . . . Daher man sich den damaligen Lehrbegriffe sowohl als die Kirchengebräuche leicht vorstellen kann: bis auf 1535. (zum Interim) verstanden sich alle Prediger, bis auf Johann Kargen, und Hallern. . . . Wobin sahe auch wohl die Heil. Kreuz-Kirche bis 1557. in den Ceremonien Interimistisch aus. . . . Caspar Hueber, Hieronymus Hartlein, und Thomas Wiedeman ließen sich bereden einen interimistischen Prediger abzugeben. . . . Die beyden neuen Prediger allda wurden, weilien sie stacianische Irrthümer behaupteten, nebst vier anderen Verdächtigen entlassen, item pag. 467. Andreas Musculus kam anno 1531. an, und hielt es mit  
 Hist. Eccles. Tom. LX. C Buce-



Sæc. XVII  
A. C. 1635  
rentur, in Curiam vocati includeban-  
tur, donec de certa solutione cavissent.  
Nec secum durius factum fuisse, merito  
conqueri poterant Lutherani, cum  
longe acerbiora Catholicis, Sueci Re-  
giminis tempore, intulissent, pro in-  
tationis pœnam subire cogerentur: quo-  
usque autem illos fanaticum sectæ suæ  
studium, innatumque in Catholicos o-  
dium deduxerit, sequentes tumultus  
ab eis postea suscitati testatum reddent.

## §. VIII.

Bucero und dem Bekännntniß der vier Städte.  
Johann Forster 1537. hatte vielen Streit mit den  
damaligen zwinglisch gesinnten Predigern in Augs-  
burg . . . Caspar Knittel soll Flacii Irrthümer  
ergeben gewesen seyn, daher man sich seiner 1589.  
loß gemacht, weil dieses der Formulæ Concord.  
zuwider war. . . . David Pistorius hatte eini-  
gen Verdruß wegen des Catechismi, man be-  
diente sich seit 50. Jahren desjenigen, den der  
Pfarrer Meckhard zu St. Anna 1559. verfertigte  
und die zehen Gebothe waren nach zwinglischer  
Art abgetheilet: die Obrigkeit mußte befehlen, es  
bey den Meckhardischen Catechismo zu lassen . . .  
Peter Pezmann, weil er andere Prediger der Un-  
richtigkeit der Lehre beschuldigte, und zwinglische  
Schleicher nannte, entließ man ihn 1554. seines  
Dienstes. Johann Hueber bekam 1589. wegen  
seiner flacianischen Irrthümer seinen Abschied.



## §. VIII.

Sæc. XVII.  
A.C. 1635.*Variae urbes a Cæsareis recuperatae,  
mutuæque clades.*

Enimvero Saxoniae Elector per Legatos suos Oxenstirnum ad amplectendam pacem Pragensem hortabatur, cum vero Sueci amplis Gallorum promissis tumidi, conditiones ipso bello duriores præscriberent, non modo omnes concordiae tractatus in irritum cecidere, sed insuper novos exercitus ad urgendam pacis executionem contrahere necesse erat: Eapropter Cæsar Ferdinando Filio suo Hungariae Regi rursus negotium dabat, ut copias suas, quas interim conscripserat, in aciem contra Sæcos educeret: hic ergo, postquam in Ecclesia Patrum Carmelitarum Discalceatorum rei Divinae, quam in Ara prope sepulcrum Venerabilis Patris Dominici a Jesu Maria peragi voluit, intererat, die vigesima tertia Maij Vienna discessit, ac in Bohemiam contendit, ubi comperto, quod Saxoniae Elector copias suas ex Silesia revocasset, ipse quoque Colloredo Comiti, & Granae Tribuno præcepit, ut suas legiones inde in Imperium ducerent, seque Galasso Comiti jungerent. Interim vero Cæsarei in Franconia arcem Herbipolen-

Khevenhill,  
*Annal. Ferd.*  
t. 12, p. 1747.



**Sæc. XVII.** lensem, Pappenheimensem, & Cobur-  
**A. C. 1635.** gensem ceterasque urbes, excepto unico

Königshofio occuparunt, cæsis a Joanne Werthio Francorum Gallorumque quamplurimis. Ad Rheni vero & Moeni tractum e Franckentalia, Falckensteinia, Herbipoli, Moguntia, Wormatia aliisque circum locis Ferdinandus Hungariæ Rex junctis sibi Bavaricis copiis Suecos expulit, ac Superioris Palatinatus urbes ferme omnes armis suis subegit. In Alfatia quoque Carolus Lotharingiæ Dux non sine luculenta hostium strage varia cepit loca, die autem vigesima octava Maij a Gallis prope Belfortem obrutus, tam ingentem accepit cladem, ut ejus exercitus duodecim millibus constans ferro, fame, morbisque consumptus vix quatuor armatorum millia recenseret: nihilominus Dux Bavaricis Cæsareisque suppetiis auctus, in Lotharingiam revertebatur, pluresque Austrasiæ urbes recuperabat: minus prospera Cæsareis ad Meisenheimium arrisit fortuna; quippe a Vinariensibus Gallisque cæsi, commisso ad Waldefringam prælio prorsus ancipiti, ab hoste in castris tam arte cincti fuere, ut Gallasi exercitus Gallis oppositus, inedia, frigore, aliisque incommodis paulatim consumeretur: In Wetteravia quidem deletis hostibus  
 magis



magis secundo Marte pugnabant Cæsareis. XVII. A.C. 1635.  
 sarei, in Hassia tamen apud Eschwegam cæli, Hirschfeldam sese recipere cogebantur. Demum Saxonix Elector Suecis ex Saxenhusio & Havelberga ejectis, Kniphusium Suecum Belliducem ingenti clade protrivit, & pleraque Magdeburgensis, & Halberstadiensis ditionis præsidia occupavit, Baudilius tamen Saxo, dum Domitium infligere propugnaculum pene ad dedicationem compulerat, exorto incendio retrocedere compulsus, a Bannerio Sueco post atrox prælium fusus fugatusque est, cæsis suorum mille, totidem captis, ceteris vero dispersis. Ita hoc anno belli fortuna Cæsareis æque ac Suecis nunc prospera nunc adversa, neutri tamen constans, aut diuturna, cujuslibet autem subditis funesta extitit.

## §. IX.

*Schaffgotsius & Gratzius capite plexi.*

Interim in Fridlandicæ conjurationis reos, quos Cæsar a Pragensis amnestiæ beneficio speciatim excludendos censuit, severa Viennæ habebatur inquisitio, ac præprimis Joannes Udalicus Comes Schaffgotsius, qui Fridlandi jussu Silesiam subigere, populumque in

C 3

factio-



Sæc. XVII. factionis partes pertrahere satagebat, A. C. 1635. captus, Ratisbonam deducebatur, ubi instructis iudicii actis eidem prælecta fuere accusationis capita, ad quæ intra quatuordecim dies vel per se, vel per sibi concessos Caussidicos responderet; cum vero conjurationis evidentia nullam criminis excusationem admitteret, die decima tertia Julii, dicta causa damnatus est, atque in ferale pegmate publice capite plexus, in sua lecta immortalis obiit. Julius vero Lauenburgicus Dux declinato hoc tribunali, eo quod Imperii Princeps esset, Ratisbona Viennam mittebatur, ibidem causam dicturus: paulo post tamen Cæsar non modo hunc, sed etiam Franciscum Albertum itidem Lauenburgicum Ducem libertati restituit: Sparrius quoque ad Poloni Regis preces libertatis vitæque gratiam obtinuit: Mohrus autem Waldtus Ordinis Teutonici Eques ob Ecclesiasticæ immunitatis prærogativam ad Ordinis sui Tribunal remissus est; ceteri autem Wallensteinianæ conjurationis complices aut proscripti, aut in Hungariæ fines abducti perpetuis mancipati sunt carceribus: Joannes vero Philippus Cratzius Comes Scharpfensteinii Viennæ in Civitatis Curia clam securi percussus est. Hic quidem Fridlandicæ perduellionis nullo pacto

con-



conscijs erat, dudum tamen clande-  
 stini cum Cæsaris hostibus commercii  
 reus postulabatur; cum enim a Maxi-  
 miliano Bavaricæ Electore Ingolstadiensi  
 propugnaculo Præfectus imponeretur,  
 & tubicinis a Cratzio emissi perfidia  
 Sueci inopino Ingolstadium interciperent,  
 quin ipse de periculo admonitus, sese e  
 strato movisset, imo & portam hostili  
 invasioni percommendam aperiri jussisset,  
 exinde haud obscuri de clandestina cum  
 hoste collusionis rumores per Urbem  
 spargebantur: inde vero offensus Cratzius  
 datis ad Maximilianum literis suam  
 postulabat missionem: quarta autem post  
 die, nequidem expectato responso, die  
 vigesima nona Maij Ratisbonam contendit,  
 citatisque equis in Bohemiam, indeque  
 ad hostem sese recepit: postea vero in  
 Nördlingano prælio captus, Viennam  
 deducebatur, ubi ipso Polono Rege  
 incassum pro eo deprecante, condemnatus  
 est, ut amputata dextera capite  
 plecteretur: Cæsaris tamen clementia  
 primum supplicii genus remittente, fe-  
 ralem ictum die sexta Julii tandem  
 excepit, luctuosa inconstantiae victima.

## §. X.

*Gallica expeditio adversus Hispanos.*

C 4

Post-



Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

*Calmet Hist.  
Univerf.*

*l. 151.*

*Priorat.*

*Hist. Ferd.*

*II. p. 541.*

*Jäger. Hist.*

*Ecccl. p. 555.*

Postquam Ludovicus XIII. Hispanis bellum nuntiaverat, mox Castillionæus, & Brezæus Belliduces cum valido exercitu in Belgium irrupere, Trajectum ad Mosam eo fine contendentes, ut suas copias Batavis jungerent: Horum iter intercludere parabat Princeps Thomas Sabaudiaë Ducis Frater, qui cum sexdecim Hispanorum millibus Aveni Brabantiaë oppido castra metabatur. Jam in conspectu utraque acies erat, cum Gallos a prælii discrimine dudum retardaret opportunitas loci, quem Hispani infederant: imminens tamen exercitus sui excidium, necnon victoriaë fiducia in hostes invehendi ardorem propositumque Gallis inspirabat: Ergo Castillionæus prior in Hispanos cum suis ruere incipit, urget vehementer lævum hostis cornu Brezæus; jamque prima Gallorum impressione, cui occurrere semper periculosum est, una ala proculcata erat, cum Hispani equites solutis ordinibus pedem referrent; instat mox fugientibus Gallus eques, & Hispani cominus pugnam coacti conferere, funduntur: Tum vero ceteri dissipantur metu, & qua cuique patebat ad fugam via erumpunt, Gallis eos per integras tres leucas insequentibus. In acie autem cæsa sunt quatuor ferme Hispanorum millia, captis



ptis quingentis. Postea victores Galli Batavis conjuncti Tiennam Brabantiæ urbem ad motis scallis superarunt, eamque barbara plusquam crudelitate diripuerunt; quamvis enim Franciscus Bargas cum Arausionensi Principe convenisset, ut dedita urbe duntaxat Galli intrarent, exclusis Batavis, in Catholicos dire desævire consuetis, nihilominus Princeps violata pacti fide suos milites in urbem immisit, qui furis similiores per omnes plateas effusi, ædes & Ecclesias expilarunt, injectoque igne deleverunt, nulloque ætatis, sexus, aut conditionis discrimine facto obvios quosque trucidarunt. Incaluerat sectaria rabies ipsa innoxii sanguinis effusione; irruunt Calvinistæ velut rabidi canes in Sacerdotes & Monachos, quos exquisitis cruciatis tormentis promiscue una omnes jugulant, & nec Templorum, ac Monasteriorum reverentia absterriti, Sanctorum Reliquias comburunt, sacras Hostias equis devorandas obijciunt, ac demum in Virgines Deo sacratas involant, easque stupris contaminant. Tenuit hæc furentium laniena integras quinque horas, quibus absolutis Brezæus Gallici exercitus Dux suis quoque militibus prædandi licentiam dedit, ea tamen lege, ut a Sacrarum Virginum stupris,

Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

*Newill. Hist.  
d' Holland.  
t. I. p. 168.*



Sæc. XVII. & Ecclesiarum devastationibus sese co-  
A. C. 1635 hiberent; ne vero ejus imperium in-  
 pune sperneretur, Brezæus qua-  
 rumdam Monialium, quæ adversus  
 horrendas hæreticorum violentias ejus  
 præsidium implorabant, Asceterium  
 viginti militibus Gallis custodiendum  
 commisit; verum Angli, Batavique  
 Calviniano furore perciti Pontium  
 Gallici præsidii Ductorem aggressi, mul-  
 tis vulneribus sædatum in terram pro-  
 strarunt, ruptisque Cænobii portis, ac  
 omni suppellectile, Sacrisque etiam va-  
 sis sacrilega manu contractis, direptis-  
 que, cunctas, quas infaulta fors in li-  
 bidosi militis manus dederat, con-  
 stuprarunt, ac demum interemerunt;  
 ex his nonnisi sex Virgines Batavorum  
 rabiem effugere poterant, quas Pon-  
 tius clam currui impositas in tutum lo-  
 cum conduxit, graviter apud Araulio-  
 nensem Principem de tam inhumana  
 sævitia conquestus: nihilominus tamen  
 Urbs civium fuga, ac cæde penitus de-  
 solata, barbaræ hostium direptioni ex-  
 posita est. Inde vero Araulionensis  
 Principis exercitus die decima Junii  
 Bruxellas versus, Brezæus vero Lovan-  
 nium contendit, hancque urbem, Dil-  
 temio deditione capto, cinxit, demum  
 vero non sine magna suorum clade die  
 quarta Julii obsidionem solvere coactus,  
 Rure-



Ruremundam sese recepit, ubi tamen Sæc. XVII.  
 morbis, aliisque calamitatibus tantus A. C. 1635.  
 ac talis exercitus tam misere defluxit,  
 ut per ludibrium ab hostibus Gallicis  
 vulgo quæreretur. Quapropter Bre-  
 zæus Batavorum perfidiam exofus, mi-  
 seras exercitus sui reliquias in Fran-  
 ciam reducere statuit, Hispanis vero  
 transitum obsidentibus milites suos Rot-  
 terodami navibus imponere cogebatur,  
 ubi tamen maris ventorumque injuriis  
 integro trimestri vexati, omnibusque  
 necessariis destituti potissimam partem  
 misere perierunt: Tot calamitatum au-  
 thor erat Arausionensis Princeps, qui  
 nullam Richelium Cardinalem infectan-  
 di occasionem prætermittebat, haud  
 ignarus, quod hic idem Cardinalis, ut  
 suum in hæreticos odium Romæ com-  
 mendaret, Arausionensem Principatum  
 eidem eripere machinatus fuerit. Ni-  
 hilominus Cardinalis, utpote tum for-  
 tunæ suæ æmulis undique cinctus, in-  
 juriam sibi suisque illatam adhuc diffi-  
 mulandam censuit, missoque ad fœde-  
 ratos Ordines Brezæo fœdus cum Ba-  
 tavis adversus Hispanos, Austriacos-  
 que innovavit, ea tamen lege, ut Galli  
 a Batavis sejuncti suos quisque hostes  
 infectarentur: Interim Hispani Schen-  
 kianum munimentum interceptere, quod  
 tamen anno sequenti Princeps Arausio-  
 nensis



Sæc. XVII. A. C. 1635 nensis recuperabat; Franciæ vero Rex eodem tempore quatuor instruxerat exercitus, ac præprimis Forcæum Marefcallum cum viginti quinque millibus in Lotharingiam emisit, Rohanæus autem cum octodecim millibus in Rhætas movere iussus, Hispanis, Germanisque devictis quasdam Vallis Telineæ urbes Gallico imperio subjecit: Crequius quoque cum valido exercitu Italianam invasit, qui tamen Sabaudæ & Odoardo Parmensi junctus plus terroris Hispano intulit, quam damni, incalsumque Valentiam tentavit: sub idem quoque tempus multa millia Chesnaus Dux in Arthesiam duxit: denique Valeta Cardinalis Vinariensi Duci junctus, in Germaniam insolita ferocia irruerat, qui tamen de reditus opportunitate parum sollicitus, atque Hassorum ope destitutus, e Germania inglorius revertebatur, postquam a Gallaffio Belliduce Cæsareo profligatus, belli tormenta aut defodere, aut in lacum projicere coactus fuerat:

Cruenti belli metu percitus Urbanus VIII. Pontifex totus in eo erat, ut juncta Venetorum opera præsertim inter Cæsarem & Franciæ Regem pacem restituere posset, quocirca Cardinalem Ginettum Legatum suum Coloniam deerevit, necnon per literas gravissimis ver.



verbis conceptas dissidentes ad reddendam Orbi Christiano tranquillitatem hortatus est: paternis tamen monitis prevaluit Cæsareæ felicitatis, & Hispanæ potentiae æmulatio: unde Ginettus toto triennio multum temporis ac laboris irrito prorsus conatu impenderat, etsi Cæsar per suos Legatos animum ad pacem haud alienum exhibuisset, & Gallicæ, Angliæ, Sueciæ & Daniæ Regum Oratores, Hamburgi congregati necnon Batavi ceterique Principes Protestantes pacis consilia amplis verbis jactitarent.

Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

## §. XI.

*Nova contentio Reipublicæ Venetæ  
cum summo Pontifice.*

Cum Venetorum Respublica exteris diffensionibus componere intenta esset, domesticis collidebatur dissidiis: tertius enim effluerat annus, quo Romanus Anconitanæ Urbis Governator Michaellem Obertum Consulem Venetum proscriperat, quæsito obtentu, quod ex Veneta nave merces quasdam contagionis tempore extraxisset. Acriter de hac injuria apud Urbanum Papam querebantur Veneti, unde Franciæ Ministris suam operam interponentibus, Venetus Consul Anconam revoca-

*Nani Hist.  
Venet. t. I.  
l. 9. 10. & 11.  
Palat. vit.  
Pont. p. 553.*



Sæc. XVII. vocabatur, quo paulopost emortuo  
A. C. 1635. Gubernator novum Consulem defuncti  
 fratrem quasi exploratorem Anconæ  
 includi iussit, ac demum severa ad-  
 modum comminatione facta, eidem  
 inhibuit, ne ultra in urbem rever-  
 teretur. Recrudescente igitur indi-  
 gnatione Senatus vicem rependere  
 intentus, Vitellium Papæ Nuntium ad  
 colloquium admittere recusabat, & Con-  
 tarino Reipublicæ Oratori, ne Ponti-  
 ficem salutaret, vetabat: hoc tamen  
 anno rursus hanc discordiam compo-  
 suere Oratores Galli. Sub idem fer-  
 me tempus nova gliscebant controversia  
 de confinibus Domini Ecclesiastici &  
 Veneti prope Padum flumen: ubi ta-  
 men Ludovicus Rex arbitrum egit, bre-  
 vique restituta est concordia, quam rur-  
 sus novi honoris æmulatio disrumpere  
 videbatur; cum enim nuper Urbanus  
 VIII. Papa Cardinales ab omnibus  
 (exceptis Regibus) *Eminentissimos* ap-  
 pellari decrevisset, Respublica autem  
 eosdem hoc titulo salutare detrectaret,  
 hi graviter de contemptu apud Urba-  
 num summum Pontificem querebantur.  
 Hic vero re ultro citroque agitata de-  
 mum Rempublicam juxta veteres ritus  
 inter Reges esse connumerandam de-  
 clarabat, ne deinceps Veneti Cardina-  
 libus *Eminentissimorum* titulo hono-  
 rare



rare tenerentur. Acrior paulopost in-  
 ter Romanam Curiam & Rempublicam  
 exarsit offensio, cujus occasio hæcerat:

Sedente Pio IV. summo Pontifice con-  
 sinebatur in Vaticano Palatio Aula Re-  
 gis, sic dicta, eo quod Regum, Prin-  
 cipumque Oratoribus excipiendis desti-  
 nata esset. Hanc idem Pontifex variis  
 picturis, quæ magis memoranda Chri-  
 stianæ Reipublicæ gesta exhibebant,  
 exornari iusserat, atque inter alia na-  
 vale prælium, quo Veneti Fridericum  
 Barbarossam Imperatorem Alexandri  
 III. Papæ hostem devicerant, de-  
 pictum habebatur, in Reipublicæ lau-  
 dem & Ecclesiæ decorem adjecto hoc  
 elogio: *Alex. Papa III. Friderici I. Im-  
 peratoris iram & impetum sugiens, abdi-  
 dit se Venetiis. Cognitum & a Senatu  
 perhonorifice susceptum, Othone Impera-  
 toris filio, navali prælio a Venetis victo,  
 captoque, Fridericus pace facta supplex ado-  
 rat, fidem, & obedientiam pollicitus, ita  
 Pontifici sua dignitas Venetæ Reipublicæ  
 beneficio restituta M. C. LXXVII.*

Hæc vero inscriptio ab Urbano Pon-  
 tifice, forte, eo quod Baronius Cardi-  
 nalis hanc Venetorum victoriam in du-  
 bium vocasset, deleta, atque in ejus  
 locum succincta hæc epigrapha reposita  
 fuerat: *Federicus Imperator Alexandrum  
 III. Pontificem, quem diu insectatus fue-  
 rat,*



Sæc. XVII. *rat, post constitutas cum eo pacis conditiones, & damnatum schisma Venetiis simplex adorat.* Hanc novitatem Franciscus Maria Roscius, absente tum Ludovico Contarino Veneto Oratore, cui a secretis erat, prior detexit, ac Victoriam, necnon beneficii Ecclesiam a Venetiis præstiti memoriam obliteratam fuisse, Senatui nuntiavit: Inde vero magni animorum motus, & Venetorum indignatio: alii exaggerabant ingratum Pontificis animum, eoquod Rempublicam toties vexasse haud contentus, illius quoque gloriam, Majorumque famam obliterare aggressus esset, & Reipublicæ merita, atque in Ecclesiam studia, pro quibus ejus Prædecessores sese obstrictos professi forent, agnoscere detrectaret: Pontificem antea in Venetos, nunc quoque in eorum cineres, & defunctorum sepulcra grafsari, communes erant questus in ore populi: Omnium denique suffragio decretum, ne salutato quidem Pontifice Oratorem Venetum Roma evocandum, & Nuntium Apostolicum ab Aula Veneta excludendum, simulque Regibus, Principibusque declarandum, hanc injuriam nonnisi restituto elogio reparari posse: Cum vero Urbanus VIII. ad procurandam Germaniæ pacem Venetorum operam oppido proficuum fore cre-



crederet, elogium recens adscriptum Sæc. XVII.  
 quarto post anno aboleri iussit, quin A. C. 1635.  
 tamen antiquum restitueret, hac cura  
 his Successoribus relicta.

## §. XII.

*Academia Gallica Parisiis erecta.*

Postquam anno priori Fœderati Belgii Relat. de  
 Ordines Ultrajecti suam Academiam Hist. de  
 exerant, pariter alia in Galliis ad Academ.  
 Italicarum normam feliciter auctori Francois. de  
 tate Regia fuit stabilita. Tenue hujus Pelisson Hist.  
 initium repetendum est a literario com- du Parlem.  
 mercio, quod Antonius Godeau Graf de Paris  
 sensis Episcopus cum Gombaldo, utro- cap. 52.  
 que Haberto, aliisque Viris eruditis pag. 248.  
 per sex circiter annos Parisiis fovebat.  
 Hi in Valentini Conrarti ædibus con-  
 venientes, opuscula a variis recens e-  
 dita dijudicare, acrique censura per-  
 stringere, & cunctis eloquentiæ arca-  
 nis ornare, atque a Styli, verborum, vel  
 argumenri vitiis expurgare satagebant,  
 unice intenti, ut Gallici idiomatis bar-  
 barie exulare iussa, tam Sacram, quam  
 forensam eloquentiam ad primævam  
 puritatem revocarent, ac saniozem cogi-  
 tandi disserendique rationem invehe-  
 rent: Tam proficui laboris notitiam  
 Boisrobertus Abbas, Vir illa ætate  
 longe celeberrimus communicabat Ri-  
 chelio

Hist. Eccles. Tom. LX.

D

chelio



Sæc. XVII. chelio Cardinali, qui præclarum hunc  
A. C. 1635. cætum auctoritate Regia comprobandum censuit, communique ceterorum consilio novæ hujus Academiæ statuta correxit, eorumque confirmationem a Rege impetravit, edito desuper diplomate Regio, Mense Septembri hujus anni. Hac igitur institutione Richeliius Cardinalis sese de patria sua optime meritum reddebat, omnique jure hujus Academiæ Protector, fundatorque nominabatur, unde quinto Statutorum articulo Academicis injunctum ut eorum quivis polliceretur, *se semper sui Protectoris merita, memoriamque summo in honore habiturum*, quem tamen articulum Cardinalis obliterari præcepit: Nec deerant tamen malevoli, qui Academiæ institutum carperent, ac Cardinalis gloriæ inviderent, quos inter Michael Vafforius perfidus ille Apostata prorsus insulse scripserat, quod Cardinalis Richelii *tyrannis sat luculenter in hujus Academiæ erectione elucet; hic enim iniquo tulerat animo, quod honesti Viri in privatis cædibus libere convenerent*: quam nequiter hæc imputentur præcipuo hujus Academiæ promotori, cuique obvium est. Vafforius nempe hanc *tyrannidis calumniam non in Academicorum, sed sectariorum schola dicit*, qui usitata phrasi, quidquid vel

Roma



Romani Pontifices, vel Cardinales agunt, tyrannidem appellant. Præterea Parlamentum, seu sanctior Senatus privilegia huic Academiæ a Rege concessa confirmare, necnon ad acta referre, integris octodecim Mensibus distulit, eoquod vereretur, ne invalescente purioris idiomatis usu barbaræ forensis styli phrasas sensim abolerentur, atque Academia sibi jurisdictionem in Regiam Bibliothecam vindicare, aut Academici emunctæ naris Viri, necnon Regia auctoritate suffulti, Aristotelis doctrinam in Parisina Universitate edito Parlamenti stabilitam fastidientes, novitates invehere intenderent. Hanc quoque Senatus repugnantiam alii imputabant vindictæ studio in Cardinalem, qui summa auctoritate prævalens crebras Senatui molestias intulerat: Nihilominus urgente ipsius Regis mandato Senatus Regium diploma Mense Julio Anno hujus sæculi trigesimo septimo ad Curixæ tabulas retulit, ea tamen lege, ut Academia nonnisi de idiomate Gallico & de libris ab ea compositis vel eius judicio relictis cognoscendi jure gaudeat,

## § XIII.

*Varii libelli a Facultate Parisiensi  
Theologica censuris notati.*

D 2

Die



Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

*Argente  
Coll. Jud.  
t. 3. p. 15.*

Die prima Mensis Junii Hieronymus Parentius, & Hieronymus Bachelierus duo Facultatis Magistri in comitiis referebant, se quamplurima animadversione digna in variis deprehendisse libellis: Erant autem sequentes, I. *Miraculosa oratio ad B. V. unacum mensura vulneris in corde Christi Domini.* II. *Index gratiarum & Beneficiorum, quæ Christus Dominus gratis a se ad preces Ven. Ludovicæ Ord. S. Claræ benedictis concessit.* III. *Indulgentiæ Ordini de Mercede a Pontificibus indultæ.* IV. *Regula tertii Ordinis S. Francisci de Paula unacum Bulla Julii II. Papæ.* V. *Synopsis Privilegiorum & indulgentiarum confraternitatis S. Scapularis unacum aliquibus miraculis per S. Scapulare patratis.* Perceptis horum Doctorum relationibus, collectisque octoginta Magistrorum sententiis hos omnes libellos censura notavit facultas, statuitque, ut a prædictis Magistris nominatis Parentio & Bacheliero formula censuræ teneatur, additis propositionibus, quæ in iisdem continentur, exhibitisque earum unicuique censoriis notis, quæ ad ipsam facultatem proximis comitiis referrentur, antequam typis excuderentur.

Sacra quoque Indicis Congregatio die decima sexta Martii anno 1621. eundem libellum de Indulgentiis Ordini de Mercede concessis, donec corrigatur,



rigatur, proscriptit: circa librum vero <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 de confraternitate S. Scapularis Re- <sup>A. C. 1635.</sup>  
 gius Senatus iudicium sibi soli, auditis  
 testibus, reservabat; carpebat autem  
 Facultas sequentem inscriptionem Ima-  
 ginibus quibusdam inepte appositam:  
 Quicumque hoc sanctum Scapulare portave-  
 rit, nec in aqua suffocabitur, nec igne com-  
 bustus, nec fune suspensus morte afficietur.

## §. XIV.

*Proscriptio cujusdam Catechismi a  
 Facultate Parisiensi facta.*

Eiusdem hujus anni die prima Au- <sup>Argentre</sup>  
 gusti quidam Sorbonæ Magistri re- <sup>l. c. p. 16.</sup>  
 ferebant, quod Bertinus Berthaut Con-  
 stantiensis Diæcesis Presbyter librum,  
 cui titulus: *Catechismus Confessariorum*  
 ediderit, eundemque Magister Patus  
 approbari petierit: quoniam vero non  
 modo multa inepta & ridicula, sed et-  
 iam turpia & obscæna in eo observa-  
 rint, hinc Auctorem monuerunt, ut  
 abstineat ab illius evulgatione, quan-  
 doquidem scandalum potius, quam  
 utilitatem parere posset, tam in iis,  
 quæ forum internum, quam quæ ex-  
 ternum concernunt; qua non obstante  
 monitione eundem librum sub appro-  
 batione aliquorum Religiosorum Docto-  
 rum absque Licentia Facultatis fuisse



Sæc. XVII. excusum non sine præjudicio Salutis  
A. C. 1635. animarum, & denuo ab authore ipso  
 auctum & recognitum prodiisse, quere-  
 bantur Doctores: eapropter Facultas  
 approbationem hujus Catechismi fa-  
 ctam revocavit, ipsumque Archiepisco-  
 pum Rothomagensem rogandum decre-  
 vit, ut in sua Provincia illius usum im-  
 pediat, ne ex ipsius lectione scandalum  
 fidelibus accedat.

## §. XV.

*Christophori Bessoldi reditus ad fidem  
Catholicam.*

*Arnold Hist.  
 Hæret. t. 1.  
 l. 17. part. 2.  
 cap. 3.  
 Weissman.  
 Hist. Eccl.  
 p. 741.*

Visum est hoc loco meminisse Christo-  
 phori Bessoldi primum in Acade-  
 mia Tubingensi postea Ingolstadiensi  
 Professoris publici longe celeberrimi,  
 cujus ad fidem Catholicam con-  
 versio eo notabilior, quo manife-  
 stius inde elucet, quam dispari ra-  
 tione Sectarii ad Catholicorum Sacra,  
 & Catholici ad Novatorum castra tran-  
 sire soleant. Vix enim ullum ex his,  
 qui a Catholicorum castris affugerunt,  
 reperies, quem non vel ambitio, vel  
 dissolutæ vitæ amor, ac libido, aut  
 vindictæ cupido, aut amplæ pollicita-  
 tiones aliæque ejusmodi foedæ rationes  
 ad infamem hanc defectionem impul-  
 sent. Unde accidit, ut plerumque e-  
 jusmodi desertores sedato æstu, agni-  
 toque



toque errore rursus ad Catholicæ Ec-  
 clesiæ sinum redierint, aut inter secta-  
 rios suos nonnisi cum summo dedecore  
 omni vitiorum genere contaminati vi-  
 xerint. E contrario autem illi, qui a  
 sua secta ad fidem Orthodoxam reversi  
 sunt, etsi plerumque suorum contem-  
 ptum, egestatem, pluresque alias cala-  
 mitates, tanquam Christi patrimonium,  
 sibi reliquas fore prospexerint, nihilo-  
 minus in Communione Ecclesiæ Ca-  
 tholicæ constantes usque ad obitum  
 persistere, eoquod illos non caro &  
 sanguis, sed verus Dei Spiritus, laxio-  
 ris vitæ horror, agnitæque veritatis  
 vis, ad deserenda Lutheri Calvini-  
 que commenta pertraxisset. Id testa-  
 tum reddidit Besoldus, qui ob morum  
 integritatem, vastam, profundamque  
 eruditionem apud suos summo in ho-  
 nore habitus, sectam Lutheranam, quam  
 per quinquaginta octo annos professus,  
 acerrime, præcipue in suo libro de *si-  
 gnis temporum*, contra Catholicos pro-  
 pugnaverat, hoc anno ejuravit, atque  
 ad Romanæ Ecclesiæ sinum non sine  
 maximo Lutheranorum dolore rever-  
 sus est. Reditus sui causam Prote-  
 stantes pro more suo in vitæ licentiam  
 rejicere nequeunt; cum ipsimet etiam  
 post ejus conversionem fateantur, Bes-  
 soldum exstitisse *Virum pietatis Religio-  
 nisque*

D 4

Sæc. XVII.  
A. C. 1635.



Sæc. XVII. *nisque studiosum, moribus inculpatum, a-*  
*A. C. 1635. nimo sedatum, sermone jucundum, verbis*  
*parcum, gravem, vanitatisque osorem:*

*Wagner.*

*Exam. Elen.*

*Ath. v. 83.*

*Gisbert.*

*Pont. t. I.*

*Diff. de*

*Alheif.*

nec etiam ad hunc reditum aut pin-  
 quioris fortunæ spes, vel adversitatis  
 effugiendæ necessitas, aut fidei Luthe-  
 ranæ inscitia Virum tam eruditum, o-  
 lim suæ sectæ tantopere studiosum, ho-  
 noribus, divitiisque auctum, sed unice  
 Divini Luminis gratia, ut unacum ali-  
 quot studiosis agnita Catholicæ fidei  
 veritate, Lutheri castra desereret, adi-  
 gere poterat, prout ipsemet Besoldus  
 testatum reddidit in conversionis suæ  
 motivis, quæ biennio post Ingolstadii  
 publici juris fecit: Refert Voetius,  
 quod ad detestandam Lutheri sectam  
 valide impulsus fuerit horrore concepto  
 ex perversis moribus plurimorum Pro-  
 testantium, qui potius Epicurei erant.  
 Ut vero quamdam huic conversioni la-  
 bem aspergere possent, Protestantium  
 nonnulli tradidere, Besoldum Roma-  
 nis accessisse, eoquod *meticulosus lepus*  
*simulque in corde suo astuta vulpes, Catho-*  
*licorum potentiam vereretur, & per cladem*  
*Nordlinganam res Protestantium ad despe-*  
*rationem redactæ viderentur: verum ex-*  
*coGITATA hæc mutationis causa adeo*  
*infirma est, ut potius ad risum mise-*  
*rationemque commoveat, quam con-*  
*futationem mereatur. Forte etiam*  
 Besol-



Bessoldi uxor ex Catholicorum metu Sæc. XVII.  
& Nordlinganæ cladis dolore eo adacta A. C. 1635.  
est, ut post mariti sui obitum proxima  
die quarta Novembris Catholicorum  
sacra sequeretur.

## §. XVI.

*Conspiratio contra summum Pontificem Romæ detecta.*

Sub idem tempus validissima classis, Annal. Ferd.  
quam Turcarum Imperator instru- Khevenh.  
xerat, universam Italiam ingenti ter- tom. 12.  
rore commovit, sparso rumore, quod p. 1866.  
pace cum Persis inita Turcæ totius Turf. ep.  
belli molem in Europam effundere sta- p. 280.  
tuissent. Eapropter Antonius de Paula  
Magnus Melitensium Magister con-  
scripto recente milite, & propugnacu-  
lis valide munitis Papam, Hispaniæ  
Regem, cunctosque Italiæ Principes  
solicitabat, ut ad hostis incursum hanc  
Insulam strenue defendere satagerent:  
Neapolitanus vero Pro - Rex cunctis  
transfugis vitæ gratiam indixit, ea ta-  
men lege, ut ad Hispanorum signa re-  
dirent: ipse quoque Urbanus Papa pu-  
blico edicto promulgari iussit, ut  
omnes Pontificiæ ditionis subditi in-  
tra bimestre, si in Italia, & infra qua-  
tuor Menses, si extra Italiam exteri  
Principis castra sequuntur, ad sua re-  
verten-



Sæc. XVII. A. C. 1635. vertentur, nec ullus sine Pontificis consensu apud ceteros stipendia mereretur, Annona vero, aut arma nequaquam Roma ad alios Principes transferrentur: Dum autem Pontifex adversus exteram vim patriæ securitati prospicere intentus erat, ægre domesticorum infidias eluctabatur: quippe Jacobus Centinus, Cardinalis Centini Asculani Nepos, necnon Flaminius ejusdem Cardinalis Procurator, alique sex in Pontificis vitam conjurabant, Bullam Cœnæ recens promulgatam flocci habentes, hac tamen conjuratione a quodam Religioso, cui nomen Dominicus Ramborius, detecta, una omnes in carceres conjecti sunt, quorum supplicium ad annum sequentem fuit dilatatum, uti memorabimus.

## §. XVII.

*Cardinalium, Principum atque illustrium obitus.*

*Annal. Boic. Adl. l. 20.* **I**nter Principes, quos hoc anno funesta mortalitatis necessitas vivis subduerat, fatale hujus anni auspiciu habuit Elisabetha Bavarix Electoris Conjux. Hæc Caroli Austrax & Lotharingæ Ducis Filia anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quarto nata, & anno Christi millesimo quingentesimo



Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

gentesimo nonagesimo quinto die quinta Februarii Maximiliano Bavaro Duci nupta, omni virtutum genere eminuit: ubi vero Monachii pestilentiae vis grassari caeperat, unacum Serenissimo Marito suo Ranshovium delata ibidem die quarta Januarii pie in Domino obiit, Monachii die vigesima secunda Aprilis anni sequentis in aede S. Michaelis pompa funebri reposita. Dignissimae hujus Principis dotes amplis encomiis celebrant Annalistae Boici. Sequenti autem Anno Maximilianus cum Maria Anna Ferdinandi II. Imperatoris Filia Viennae die decima quinta Julii solemnes celebravit nuptias. Porro ex Purpuratis hoc anno nonnisi duo fati celsere, quorum primus erat Robertus Ubaldinus patria Florentinus, Leonis XI. Nepos qui pro ingenii sui felicitate juvenis admodum Philosophiae ac Jurisprudentiae lauream emeritus, a Paulo V. secretis consiliis, gravissimisque negotiis admovebatur, atque ab eodem maximi habitus, Politianum Episcopatum obtinebat: inde vero in se provocabat praecipue invidiam eorum, qui summo Pontifici Sanguine juncti erant. Hi ergo, non quidem ut Ubaldini merita extollerent, sed ut autoritatis suae æmulum a Pontificis consortio amoverent, eidem Authores existere, ut  
Ubal-



Sæc. XVII. Ubaldinum in Gallias tanquam Sedis  
 A. C. 1635. Apostolicæ Nuntium ablegaret, quo  
 tamen in munere Ubaldinus tam lucu-  
 lenta prudentiæ, probatæque fidei spe-  
 cimina per novem annos edidit, ut in-  
 de Romam reversus, a Paulo V. mul-  
 tis auctus beneficiis, & Purpura, nec-  
 non a Gregorio XV. Bononiensi lega-  
 tione decoraretur. Commendatur præ-  
 primis pietate in Deum, & liberalitate  
 in pauperes, Domesticos, Eruditos,  
 ac præcipue in Poetas: sua quoque  
 bona Congregationi de Propaganda fi-  
 de, necnon Politianæ Ecclesiæ suæ Le-  
 gaverat: tandem vero Romæ die vi-  
 gesima secunda Aprilis ex calculi mor-  
 bo decessit, sepultus apud sanctam Ma-  
 riam supra Minervam. Alter erat Au-  
 gustinus Oregius patria Æmilianus, qui  
 humanæ, Divinæque Philosophiæ, nec-  
 non utriusque Juris studia cum pietate  
 conjungens, Faventiæ Theologiam pu-  
 blice tradidit, postea Maphæo Cardi-  
 nali Barberino tum Bononiæ Legato  
 se Theologum consecrans, eo ad Pon-  
 tificatum evecto varia, eaque honorifi-  
 ca obiit Ecclesiæ munia: tandem Pur-  
 puratorum Collegio adscriptus suffra-  
 gantibus meritis Beneventanum Ar-  
 chiepiscopatum accepit: ubi omne tem-  
 pus aut rebus sacris aut literis impen-  
 dit, pro salute gregis sui vigilantissi-  
 mus,

*Nicii Pina-  
 cotheca I.  
 pag. 40.*



mus, somni parcissimus, & in mensa Sæc. XVII.  
 frugalis, quam semper vel sacræ Scri- A. C. 1635.  
 pturæ, vel Conciliorum, vel Divi  
 Thomæ aut Baronii lectione condie-  
 bat: Catechesin ad populum, atque  
 exhortationes ad suos famulos ferre  
 quotidianas habuit, unde suum Pala-  
 tium non tam Aula, quam Oratorium  
 ac Religiosæ familiæ Domus appella-  
 batur: Postquam igitur quinquagesi-  
 mum septimum ætatis suæ annum in-  
 ter Pastoralis sollicitudinis molestias in-  
 victo animo compleverat, feбри corre-  
 ptus, sacrisque morientium Sacramen-  
 tis munitus die duodecima Julii Bene-  
 venti placidissime, ut pie credere fas  
 est, in cælum evolavit, in sua Cathedra-  
 li humatus. Scripsit Augustinus  
 tractatum de Angelis, de opere sex  
 dierum, de Deo, Incarnatione, nec-  
 non de Hierarchia Ecclesiastica. Jussus  
 quoque ab Urbano VIII. Aristotelis  
 opinionem circa animæ mortalitatem  
 investigare, hanc in rem de ejusdem  
 immortalitate tractatum edidit, in quo  
 Aristotelem ab imputato hoc errore  
 vindicare nitebantur.

## §. XVIII.

*Quædam Sacrarum Congregationum  
 decisiones.*

Varia



Sæc. XVII. **V**aria hoc anno circa Sacramento-  
 A. C. 1635. rum administrationem, vel Eccle-

*S. Congr.  
 Concil. Rit.  
 Etc. decis.*

siæ ritus proponebantur dubia, ad quæ  
 sacræ Congregationes sequentibus de-  
 cisionibus responderunt, & primo qui-  
 dem declarabat sacri Concilii Congre-  
 gatio die tertia Februarii, quod Epi-  
 scopus in approbatione Confessariorum  
 non possit sibi reservare absolutionem  
 eorum, qui non solvunt locis Piis ea,  
 quæ ratione administrationis vel alia  
 de causa debent: hos enim remediis  
 juris cogendos esse censuit. Cum au-  
 tem in urbe Lucana in festo Corporis  
 Christi haberetur solemnis supplicatio,  
 & impedito Episcopo dignior Canoni-  
 cus SS. Sacramentum per limites Pa-  
 rochiæ S. Fridiani deferret, hujus Pa-  
 rochiæ Prior SS. Sacramentum per  
 suæ Ecclesiæ limites deferendum, sibi  
 consignari petebat: Capitulo igitur Ca-  
 thedralis Ecclesiæ desuper querente,  
 sacra Rituum Congregatio die vigesima  
 prima Aprilis decidit, delationem SS.  
 Sacramenti in proposito casu spectare  
 ad digniorem Ecclesiæ Cathedralis per  
 totam viam, etsi contingat Procellio-  
 nem transire per limites alterius Pa-  
 rochiæ. Præterea apud Lycienles  
 Moniales invalescente abusu, quo Di-  
 vinum Officium a suis Capellanis reci-  
 tari consueverant, sacra Episcoporum  
 Con-



Congregatio die undecima Maij deci-  
 dit, horas ab ipsis Monialibus cantu  
 firmo esse cantandas vel recitandas. Sæc. XVII.  
A. C. 1635.  
 Die autem vigesima prima Julii S. Ri-  
 tuum Congregatio, referente Cardinale  
 Pamphilio, Capitulo & Canonicis Ec-  
 clesie Cathedralis Interamnenfis re-  
 spondit, quod Priore solemniter cele-  
 brante, sive præsentem sive absentem aut  
 impedito Episcopo semper Canonici,  
 non autem inferiores, Sub - vel Dia-  
 cono officio fungi teneantur, nec liceat  
 Coadjutoribus Canonicorum, absentibus  
 vel impeditis Canonicis, intervire  
 Episcopo solemniter celebranti, sed hoc  
 spectet ad veros Canonicos ordine suc-  
 cessivo: Decidit quoque die septima  
 Junii sacra Concilii Congregatio, quod  
 Episcopus possit Canonicos distributio-  
 nibus privare, si choro interessentes  
 alta voce non psallerent, quavis con-  
 traria consuetudine non obstante: de-  
 cium pariter die duodecima Julii, quod  
 Parochus non possit sine licentia Epi-  
 scopi Processiones extraordinarias fa-  
 cere, neque ad hoc sufficiat licentia  
 Vicarii Foranei. Denique Urbanus VIII.  
 in confirmatione Decreti Capituli Ge-  
 neralis Romæ anno 1612. habiti decla-  
 ravit, quod Dominicani tractantes ali-  
 quod negotium per se vel per alium pro  
 se, vel pro alio in Romana Curia sine  
 ex-



Sæc. XVII. expressa & scripta Procuratoris sui  
A. C. 1635. Generalis licentia, incurrant excom-  
 municationem latæ sententiæ, a qua  
 nonnisi a Generali vel ejus Vicario,  
 præterquam in mortis articulo, ab-  
 solvi valeant.

## §. XIX.

*Scriptorum Religione Catholicorum  
obitus.*

*Nic. Erythr.* **E**x pluribus Catholicis Scriptoribus  
*Pinacoth III.* qui suis lucubrationibus Ecclesiam  
*p. 625.* illustrarunt, celebriores hoc anno de-  
*Andr. Bibl.* functos recensere haud injucundum e-  
*Belg. San-* rit: Hos inter eminebat Paulus Æmi-  
*marth. Gall.* lius Sanctorius Urbini Archiepiscopus,  
*Christian.* qui toto suo vitæ tempore præcipua sui  
*Alegambe* ævi fata fideli non minus quam ele-  
*Bibl. Script.* ganti narratione complecti satagebat,  
*S. J. Bibl.* præcipue in verborum parcitate, &  
*Carmelit.* rerum gestarum frequentia Cornelium  
*Echard* Tacitum imitatus. Fertur, Urbano  
*Script. Ord.* VIII. quid demum de ipso, rebusque a  
*Præd. t. 2.* se gestis scripsisset, interroganti respon-  
 disse, *Sanctissime Pater! nihil nisi quod*  
*cum veritate consentiat,* hoc autem re-  
 sponso Papam adeo offensum fuisse,  
 comminiscuntur hæretici, ut huic Hi-  
 storico Purpuram, quam eidem jam  
 destinaverat, denegarit. Ceterum e-  
 rat in reprehendis aliorum vitis  
 acu-



acutus, & cum quadam mordacitate Sæc. XVII.  
 facetus. Scripsit elegantissimo, purif- A. C. 1635.  
 fimoque stylo Sanctarum Virginum vi-  
 tas, necnon Sanctorum Apostolorum  
 Petri & Pauli res gestas unacum Hi-  
 storia Monasterii Carbonensis Ordinis  
 S. Basilii. Obiit Urbini septuaginta  
 quinque annos natus. II. Paulus Bou-  
 dotus Atrebatensis Episcopus, qui li-  
 brum adversus Marcum Antonium de  
 Dominis, necnon tractatum de Sa-  
 cramento Pœnitentiæ præter alia po-  
 sterioris reliquit. III. Benedictus Fas-  
 olinus Carthusianus patria Neapolitanus  
 edidit tractatum collectum ex S. Scri-  
 ptura. IV. Franciscus Bozius Orato-  
 ri Presbyter scripsit Annales mundi,  
 vitam B. Petri, & librum de tempo-  
 rali Ecclesiæ Monarchia. V. Theodo-  
 rus Wallæus Belga Ord. S. Augustini,  
 elaboravit suum Theatrum Divinæ  
 Justitiæ, orationes de quatuor novissi-  
 mis, orationes in laudem Sodalitatis  
 corrigiæ, & sermonem de S. Monica.  
 VI. Franciscus Moncada Hispaniæ Re-  
 gis Orator, edidit expeditionem Cata-  
 lanensium & Arragonensium contra  
 Turcas & Græcos, & Historiam Con-  
 ventus Montserratani. VII. Adamus  
 Contzen Germanus Jesuita Bellarmini  
 vindicias contra Pareum necnon libros  
 duos de pace Germaniæ, & consulta-  
 tionem

*His. Eccles. Tom. LX,*

E

tionem



Sæc. XVII. tionem de unione & Synodo generali  
A. C. 1635. Protestantium scripsit: pariter typis e-  
 didit commentaria in quatuor Evange-  
 lia, in epistolam D. Pauli ad Romanos,  
 Corinthios & Galatas præter libros de-  
 cem Politicorum. Inter Polemica au-  
 tem ejus opera recensentur. I. Jubi-  
 læum Evangelicorum & piæ lacrime  
 Catholicorum. II. Chronologia Jubi-  
 læi Evangelici. III. Coronis omnium  
 Jubilorum anno sæculari Evangelico  
 scriptorum. IV. Semen Hæreticorum.  
 V. Palma sæcularis Lutherano-Evan-  
 gelica. VI. Asinus Palmatus. VI.  
 Responsio Theologica ad problemata  
 Saxonica pro fida pace Germaniæ.  
 Obiit Adamus Monachii sexagenario  
 major. VIII. Ludovicus Turrianus  
 Hispanus ex eadem Societate, qui in  
 summam D. Thomæ commentaria Lug-  
 duni edita conscripsit. IX. De sua Re-  
 ligione bene meritum se reddidit Al-  
 phonsus a Matre Dei Carmelita Excal-  
 ceatus, qui Bibliothecam Carmelita-  
 nam, & animadversiones ad Ordinis  
 sui martyrologium, necnon tractatum  
 de S. Scapulari, ejusque favoribus &c.  
 præter Chronicon suæ Religionis re-  
 formatæ, Sanctorale Carmelitanum,  
 & denique vitam S. Joannis a Cruce  
 edidit. X. Joannes Maria a S. Joseph  
 ex nobilissima Genuensi Centurionum  
 fami-



familia itidem Carmelita Discalceatus, Sæc. XVII. A. C. 1635.  
 qui constanter recusato Hiberniæ Archiepiscopatu in publica solemnique dis-  
 putatione Joannem Statorium aliosque Socinianos devicit, confuditque, *Vid. supra*  
*l. 193. §. 10.*  
*t. 57. p. 52.*  
 uti supra memoravimus: Hic Vir Scien-  
 tia, omniumque virtutum fama illu-  
 stris præter acta disputationis præfatæ  
 conscripsit commentaria in Theologiam,  
 & Philosophiam universam, & opera  
 Ascetica quamplurima tomis septem  
 Mediolani excusa. XI. Didacus Al-  
 varez Ord. FF. Prædicatorum, insignis  
 Theologus, qui Tranensem Ecclesiam  
 per triginta annos Archiepiscopus sum-  
 ma cum laude rexit, ac Romæ crebra  
 contra Molinistas victoria inclaruit.  
 Præter alia hætenus inedita posteritati  
 reliquit commentaria in Isaiam Prophe-  
 tam, relationem actorum in disputatione  
 Jesuitica contra Theses Molinianas,  
 libros duodecim de auxiliis Divinæ  
 gratiæ, responsiones ad objectiones ad-  
 versus concordiam liberi arbitrii cum  
 prædestinatione, Historiam de origine  
 Pelagianæ hæresis, disputationes in  
 primam secundæ, & de Incarnatione  
 unacum Manuali Concionatorum. XII.  
 Franciscus Dompisus ex eodem Ordine *Vid. supra*  
 Theologus, qui acta Exorcismi de tri- *l. 191. §. 58.*  
 bus Monialibus Brigitinis facti, nec *pag. 209.*  
 non Historiam magi Aquis sextiis com- *tom. 56.*  
 busti



Sæc. XVII. busti conscripsit, in quibus tamen plu-  
A. C. 1635. ra reperiuntur ab hisce deceptis mu-  
 lieribus fabulose dicta. XIII. Baltha-  
 far Andrea Cæsar - Augustanus Juris  
 Canonici Professor, qui additionem ad  
 decretum Concilii Tridentini, tracta-  
 tum de immaculata B. Virginis Con-  
 ceptione, & genealogiam Regum Ar-  
 ragoniæ posteris reliquit. XIV. Joan-  
 nes Baptista Gramajus Protonotarius  
 Apostolicus, & Arnheimiensis Præpo-  
 situs, qui Antiquitates Flandriæ, &  
 Brabantiae, necnon libros decem Afri-  
 cæ illustratæ, Martyres Argalenses, &  
 Diarium Argalense, historiam Braban-  
 tiæ, Peregrinationem Belgicam, plu-  
 raque alia ad Belgii antiquitates spe-  
 ctantia Lovanii edidit.

## §. XX.

*Quidam Scriptores ex Protestantibus  
 hoc anno defuncti.*

*Niceron no-  
 zit. de Vir.  
 arud. t. 17.  
 pag. 208.  
 Freher.  
 Theatr. Eru-  
 dit. Relat.  
 Alph. Varg.  
 Spizel.  
 Templ. hon.  
 res.* **H**uc quoque referendi videntur ex  
 Protestantibus Scriptoribus non-  
 nulli, qui hoc anno decesserunt: hos  
 inter primus est Melchior Haiminsfeld  
 Goldastus, qui se nobili quidem ge-  
 nere ortum jactitabat, varias tamen  
 compilationes edidit, ac Magistra-  
 gistratibus & Consistoriis eo sine nun-  
 cupavit, ut ab eis stipem ipso dono  
 longe



longe liberaliorem reciperet. Plura e-  
 tiam veterum opuscula e tenebris eruit, A.C. 1635.  
 majoreque labore, quam ingenii acie  
 collegit, notisque auxit. Hæc inter  
 erant I. S. Valeriani Cimeliensis Epi-  
 scopi sermo de bono disciplinæ una-  
 cum fragmento sermonis S. Isidori de  
 Prælatiis II. S. Columbani carmina, e-  
 pistolæ & Regulæ Monachorum. III.  
 Dinamii Grammatici epistola ad disci-  
 pulum. IV. S. Basilii Cæsariensis ad-  
 monitiones. V. Tractatus Boethii de  
 moribus. Recensuit etiam Suevica-  
 rum & Alemanicarum rerum Scripto-  
 res quosdam. Præterea collegit Cæ-  
 sarum rescripta a Carolo M. usque ad  
 Rudolphum II. subjecit tamen subinde  
 annotationes, quibus Reipublicæ Chri-  
 stianæ plus nocuisse, quam profuisse  
 videtur. Paris quoque momenti est  
 ipsius Rationale adversus Baronii An-  
 nales, necnon Imperatorum decreta  
 de Imaginum cultu Denique Prin-  
 cipum Apologias pro Henrico IV. ad-  
 versus Gregorium VII. necnon replica-  
 tionem suam contra Gretserum sicut &  
 tractatus de Jurisdictione Regia a Ca-  
 tholicis editos collegit, notisque suis  
 deturpavit. Ceteræ ejusdem compi-  
 lationes potius res profanas, & ab in-  
 stituto nostro alienas spectant, quas  
 mutato nomine Melchioris Goldasti seu  
 Gul-



Sæc. XVII. Guldenast de *Haiminsfeld*, ut sibi nobilitatis famam conciliaret, edidit. Obiit A. C. 1635. ferme sexagenarius Bremæ die undecima Augusti. II. Daniel Engelhardt, qui juxta A catholicis innatam novandi pruriginem sese *Angelocratorem* nominabat. Hic explanationem in Apocalypsin S. Joannis, & Prophetiam Danielis præter alia opera chronologica, Historica, & Politico - Sacra conscripsit. III. Christophorus Schleupnerus, qui e Styria & postmodum Herbipoli ejectus, tandem Erfordiæ periit, ac posteritati reliquit Harmoniam veteris Testamenti, & confutationem Christiani de erroribus Missæ, necnon Huberianorum errorum adversus Kekenom. IV. Alexander Gill Anglus scripsit commentaria in Symbolum Apostolicum, & tractatum de Trinitatis Hypostaseon in unitate Divinitatis. V. Guilielmus Schickhardus edidit examen interpretationum hebraicarum in Genesin, Historiam Purim, Deum orbem Saracenorum, & tractatum de jure Regio Judæorum. VI. His demum accensendus venit Jacobus Reihingius, quem tamen potissimi anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, alii octavo & nonnulli hoc anno die quinta Maij obiisse referunt. Hic ex Patritia familia Augustæ anno Salutis



nobi  
 Obiit  
 unde  
 hardt.  
 vanti  
 nomi-  
 poca.  
 Da-  
 ogica,  
 nscri-  
 erus,  
 bipoli  
 , ac  
 eteris  
 stiani  
 eria-  
 num.  
 ripte  
 stoll-  
 ypo-  
 Gui-  
 men  
 Ge-  
 bum  
 ire  
 nam  
 gius,  
 nini  
 pti-  
 nno  
 Hic  
 Sa-  
 utis

Antis nostræ millesimo quingentesimo Sæc. XVII.  
 septuagesimo nono natus, Ingolstadii A. C. 1635.  
 Philoſophicis literis operam dabat, pau-  
 lopost tamen. si ex morbo, quo gravi-  
 ter laborabat, integræ valetudini red-  
 deretur, Jesuitæ togam se induturum,  
 voto pollicebatur, recuperata igitur  
 sanitate. invita & renitente Matre sua,  
 Societatem ingressus, Oeniponte Poe-  
 sin, atque Ingolstadii Philosophiam, &  
 Theologiam tradidit, supremo Do-  
 ctoris gradu decoratus: Ab eo tempore  
 tantus, tamque flagrans pro vindican-  
 da Ecclesiæ Romanæ auctoritate Zelus  
 in Reihingio enituit, ut quarto voto  
 sese obstringere permetteretur. Post-  
 quam vero Wolfgangus Guilielmus  
 Neoburgi Dux ac Comes Palatinus  
 Rhæni ejurata secta ad Catholicæ Ec-  
 clesiæ sinum reversus erat, seligebatur  
 Reihingius, in Concionatorem Auli-  
 cum, qui etiam totum ferme Ducatum,  
 ad veram fidem revocavit, ac Lutheri  
 commenta totis viribus enervare fate-  
 git: Edidit quoque Coloniae anno hu-  
 jus sæculi decimo quinto *Muros Civi-  
 tatis sanctæ* seu duodecim fundamenta,  
 quibus insistens Princeps Neoburgicus,  
 Lutheranismò abdicato ad veram Eccle-  
 siam rediit: biennio post Neoburgi pro-  
 dierunt ejusdem *Excubiæ Angelicæ*, seu  
 defensio horum fundamentorum con-  
 tra



Sæc. XVII. tra Meisnerum & Basscurtium: nec  
A. C. 1635. non *Enchiridion Catholicum* contra Ma-  
 thiam Hoe Prædicantem Saxonicum,  
 qui Reihingii libros refellere adlabora-  
 bat: cum vero ex Principis benevolen-  
 tia, amplisque ingenii, scientiæ & e-  
 loquentiæ suæ encomiis in se effusus  
 superbire, aulæque delitiis saginatus  
 luxuriari, ac muliebres amores at-  
 que illecebras experiri inciperet, co-  
 gnito salutis suæ periculo, non una, sed  
 terna vice Christophorum Grenzingium  
 Societatis Provinciam rogabat, ut  
 eum, eoquod diutius importunis  
 voluptatum blanditiis resistendo impar  
 esset, ab Aula in remotius quoddam  
 Collegium revocaret: Verum ad has  
 preces surdus semper erat Provincialis,  
 Reihingio identidem exponens, pluri-  
 mum religionis, totiusque Ducatus &  
 Societatis interesse, ut ad latus Prin-  
 cipis nondum satis in fide firmati ad-  
 hæreret. Accepta hac repulsa Rei-  
 hingius indies in pejora prolapsus, cum  
 quadam die veneri litare, ab inopino  
 supervenientibus deprehenderetur, ve-  
 recundia in desperationem versa, anno  
 Christi millesimo sexcentesimo vige-  
 simo die quinta Januarii clam Aula  
 Höchstettum, inde Wirtembergam ex-  
 cessit, transiitque ad castra illius Lu-  
 theri, cujus adultera doctrina, & verba: S



*Si nolit uxor, veniat ancilla &c.* contra Sæc. XVII.  
 hujus Evangelistæ novitates tantam A. C. 1635.

movebant nauseam stomacho Casparis Ulebergii Wittembergenfis Theologi, ut anno prioris sæculi feptuagesimo fecondo tam obfcæni confilii Magiftrum deteftatus, ad Ecclefiam Romanam reverteretur. Fertur tamen, quod Reihingius literas Principi fuo inſcriptas in menſa reliquerit, quibus eundem, ne ejus exemplo perturbatus vacillaret, hortabatur, faſſus, quod nequaquam de fidei veritate dubius, fed ancillæ voce, carniſque imbecillitate devictus ſectam ſuis deſideriis ancillantem amplecti ſtatuerit. Porro Reihingius anno ſequentis die ſecunda Januarii a Joanne Friderico Duce Wirtenbergenſi Tubinganus Theologiæ Profeſſor nominabatur, cumque ſacrilegæ apoſtatarum nuptiæ conſuetum ſint Lutheraniæ doctrinæ authoramentum ac theſſera, hinc Reihingius quoque anno ſequenti Mariam Welſeram ſibi conubio junxit, cui Epithalamii loco, nonnulli ridiculum carmen, cui titulus: *Valetudinarius Poeticus*, compoſuere. Nulli equidem labori interim pepercut Jeſuitæ, ut errantem hanc oviculam ad Chriſti ovile reducerent, & quidem primo P. Provincialis, demum Apoſtata Germanus P. Conradus Reihingius



Sæc. XVII. hingius tum Augustani Collegii Rector  
 A. C. 1635. deluso homini faniora inspirare, totis  
 viribus adlaborabant: ipse etiam su-  
 premus Societatis Præpositus Martius  
 Vitelleschus promissa delicti venia il-  
 lum ad resipiscentiam sollicitabat, qui-  
 nimo ipsemet Maximilianus Bavarie  
 Dux Henricum de Stein, Patrem Kell-  
 lerum Monacensis Collegii Rectorem,  
 & Fabrum Jurisconsultum eo sine Wit-  
 tenbergam ablegabant: ast hi omnes  
 oleum operamque perdidere; infelix  
 enim hic transfuga sectæ suæ immor-  
 tuus sexto post apostasiam anno ex  
 hydrope malus male periit: Edidit suæ  
 perfidiæ apologiam, quam *laqueos Pon-  
 tificios contritos* vocitabat, ubi inter suæ  
 defectionis causas, ut Macenatum suo-  
 rum gratiam aucuparetur, non minus  
 falsa, quam sacrilega assentatione pro-  
 ferebat, quod e Sacrarum literarum  
 monumentis Papatum firmare despe-  
 rans, Evangelii lucem ex S. Codicis  
 lectione agnovisset. Insuper contra  
 PP. Stengelium, Schaitenreisserum, &  
 Forerum Jesuitas, qui ipsum editis li-  
 bris impugnarunt, conscripsit librum,  
 cui titulus: *Aranearum operæ nunc stylo  
 dejectæ* præter Dissertationem de vera  
 Christi Ecclesia, & hujus Dissertatio-  
 nis apologiam. Retractabat etiam suum  
 Enchiridion antea contra Mathiam  
 Hoe scriptum. §. XXI.



Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

## §. XXI.

*Bellum inter Saxones & Suecos  
continuatum.*

Sub initium anni post Christum natum  
millesimi sexcentissimi trigesimali sexti  
pari studio pacis bellique consilia agi-  
tabantur; præterquam enim quod sol-  
licitante Urbano VIII. Papa Colonix a  
Principibus Catholicis, & Hamburgi a  
Protestantibus varii novæ pacis tracta-  
tus haberentur, insuper Saxonix Ele-  
ctor cum Oxenstirnio Sueciæ Cancel-  
lario rerum pacandarum media, incas-  
sum tamen, concinnabat: Christianus  
quoque Daniæ Rex missis Viennam  
Legatis controversiam de Bremensi  
Archiepiscopatu componere studuit,  
nec sine prospero conatus sui successu;  
quippe Cæsar Friderico Holsatiæ Duci  
ejus Filio hunc Archiepiscopatum se  
indulturum promisit, ea lege, ut rem  
Catholicam ibidem ad statum, in quo  
erat anno hujus sæculi vigesimo sexto,  
revocaret, pacique Pragensi subscribe-  
ret. Sub idem tempus Eberhardo defuncti  
Wirtembergici Ducis Filio reconcilia-  
tio promissa est, dummodo acceptata  
præfata pace Ecclesiasticis sua bona per-  
petuo jure assererentur: Has ipsas in-  
ter pacis tractationes inter Saxones &  
Sue-

*Khevenh.  
Annal.  
t. 12. p. 196.  
Jäger. Hist.  
Eccl. 1.6. c. 1.  
Brachel.  
Hist. 1.5.*



Sæc. XVII. Suecos non minus animorum averſio-  
 nes, quam armorum apparatus inca-  
 luere; quippe nec hos nupera clades  
 ad diſceſſum e Germania, nec illos  
 victoriæ gloria ad cedendum permo-  
 vere poterat: Suecos enim ultionis cu-  
 pido, Saxones vero amplioris progres-  
 ſus fiducia ad inſtaurandas vires acro-  
 re, quam unquam, ſtimulo accende-  
 rat. Præprimis igitur Joannes Ban-  
 nerus Suecici exercitus Dux, poſtquam  
 Saxonix Electorem viginti quinque Cæ-  
 ſareo-Bavaricorum millibus, Ductore  
 Hatzfeldio, necnon Georgii Haſſix  
 Landgravii ſuppetiis auctum comper-  
 rat, ſubita irruptione Saxoniam multo  
 crudelius, quam antea inſeſtavit, Ele-  
 ctorem e Pomerania, quo Stargardia  
 a Cæſareis expugnata, Saxo tendebat,  
 revocaturus: capto demum Werbenia-  
 no munimento plurimas urbes, vicos-  
 que apud Havelam & Salam ſitos mi-  
 ſere deprædatus eſt, incumbente autem  
 Saxone non una clade affectus relicta  
 Hallenſi urbe Magdeburgum auſugere  
 compellitur, qua tamen urbe Suecis e-  
 repta, occupatiſque Havelberga &  
 Brandeburgo Saxones a Cæſareis adju-  
 ti Bannerum inſeſtabantur. Hic vero  
 ſociatis Leſlæi copiis ad caſtellum Wer-  
 benſe progreſſus, die vigesima quarta  
 Septembris hoſtem aggredi ſtatuit:

Jam



Jam prope Widstochium utraque acies Sæc. XVII.  
 in conspectu erat, cum Cæsarei in A. C. 1635.  
 dextrum Suecorum cornu tam ferociter  
 irraerent, ut pugna ad seram usque  
 noctem protracta, Leslæi copiæ iteratis  
 impressionibus fatigatæ ad fugam incli-  
 narent, ac victoriæ palmam Saxonibus  
 cederent. Quod ubi Bannerus con-  
 spexit, mox alam finistram in medium  
 belli discrimen transfert, præliumque  
 restituit. Tum vero acerrime dimica-  
 tur, tandem vero fundendi sanguinis  
 finem non remissus vincendi ardor,  
 sed concubia nox imposuit. Vicerat  
 neutra pars, dum neutra ex arena ces-  
 sit: victoria tamen a nonnullis accla-  
 matorum Suecis, eoquod his priores  
 inde moverint Cæsareo - Saxonici: de  
 cetero æquata utrinque strages: Altera  
 die Elector sublatis signis peditatum  
 Werbenam transmisit, equitatu Albin  
 transvadente: Instabant Sueci, cæsis-  
 que nonnullis, Cæsareos quindecim  
 vexillis exuunt, & Bannerus capto  
 Werbenfi Castello, ut ultionem latius  
 circumferret, unacum Joanne Uran-  
 gelio in Marchiam Brandeburgicam  
 effunditur, eamque fœde devastat, non  
 alio tam sævæ ultionis obtentu, nisi  
 quod Elector Brandeburgicus Pragenfi  
 paci subscripsisset, & desuper a Sueciæ  
 Regina objurgatus, responderit, om-  
 nibus



Sæc. XVII A. C. 1635. nibus notum esse, quod Sueci sub spe-  
 cioso Germaniæ Protestantibus succur-  
 rendi obtentu nonnisi res suas augere  
 solliciti, Brandenburgicum Electoratum  
 retenta etiam Pomerania, devastarint.  
 Paulopost Bannerus cum exercitu suo  
 Thuringiam invasit, atque Erfordien-  
 ses, eoquod Suecorum præsidium ad-  
 mittere recusarent, acriter pressit, tan-  
 dem vero extorta ingenti pecuniarum  
 summa Cyriacensem arcem insedit, cæ-  
 sisque Saxonibus Barbium una cum  
 arce expugnavit, omnemque Ultra-  
 lanam Provinciam, & Halberstatensem  
 Episcopatum gravi ære multavit, nec  
 non Hamburgensibus Mercatoribus ex-  
 spoliatis, denique Namburgensem ci-  
 vitatem militum deprædationi, matro-  
 narum & Virginum corpora stupris, &  
 templa ludibriis exposuit, non alia ex  
 culpa, nisi quod cives rebelles, id est,  
*Cæsari fideles* fuissent.

## §. XXII.

*Varia belli fortuna in Hassia &  
Westphalia.**Annal. Boic.**Adlxr. t. 3.**part. 3. l. 21.**Priorat.**Hist. Ferd.**part. 1. l. 10.**leBlanc.Hist.**de Bavier.**tom. 4.*

Nec magis certa erat belli fortuna in  
 Westphalia; quamvis enim Gui-  
 lielmus Hassiæ Landgravius, repudiata  
 pace Pragensi, Suecis junctus, Hano-  
 viam urbem a Cæsareis ad extrema  
 pene



Sæc. XVII.  
A. C. 1635.

pene redactam obsidione liberasset, in-  
de tamen a Gæzio Duce Cæsareo non  
sine clade in Westphaliam & Frisiam  
usque repellebatur; cum vero his Pro-  
vinciis ingentem inferret vastitatem,  
Gæzius vicissim Hassiam pene totam  
depopulatus, mox in Westphaliam se-  
se infudit, ejectisque Hassicis præsi-  
diis Padebornam, Sufatum, Tremoniam,  
Dortmundam, aliasque urbes rapido  
victoriarum cursu sibi subegit: sub  
idem quoque tempus Lautershemius  
Cæsaris Tribunus Kniphusium Ducem  
Suecicum prope Osnabrugum adorsus,  
ad prælii necessitatem compulit, eo-  
que plumbea glande trajecto victoriam pe-  
ne in manibus habuit, desperatione  
tamen Suecorum animos acuate, hi  
tanta vi in Cæsareos irruerunt, ut solu-  
tis ordinibus in fugam eos agerent, &  
mille trecentos trucidarent, capto ipso  
met Lautershemio. Verum brevi Gæt-  
zius & Beckermanus Hassos levi hac  
victoria exultantes oppressere, capto-  
que Verdeni arce, necnon cæsis qua-  
tuor hostium turmis, universum Has-  
sorum exercitum e Westphaliæ finibus  
exterminarunt, ac cis Visurgin cedere  
compulerunt, ubi tamen ab insequente  
Gæzio & Polonis rursus cæsi, in fu-  
gam acti, & quatuor vexillis, omni-  
busque impedimentis exuti fuere. In-  
terim



Sæc. XVII.  
A. C. 1636.  
terim Cæsarei Osnabrugum interclusa  
omni commeatu libertate, arcte pre-  
munt, civesque incautius erumpentes,  
Suecis fuga dilapsis, cum ingenti cla-  
de repellunt, Leslæus autem tempe-  
stive accurrens, capta Mindensi urbe  
Osnabrugum obsidione liberavit.

## §. XXIII.

*Judicium de belli Gallici adversus  
Cæsarem justitia.*

*Recueil des  
traités de  
confœd.  
pag. 117.  
Jæger. Hist.  
Eccl. l. 6. c. 3.*

Quamvis Ludovicus XIII. Franciæ  
Rex priori anno die vigesima oc-  
tava Aprilis armorum societatem cum  
Sueciæ Regina initam, hoc item anno  
die vigesima Martii Wismariæ, & apud  
S. Germanum in Laya confirmasset, ni-  
hilominus singulare fœdus cum Ber-  
nardo Vinariensi Duce, & cum Gui-  
lielmo Hassiæ Landgravio Vefaliæ die  
vigesima prima Octobris contra Cæsa-  
rem iniit, eidemque in defectionis  
præmium Alsatiam, licet Cæsarei, non  
vero Gallici imperii fuisset, articulo  
tertio, qui inter secretos habebatur,  
pollicitus est. Enimvero Rex in cun-  
ctis hisce fœderibus caveri voluit, ut  
*Catholici libero suæ Religionis exercitio &  
reditibus, uti ab anno Christi millesimo  
sexcentesimo decimo octavo possedissent, sine  
impedimento ac molestia fruantur, explo-  
rata*



Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

plorata tamen Protestantium bonis Ec-  
clesiasticis inhiandi cupiditate, necnon  
comperto eorum in Catholicos odio,  
non deerant, qui hæc Gallorum cum  
Protestantibus foedera, necnon hosti-  
lem Hispanæ Austriacæque Domus in-  
vasionem tanquam Rei Catholicæ sum-  
mopere perniciosam, ac omnino in-  
iustam editis palam scriptis suggillarent:  
Hos inter haud infimus erat Cornelius  
Janſenius, qui sub ementito nomine  
Alexandri Patritii Armachani, librum,  
cui titulus: *Mars Gallicus* edidit. Re-  
gemque Gallum, etsi Christianissimi  
titulo gaudeat, impia arma ferre, de-  
monstrare satagens, præcipue Basia-  
nom Arroysum, abjectum Assentato-  
rem Gallum resellere aggressus est, eo-  
quod hic ad honestandam Gallicam  
hanc invasionem propugnare præsum-  
pisset, quod Regis foedera cum Pro-  
testantibus inita tanquam *nobile Gallo-  
rum stratagema* eo spectent, ut potissi-  
ma Europæ Regna, in quæ omnia ex  
Caroli M. successione Reges Franciæ  
firmum jus haberent, ab injustis usur-  
patoribus repetere valeret. Porro cun-  
ctas insulsi hujus Parasiti rationes Jan-  
senius valide confutabat, luculenter  
demonstrans, quod foedera cum Aca-  
tholicis, quæ in fidei atque Ecclesiæ  
Catholicæ detrimentum tendunt, juri  
*Hist. Eccles. Tom. LX.* F Divi-



Sæc. XVII. Divinæ, Naturæ & Gentium adver-  
 A. C. 1636. sentur, inter alia quoque Jansenius  
 gravi sermone hæc addit: *Ausim dicere,*  
*majorem esse belli Germanici contra Casar-*  
*rem, quam turcici impietatem, scditionem*  
*in Christiana sacra profanationem, effrenio-*  
*rem in Ecclesiasticos, & canobia Licen-*  
*tiam. Turca cæcus avaritia Libertatem*  
*religionis, quam invenit, servat; nullibi*  
*majus, quam sub ipso, adversus hæreses præ-*  
*sidium. Et paulopost, hoc omnibus Se-*  
*culis experta est Ecclesia, sub paganis, &*  
*gentilibus meliorem esse Christianorum for-*  
*tem, quam sub hæreticis.*

Fertur quoque, quod Jansenius in  
 lucubrationis hujus præmium anno  
 priori eadem die vigesima octava Octo-  
 bris, qua natus erat, a Philippo Hi-  
 spaniarum Rege ad Yprensem Episco-  
 patum nominatus, hocque anno con-  
 secratus fuisset. Ut ut autem hoc  
 fuerit, id omnino certum est, quod  
 Jansenii rationes præpedire haud po-  
 tuerint, quin Scriptores Galli ejus-  
 modi fœdera omnino fuisse licita de-  
 monstrare, idque pluribus ex S. Co-  
 dice, & Historia tam sacra quam pro-  
 fana allatis exemplis defendere nite-  
 rentur; sic, inquiebant, David cum  
 Achi Rege contra Saulem, Aza Judææ  
 Rex cum Benadad Syriæ Rege adver-  
 sus Reges Israel, Constantinus cum  
 Go-



Gothis, Bonifacius Comes cum Wan-  
 dalis, Narfes Eunuchus cum Longo-  
 hardis, Arcadius Imperator cum Isdi-  
 garde Perfarum Rege, Heraclius cum  
 Sarracenis, Basilius & Constantinus  
 cum Ostelzio Sarraceno, Henricus, &  
 Fridericus itidem cum Sarracenis con-  
 tra Gallos, Ludovicus Sfortia Medio-  
 lanensis Dux cum Bajazete, Maximi-  
 lianus Austriacus cum Turcis, Fran-  
 ciscus I. Rex Galliae cum Angliae Rege  
 & Turcis contra Carolum V, Paulus IV.  
 Pontifex cum Lutheranis contra Albam  
 Ducem & Hispanos foedus pepigere,  
 quin iniustitiae arguerentur.

Interim Ferdinandus Imperator e  
 contrario scriptum promulgari iussit,  
 quo belli contra Gallum moti iustitiam  
 demonstratum ibat, atque inter caus-  
 as praecipuas adducebat, quod Galliae  
 Rex violata belli Mantuani pacificatio-  
 ne Ratisbonae conclusa cum Caesaris  
 & Imperii hostibus colluderet, cum  
 Suecis & Protestantibus contra Cae-  
 sarem foedera iniisset, illosque armis, pe-  
 cunia & militibus juvaret, ac denique  
 Imperii urbes & praecipue Lotharin-  
 gam vel ipse invaderet, vel auro ex  
 hostium manibus redemptas suis pra-  
 edictis non sine magno Imperii, liberta-  
 tisque praepudicio firmaret.

F 2.

§. XXIV.



Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

§. XXIV.

*Gallorum expeditio in Alsatia.*

*Barre hist.*  
*d'Allemagne*  
*Calmet Hist.*  
*Univerf.*  
*l. 151. §. 153.*  
*Ferrer. cont.*  
*Hist. Hisp.*  
*tom. 12.*

Denuntiato utrinque bello, cum Joannes de Werth Bavari exercitus Dux Gallos uno anno plusquam octonis vicibus fudisset, Ludovicus Cardinalis Valeta, Vir armis magis, quam Ecclesiasticis rebus idoneus, unacum Bernardo Vinariensi Duce cum valido exercitu in Alsatiam movit, & Tabernas arte pressit. Præerat huic urbi Mulheimius Cæsareus Ductor, animi magnitudine, rei que militaris scientia longe præstantissimus. Hic quaternis Gallorum impressionibus strenue repressis, Vinariensem ad solvendam obidionem compulisset, nisi Gallassus Comes tempestive suppetias ferre a Polonis fuisset prohibitus; cum enim hi mota seditione sine Ducum suorum mandato Rhenum trajecissent, eorumque Præfecti, alias imperare soliti, tum intentatæ mortis metu militum jussa exequi cogerentur, Galassus haud ultra tempestive laboranti urbi succurrere valuit: unde die vigesima nona Junii Mulheimius re ad extrema deducta, deditionem honestis conditionibus peractus est, civibus incendium, urbisque deprædationem triginta octo floren-

rum



rum millibus redimere coactis. Post-  
modum Valeta collecto recenti milite

Caesareos ab Hagenoæ & Drusenheimii  
obfidiōne depulit. Minus vero prospere  
Condæo Principi successit in Burgun-  
diæ Comitatu Dolanæ urbis obsidio;  
quamvis enim assidua tormentorum ex-  
plosione ædes in rudera, & mœnia in  
faxorum congeries convertisset, nihilo-  
minus invictam obsessorum fortitudi-  
nem frangere haud poterat; horum e-  
nim animos non modo Bisuntinus Epi-  
scopus suis hortationibus, sed præci-  
pue Lombrius & Carolus Lotharingiæ  
Dux, qui cum valido exercitu accur-  
rerant, ad tantam vincendi ac vindic-  
candi aviditatem accenderunt, ut Lo-  
tharingii & Burgundiones deficiente  
pulvere pyrio, glandibusque plumbeis  
Gallos saxis propellerent, eosque desi-  
deratis suorum aliquot millibus ad sol-  
vendam obsidionem cogerent: Hoste  
digresso obsessi non modo ingentem  
belli apparatus in Gallorum castris, sed  
& magnam cibariorum copiam, unde  
milites inedia pene enecti abunde re-  
fici poterant, occupabant.

Postea Galasus Lotharingiæ Duci  
iunctus unacum quadraginta equitum  
peditumque millibus in Burgundiam  
latius penetrabat, tot tamen itineris  
molestias perpeffus, ut magis cum  
luto.



Sæc. XVII. luto, & undis, quam cum hoste luctari  
 A. C. 1636 coactus, plusquam septem suorum mil-  
 lia amitteret: tandem vero post mu-  
 tuas velitationes vario Marte commif-  
 sas Mirablæum exeunte Mense Octobri,  
 pervenit, hocque oppidum, cum dedi-  
 tionem negaret, incendio delevit, ar-  
 cem vero honestis conditionibus cepit:  
 promotis inde castris Laudonam urbem  
 ad Somnæ litus sitam cinxit, cum vero  
 obsessi validis suppetiis aucti identidem  
 erumperent, atque ex assiduis pluviis  
 flumen novis undarum accessionibus  
 adauctum non minus quatuor millium  
 passuum spatio exundaret, imo ipsa etiam  
 valla & aggeres, castra, bellicque tor-  
 menta tanquam in naufragio fluctua-  
 rent, nilque restare videretur, nisi ut  
 milites longa fatigatione, innumeris-  
 que molestiis confecti una omnes peri-  
 rent, hinc Galassus inedia, rerumque  
 omnium inopia pressus conclamatis va-  
 sis cum laceri exercitus sui reliquiis a  
 Burgundiæ finibus excessit, transmis-  
 soque Rheno in Germaniam reversus est,  
 gloriosior absdubio futurus, si ei cum  
 solis Gallis, non item cum fame & cæ-  
 lo conflictandum fuisset.

## §. XXV.

*Cæsarei atque Hispani in Gallias cum  
 exercitu effusi.*

Interea



Interea Ferdinandus Cardinalis, Thomas Sabaudiae Dux, necnon Gallus Comes ex altera Galliarum parte, quae Belgium spectat, cum quadraginta armatorum millibus Picardiam invasere, ac praecipuis die octava Novembris Ferdinandus Capellum quinque dierum obsidione subegit, & Guisina, Veninaque expugnatis, quicquid est regionis inter Somonam & Oysam, Royam, Corbeium, Castellatum, pluresque alias urbes nullo ferme negotio in suam redegit potestatem, incassum victoriae cursum morante Suessionensi Comite. Hunc enim Joannes de Werth paulopost assecutus, fuis duobus Gallorum millibus ceteros Noviomum usque in fugam egit, caesisque quingentis, captoque Boniveto Marchione cum aliis sexcentis ad ipsa Parisinae Metropolis mania copias tantumque terrorem circumtulit, ut plurimi primae nobilitatis inde Aureliam, alioque profugerent. Ludovicus ergo Galliarum Rex tot undique invadentium hostium strepitu excitus, omni, qua potuit, celeritate quinquaginta duo Nobilium, plebæiorumque millia contraxit, hosteque ultra Somonan repulso Royam, aliaque nonnulla oppida, ac denique etiam post bimestrem obsidionem Corbeium recuperavit, quam urbem

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

Calmet l. c.  
Ferrer. cont.  
Hist. Hisp.  
cap. I. t. 12.



Sæc. XVII. bem Richelius Cardinalis sexto post de-  
A. C. 1636. ditionem die victor ingressus est. Inde  
 Rex Hispanos in Belgium & hiberna  
 rejecit, Cæsareos vero non clade, sed  
 fame ad incitas redactos reverti  
 compulit.

## §. XXVI.

*Leodiensium turbæ.*

*Lotich. rer. Germ. part. 2. l. 30. Jæger. hist. Eccl. l. 6. c. 6.* Sub idem ferme tempus turbæ satis  
 periculosæ Leodii fuerunt exortæ;  
 cum enim Ernestus Colonienſis Archi-  
 episcopus Consules eligendi potestatem  
 sub annum hujus sæculi tertium a Pa-  
 triciis ad populi Tribus transferret, in-  
 nato vulgi vitio, quod ex insperata di-  
 gnitate semper luxuriat, bellum ex se-  
 ipsis mutuas per discordias & litigia  
 sufflabatur: mox enim novi hi dictato-  
 res in factiones sectasque scissi in an-  
 nuis Consulium comitiis nil nisi seditio-  
 nis verbosisque jurgiis, altercationibus  
 & rixis, mutuisque criminationibus  
 inter se pugnare videbantur, quocirca  
 Ferdinandus Archiepiscopus rursus  
 comitorum jus a populo ad Patricios  
 autoritate Cæsarea revocavit: anno  
 autem hujus sæculi vigesimo nono po-  
 pulus prioris autoritatis dulcedine  
 plectus, exclusis honoratoribus, Con-  
 sules novos ex rudiore plebe eligebat:  
 inde



inde vero annuæ seditiones, & tumultus, urbsque in duas scissa factiones, scilicet Patriciorum, & plebeiorum. Hi autem numero viribusque priores prævalebant, ac plebeios semper Consules creabant: Præterea Gallorum rebus contra Cæsarem studere videbantur: ut ergo graviora mala ex clandestinis eorum consiliis oritura tempestive præpedirentur, jussu Cæsaris, inscio tamen Maximiliano Electore Bavaro, Joannes de Werth cum legionibus aliquot Cæsareis Leodiensem ditionem ingressus, in hibernas stationes recipi postulavit; cum vero cives non modo repulsam darent, sed & sumptis armis Cæsareos, cæsis ferme quadringentis, repellerent, Werthius Mosam amne ad Maleccam trajecto late prædas egit, propiusque ad urbem copias suas admovit, extrema quævis denuntians, nisi sese Cæsari submitterent. His tamen Leodienses minime territi, Lotharingæ Ducem cum auctiore exercitu advolantem ad obsidendæ urbis necessitatem adegerunt; unde civium opulentiores Namurcum, inque alia tutiora loca sese cum rebus suis receperunt: Diu tenuit hæc obsidio, minore civium damno, quam agrestium, qui ingentibus incommodis afflictabantur. Tandem vero Lotharingæ Duce cum suis

F 5

Leo-

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.



Sæc. XVII. Leodio Dolam digresso, Joannes de  
 A. C. 1636. Werth obsidionem solvit, ac demum  
 Cæsar per Joannem Ludovicam Nassoviam  
 Comitum, Ferdinandus vero Hispanus Belgii  
 Gubernator per Marchionem Ledanum  
 dissensionis componendæ arbitros egerunt,  
 quorum etiam opera Leodienfes omne obsequium  
 Cæsari ac Principi suo polliciti sunt, dum-  
 modo salvis eorum privilegiis deinceps ab  
 insuetis exactionibus, hibernis aut  
 hospitibus, necnon ab hujus anni censu,  
 quem ob hostiles Werthenfis depopulationes  
 solvendo impares essent, immunes haberentur.  
 His igitur conditionibus admisis, & utrinque  
 firmatis tandem gravis hæc discordia ad  
 tempus extincta est.

## §. XXVII.

*Bellum in Italia inter Hispano-Cæsareos, & Gallos.*

*Hist. del Galeazzo. Gualdo lib. II.  
 Brusson.  
 Hist. d' Ital. l. 4. Nani  
 Hist. Venet. lib. 10.*

Hoc item anno bellum in Italia majore, quam antea, furore gestum est; postquam enim Rohanæus Dux Venetiis, quo post Rupellensem cladem aufugerat, a Ludovico Galliarum Rege evocatus, cæsis Hispanis Cæsareisque Valtellinam Gallico imperio vindicaverat, victricia sua arma in Italiam transferre jubebatur, inde pariter Cæsareos



fareos propulsurus. Incurrebat infu- Sæc. XVII.  
 per Gallorum odium Franciscus Muti- A. C. 1636.  
 næ Dux, pro hoste habitus, eoquod  
 Gallico fœderi accedere recufans, co-  
 pias suas Hispanis junxiffet: Eapropter  
 adversus hostiles Villæ Sabaudi Mar-  
 chionis necnon Odoardi Parmensis Ducis  
 invasiones, Jacobi Guzmani Lega-  
 nensis Marchionis, Mediolanensis Gu-  
 bernatoris opem implorare compelle-  
 batur: horum suppetiis auctus, Parmen-  
 sem unacum copiis suis e Mutinensi di-  
 tione expulit: Leganesius quoque in  
 Parmensi Ducatu cis Padum, & Hi-  
 spani in Piacentina & Pedemontana di-  
 tione plures occuparunt urbes. Ho-  
 rum victoriis territus Sabaudiæ Dux,  
 unacum Crequio Belliduce Gallo in  
 Mediolanensem Ducatum irrumpens,  
 incensis pluribus oppidis, occupatisque  
 circumvicinis Urbibus Mediolanum ex-  
 pugnare parabat, civibus vero a Tri-  
 vultio Cardinale & Archiepiscopo ad  
 strenuam defensionem animatis, Cre-  
 quium cum valido Gallorum agmine  
 Ticinum trajicere iussit, quem tamen  
 Leganesius prope Buffarolam affecutus,  
 die vigesima tertia Junii toto impetu  
 aggressus est. Concurritur utrinque  
 invicta vincendi aviditate; jamque in  
 sextam diei horam, cum diluculo cæ-  
 pta, dimicatio prorogatur. Tum penes  
 Hispanos



Sæc. XVII. Hispanos siue controversia stabat sum-  
 ma victoriæ. Sed tanta erat Gallorum  
 pertinacia, tam infracta virtus, ut ne  
 victi quidem palmam concederent, do-  
 nec tandem densa nox utrumque exer-  
 citum prælio ad alias septem pene ho-  
 ras protracto exemisset. Discessum ita-  
 que æquato pene decore ac clade, nisi  
 quod postmodum dissensione inter Sab-  
 audix Ducem, & Crequium invale-  
 scente, ac certatim alium alio velut in-  
 fausti certaminis causam criminante,  
 Hispani in Pedemontium, & Parmen-  
 sem Ducatum libere sese effundendi co-  
 piam nacti fuissent.

Ferventibus hisce tumultibus, Ur-  
 banus Papa magno curarum æstu Ita-  
 liæ pacem reddere adlaborabat, ac pri-  
 mo quidem, ut Mutinensem & Parmen-  
 sem Duces inter se conciliaret, Me-  
 linium Foro - Corneliensem Episcopum  
 ablegabat, non sine prospero successu,  
 quippe Papæ monitis acquiescens Mu-  
 tinæ Dux positis armis potissimam exer-  
 citus sui partem sacramento solvit; pari  
 quoque promovendæ reconciliationis  
 studio accendebatur Ferdinandus He-  
 truriæ Dux, qui propriæ suæ securitati  
 intentus, Parmensem Ducem a bellica  
 Gallorum societate avertere, totis viri-  
 bus nitebatur. Die autem vigesima  
 sexta Martii Couvrius Marchio Fran-  
 ciæ



cia Legatus Romam venerat, hæc a Sæc. XVII.  
 summo Pontifice efflagitans. I. Regiæ A. C. 1636.  
 classi in Centum - cellæ portum inve-  
 here, & II. Decimas ex bonis sacris  
 in universo Regno ad belli expensas col-  
 ligere, Regi liberum fit. III. Neapo-  
 litano militi transitus ad Mediolanen-  
 sem ditionem denegatur. IV. Cardi-  
 nalis Valeta deinceps stipendia sub Gal-  
 lorum signis facere, non prohibeatur.  
 Verum Pontifex respondit, quod Re-  
 gis transitum concedere, aut Neapoli-  
 tans denegare sine Cæsaris Hispanique  
 Regis offensione haud possiet, decimæ  
 vero non nisi ad bella contra Infideles  
 concedendæ forent, ac denique Valetæ  
 negotium sacri Collegii iudicio relin-  
 quendum. Cum vero Franciæ Rex  
 nihilominus bellum toto ardore prose-  
 qui statuisset, proin & Hispani vices  
 repensuri Parmensem ditionem infestare  
 pergerent, hinc summus Pontifex pa-  
 cis negotium pro viribus promoturus,  
 per Melinium Nuntium suum Serbello-  
 nio & Leganesio Hispanis Ductoribus  
 præcepit, ut nulla mora ex Parmensi  
 Ducatu utpote Sedis Apostolicæ feudo  
 copias suas educerent, Duci vero da-  
 tis literis mandavit, ut ex alienis di-  
 tionibus militem suum se evocasse in-  
 tra unius Mensis spatium scriptotenus  
 testaretur, secus Parmæ & Piacentiæ  
 Duca-



Sæc. XVII. Ducatus primo occupanti essent relin-  
A. C. 1636. quendi. Acriter de hoc mandato apud  
 Pontificem querebatur Etræus Gallici  
 Regis Orator, inclinatis tamen Gallo-  
 rum rebus Ludovicus Rex Ducem sibi  
 fœdere junctum tum nil nisi vagis pro-  
 missis juvare poterat, aliunde vero  
 proxima Metropolis suæ expugnatio ab  
 Hispanis intentata, imminensque ex-  
 inde exitium suum, necnon suæ uxoris  
 lacrimæ, & subditorum calamitates  
 sensim bellicosi Ducis ferociam tanto-  
 pere temperabant, ut proniores ad pa-  
 cem aures præbere videretur: Instab-  
 ant igitur Pontificis nomine Ambro-  
 sius Carpegna, & Dominicus Paudol-  
 fus ex parte magni Etruriæ Ducis, qui  
 Hispanos inter & Ducem concordiam  
 reddebant, ea lege, ut Dux rescisso  
 Gallico fœdere, dimissisque Franciscis  
 præfidiariis in pristinam amicitiam cum  
 Hispanis rediret, ac vicissim Mediola-  
 nensis Gubernator restituis, quæ oc-  
 cupasset, locis ex Parmensi & Piacen-  
 tina ditionibus Hispanos milites educe-  
 ret. Firmatis hisce pactis saltem inter  
 Hispanos, & Parmenses non sine sum-  
 mo populi jubilo pax restituta est.



## §. XXVIII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.*Concordiæ pacta inter Ferdinandum  
Cæsarem & Turcarum  
Imperatorem.*

Anno priori Ferdinandus II. Imperator, firmata pace Pragensi, pariter stabilita cum Turcis concordia obsequentibus tranquillitatem reddere, rebellibus vero validiora arma opponere satagit: hanc in rem Joannem Rudolphum Buchheimii Comitem Constanti-nopolin ablegabat, qui die trigesima Martii in urbem solemni pompa delatus querebatur, quod Turcæ & præcipue Budensis Bassa insuperhabitis nuperæ pacis articulis omnem opem Suecis, aliisque Cæsaris hostibus offerant, varia oppida Christianis eripiant, alia in Hungariæ finibus muniant, subditos immodicis tributis, & donationum extractionibus exhauriant, necnon in Catholicorum ditiones excurrant, secumque foeminas, infantesque abstrahant: Petebat insuper Legatus, ut deinceps Cæsareis Nuntiis liber transitus permittatur, nec eorum literæ aperiuntur: Injunctum quoque eidem, ut adversus Franciæ Oratorem reclamet, quod Regis sui nomine titulum *Protectoris Religionis Catholicæ, ac Orientalis*

*Priorat. hist.  
Ferd. II.  
part. I. l. 9.  
Khevenh.  
annal.  
p. 1954.*



Sæc. XVII. lis Ecclesie sibi attribui, necnon Monasteria in Ottomanico Imperio & Tartaria præcipue Jerosolymis nonnisi a Gallicæ Nationis Religiosis incolæ postulasset. Cunctis hisce Cæsarei Legati petitis Amurates Imperator annuit, decretoque Viennam Prisarvo Bassa petiit, ut missis utrinque Deputatis Væzii in proximo conventu ceteræ componerentur controversiæ.

## §. XXIX.

*Ragotsii Transylvaniae Principis bellum contra Bethlenium.*

*Joan. Bethlen. rer. Transylv. lib. 1. Khevenhill. Annal. Ferd. tom. 12. p. 2146. Brachel. Hist. temp. lib. 5. Pannon. bell. & Pac. part. 1. p. 374. Ortel. contin. Chron. Hung.*

Tandem veteres Ragotsium inter & Bethlenium simultates in apertum prorupere bellum; Georgius enim Ragotius, postquam Transylvaniae Principatum conciliatis Procerum suffragiis, excluso Stephano Bethlenio, sibi soli vendicaverat, unice eo intentus erat, ut universam Bethleniorum familiam penitus extirparet: nec ad id varii deerant obtentus; cum enim David Zalamius Stephani Gener duo circiter Hungarorum millia pro Suecis contraxisset, Ragotius Bethlenios imperio imminere suspicatus, fulis hisce copiis Zalamium in carceres conjecit, & Petrum Bethlenium Stephani Filium sub obtentu perpetrati homicidii dire



infectatus est: inde vero exacerbatus Sæc. XVII.  
 Pater, clam e Transylvania Budam se- A.C. 1636.  
 cessit, ac Turcarum Imperatoris opem  
 adversus iniquas Ragotsii oppressiones  
 efflagitavit. Nec vanæ erant Bethlenii  
 preces; mox enim bellum contra Ra-  
 gotsium Constantinopoli denuntiatur,  
 missisque viginti quinque Turcarum  
 millibus Budensi Bassæ, ut nulla mora,  
 revocato in Transylvaniam Bethlenio,  
 inde Ragotsium armis expelleret, de-  
 mandatur. Ragotsius igitur cognita  
 Turcarum perfidia a Ferdinando Cæ-  
 sare auxiliares copias petiit, quibus  
 submissis Budensem Bassam, qui una-  
 cum Bethlenio Varadinum versus mo-  
 verat, prope Szalontam oppidum ag-  
 gressus, ductore Sigismundo Cornisio  
 hostem fudit, fugavitque, cæsis Tur-  
 carum plusquam mille quingentis, ac  
 totidem ferme aqua haustis; occubue-  
 re etiam Calloviensis, & Bosnaniensis  
 Bassæ, ipse quoque Bethlenius in Thra-  
 ciam usque rejectus est, captis insuper  
 pluribus Turcicorum Equitum Tribu-  
 nis. Tandem Budensis Bassa collecto  
 ex fuga exercitu Lippæ castra metabat-  
 ur; Ragotsio autem Principe prope  
 arcem Jeneiensem aciem ordinante,  
 Bassa semel atque iterum gravi clade  
 prostratus, devastatis plusquam mille  
 Turcarum urbibus, pagisque, ex Tran-  
 sylv.



Sæc. XVII. sylvania aufugit, ab Amurate Otto-  
 A. C. 1636. mano Imperatore ob infaustum huius  
 belli successum laqueo suffocatus: De-  
 mum annuente eodem Imperatore per  
 Legatos mutuum foedus inter Ragot-  
 sium & Bethlenium est innovatum,  
 cunctaque eidem suisque bona fuere  
 reddita, quin tamen sincera unquam  
 amicitia inter eos coaluisset.

## §. XXX.

*Ferdinandus III. in Cæsarem Ratis-  
 bonæ renuntiatus.*

*Hist. Eccl.*  
*Jäger.*  
*p. 560.*  
*Brachel.*  
*Hist. temp.*  
*p. 257.*  
*Priorat.*  
*Hist. Fer-*  
*dinand. II.*  
*p. I. Annal.*  
*Khevenh.*  
*com. 12.*  
*p. 1880.*

Magis sincera erat pacem reddendi  
 voluntas in Ferdinando II. Cæsare,  
 qui, ut turbulentis hisce temporibus  
 Imperio prospiceret, Ratisbonam Ele-  
 ctorum comitia ad quintam Septembris  
 diem indixit: ipse vero die septima  
 Augusti eo adventans, Saxonæ Ele-  
 ctorem, ut ipse interesse vellet, datis  
 literis vehementer, incassum tamen,  
 sollicitabat. Intererant tamen ejusdem  
 Oratores, præter Bavarix, Moguntix,  
 & Coloniae Electores, & Brandebur-  
 gicos Legatos. His die decima tertia  
 ejusdem Mensis scriptotenus Cæsar  
 exposuit, quod ipse sub gravi hæctenus  
 Imperii & curarum onere ad tantam  
 paulatim virium, ac valetudinis imbe-  
 cillitatem devenerit, ut diutius tanto  
 pon-



ponderi ferendo impar esset; quocirca Sæc. XVII.  
 cuperet atque exoptaret, ut Electores A.C. 1636.  
 sibi de socio laborum, & Imperio de  
 Romanorum Rege prospicerent: cum  
 id non minus ad Cæsaris solatium, &  
 levamen, quam ad Imperii tranquili-  
 tatem pertineret, eoquod nil luctuo-  
 sius accidere posset, quam si hoc tur-  
 batissimo rerum statu Imperium sine  
 Rectore, sine Capite relinqueretur.  
 Nec diu hæsitandum foret, quisnam  
 ad hoc fastigium evehendus sit, cum  
 Deus Cæsari Filium dederit, jam  
 Hungariæ & Bohemiæ Regem, a te-  
 meris inter Regna & Gubernacula na-  
 tum, & nupera Nordlingensi victoria  
 de Imperio optime meritum, qui ab  
 eo tempore Imperialis militiæ Regi-  
 men feliciter inchoatum, adhucdum  
 pari prudentia & felicitate gerere.,  
 His Cæsar plura de Pace Pragensi per  
 Imperium recipienda subjunxit, ro-  
 gans, ut de communi tandem tran-  
 quillitate, pacandaque Germania, Ele-  
 ctiores junctis viribus ac consiliis deli-  
 berarent. Post hæc Electores habitis  
 inter se consultationibus præcipue in-  
 quirebant, quomodo Galli Suecis  
 uniti e Germania forent dimovendi, &  
 an omnes nupera Pragensi pace exclusi  
 ad illam recipiendi essent? cum vero  
 Electores Ecclesiastici & Bavarus pari  
 G 2 cum



Sæc. XVII. cum Cæsare propensione in reddendam  
A. C. 1636. Germaniæ pacem ferrent, pleraque  
ad Ferdinandi nutum peragebantur.

*Theatr. Eu-  
rop. tom. 3.  
pag. 670.*

*Londorp.  
acta tom. 4.  
pag. 676.*

Decernebatur itaque tractatui cum Sue-  
cis ineundo in Aula Cæsaris locum esse  
dandum, cui nomine Collegii Electro-  
ralis Moguntinus & Brandeburgicus  
ita interessent, ut tamen ceteris, si ve-  
lint, adesse liceret. Porro componen-  
dis Austriacos inter & Gallos contro-  
versis, summus Pontifex sese arbitrum  
offerebat. Prosperum tamen consul-  
tationis successum sistebant Brande-  
burgi & Saxonis Oratores, necnon Re-  
gis Angliæ Legati, quorum primicun-  
ctos Ordines Pragensi pace exclusos in  
perpetuæ oblivionis gratia compre-  
hendi, Angliæ autem Legati Carolum  
Ludovicum Principem Palatinum, qui  
ipsum literis ad Collegium Electorale  
datis, publicisque scriptis jus suum  
tuebatur, præceteris restitui postula-  
bant, declarantes, Imperii tranquillitatem  
haud esse sperandam, si hisce  
petitis satisfactum non fuerit. Nihilominus  
die vigesima secunda Decembris summo mane  
Electores ad Ecclesiam Cathedralē progressi,  
concordibus omnium votis Ferdinandum III.  
qui Brisaco Ratisbonam die decima  
quinta Octobris advenerat, in Romanorum  
Regem elegerunt, quamvis  
Saxo



Saxo, usque dum universalis reconcilia-  
 tio fuisset conclusa, hanc electionem  
 frustra præpedire conaretur, & Palati-  
 nus contra eandem publico scripto re-  
 clamasset. Postea vero idem Ferdinan-  
 dus Hungariæ Rex die vigesima quarta  
 Decembris ad servandam, ut vocant,  
 capitulationem sese juramento obstrin-  
 xerat, inter alia præcipue pollicitus,  
 quod tanquam Ecclesiæ Romanæ Ad-  
 vocatus Sedem Apostolicam, summum  
 Pontificem, & Ecclesiam semper pro  
 viribus tueri, profanam & Religiosam  
 pacem servare, Ecclesiasticis & Sæcu-  
 laribus inique ablata reddere, necnon  
 Principum, Nationisque Germanæ con-  
 cordata cum summo Pontifice defen-  
 dere, atque irrepentes corruptelas tol-  
 lere velit. His, aliisque sacramento  
 firmatis, Ferdinandus ab Anselmo Ca-  
 simiro Moguntino Archiepiscopo inter  
 consuetos solemnibus Sacri ritus inaugu-  
 rabatur, novique Regis Conjux Maria  
 Hispani Regis Soror ineunte anno se-  
 quenti die undecima Januarii iisdem  
 prope ritibus in Romanorum Impera-  
 tricem initiata unctaque est.

His subjungere lubet juramentum,  
 quo pro more veteri Cæsar post sui co-  
 ronationem se obstringere jubetur, proin-  
 Acatholici a Cæsarea dignitate arcentur:  
*Profiteor & promitto coram Deo &*  
*angelis*



Sæc. XVII. A. C. 1636 *angelis ejus, amodo & deinceps, legem & justitiam, pacemque Dei Ecclesiae servare, populoque mihi subiecto prodesse, & justitiam facere, & conservare, jura Regni salvo condigno Divinae misericordiae respectu sicut cum consilio Principum, & fidelium Regni, atque meorum melius invenire poterō Sanctissimo Romano Pontifici, & Ecclesiae Romanae, cæterisque Pontificibus, & Ecclesiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere, ea etiam, quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiae, seu Ecclesiasticis Personis collata sunt, & erogata inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari. Abbatibus & Ordinibus, & Vasallis regni honorem congruum volo exhibere, Domino nostro Jesu Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem, & decorem.*

Præterea Ferdinandus decreto Romanam Joanne Eggenbergio Principe die decima sexta Novembris anno hujus Sæculi trigesimo octavo filiale obsequium summo Pontifici exsolvit. Pontifex vero Ferdinandi electionem, nulla tamen facta Collegii Electoralis mentione, jam antea solemniter approbaverat.



Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

## §. XXXI.

*Malevolorum cavillationes contra hanc  
Ferdinandi electionem.*

Hanc Ferdinandi electionem indigne  
 ferebant Protestantæ, ceterique  
 Cæsaris hostes, & veluti plagam ali-  
 quam profundius, quam unquam credi  
 potuisset, in pectus demisere, eo quod  
 in Filio haud minorem quam in Patre  
 Religionis Catholicæ ardorem, necnon  
 inique ablata bona Ecclesiasticis red-  
 dendi studium prospicerent: tantum in  
 Sæctariis communi iustitiæ bono præ-  
 valere solet Ecclesiasticos spoliandi &  
 spoliata retinendi cupiditas. Ut vero  
 suam temeritatem specioso honestarent  
 obtentu, Bullam auream, moremque  
 antiquum fuisse violatum causabantur,  
 eo quod ad Regis Romanorum electio-  
 nem vocatus non fuisset Trevirensis  
 Elector, adhuc Viennæ in custodia de-  
 tentus: inde vero electionem minus le-  
 gitimam existisse, comprobatum redde-  
 bant exemplis Couradi III. Anno 1139.  
 Philippi Suevi Anno 1198. & Maximi-  
 liani I. Anno Christi 1486. & Ferdi-  
 nandi I. Anno 1531. quorum electiones,  
 utpote vel inconsulto vel absente, aut  
 contempto duntaxat uno ex Electori-  
 bus factæ, impugnatae fuerunt. Voca-  
 batur

*Puffendorff.*  
*l. 9. §. 65.*  
*Aster.*  
*Exam. co-*  
*mit. Ratisb.*  
*Osterman.*  
*legit. Ferd.*  
*coron. Lu-*  
*dolph. l. 36.*  
*c. 2. n. 62.*  
*Siri mem.*  
*recond. Vol.*  
*VIII.*  
*p. 408.*

G 4



Sæc. XVII. batur insuper in argumenti subsidium  
 A. C. 1636 ipse etiam Ferdinandus II. Imperator,  
 qui sub comitorum auspiciis suaserat,  
 ut Elector Trevirensis cognita causa  
 vel exauctoraretur, vel in ejus locum  
 alius, qui suffragium ferret, eligeretur,  
 quamvis ceteri Electores id facere  
 renuissent, eoquod tanquam Ecclesiasticus  
 apud summum Pontificem prius accusari,  
 ejusque jussu capi, judicarique debuisset.  
 Hæc, pluraque alia adversus Ferdinandi III. electionem  
 spargebantur, quæ Tilemanus Stella  
 sub ementito nomine *Justi Asterii* anno  
 sequenti in suo *examine Comitiorum  
 Ratisbonensium* fusiori calamo persecutus  
 est. Hunc tamen præter alios Petrus  
 Ostermannus Consiliarius Cæsareus  
 egregie refellebat edito libro, cui  
 titulus: *Anticrisis Examinis novissimorum  
 Comitiorum Ratisbonensium*, cum jam  
 antea hanc in rem edidisset librum de  
*legitima & Germana Regia Romana corona.*

## §. XXXII.

*Fanatici cujusdam Reformatoris rebellio, & supplicium.*

*Khevenh.  
 Annal.  
 Ferd. II.  
 tom. 12.*

Ab eo tempore, quo Calvinus & Lutherus sub jactato Ecclesiam Romanam a corruptelis expurgandi obtentu suam quisque sectam magnis incrementis



tis procuderant, pene innumeros orcus Sæc. XVII.  
 progerminavit, qui pariter se a Deo ad A. C. 1636.  
 reformandum vocatos, veroque S. Scri-  
 pturæ intellectu & Spiritu illustratos  
 mentiti, sua deliria velut totidem pu-  
 rioris Evangelii articulos venditarunt.  
 Hos inter haud infimus erat in supe-  
 riore Austria quidam rusticus, qui se  
 futura prædicendi gratia, utpote me-  
 dio ad multorum corruptelam poten-  
 tissimo, a Deo præditum fingens, con-  
 cionibus suis non paucos dementabat,  
 præcipue in vulgus spargens, se ab An-  
 gelo jussim fuisse, ut universam Pro-  
 vinciam legendo, cantando & concio-  
 nando circumiret, plebemque ab am-  
 plectenda fide Catholica, Confessione &  
 Communione averteret, & a Lutheri  
 secta reversos damnaret. Insuper sum-  
 ma impudentia comminifcebatur, se  
 non raro a Filio Dei visitatum, ab eo-  
 demque cum suo scorto, dum semel  
 cum illo concubuisset, matrimonio  
 fuisse junctum. Horrendas hæc, plu-  
 resque alias blasphemias hic dæmonis  
 Minister, novumque spurix Reformatio-  
 nis monstrum fronte (uti exercitata  
 fallaciæ, ac novaturientes nebulones  
 solent) inter Magistrum & Imperato-  
 rem media, libere spargebat, unde  
 sensim ingens rusticorum multitudo,  
 quasi Divini Verbi virtute hujusque  
 Prædi-



Sæc. XVII. Prædicantis rationum congerie, victa  
 A. C. 1636. & immutata, ad extremum in impostor  
 storis sententiam pedibus ac propalam  
 concessit: quocirca Magistratus, ne  
 nova hæc pestis latius serperet, hunc  
 fanaticum in vincula conjici iussit; cum  
 autem inde ad Schallenbergii Comitis  
 preces ereptus fuisset, ac segniores ef-  
 fient de more, qui hæc flammam  
 comprimerent, quam qui ventilarent,  
 eo crevit incendium, ut nonnisi pluri-  
 morum sanguine extinguisset; quip-  
 pe hic idem Impostor recuperata liber-  
 tate in Alpibus plusquam mille potissi-  
 mum mulierculas in partes suas per-  
 traxerat, plurimosque viribus valentes,  
 & sclopis, hastis, & fustibus armatos  
 circumducens, per Speyereggam ur-  
 bem hoc anno die vigesima sexta Apri-  
 lis cum suis transitum sibi concedi pe-  
 tiit, quo denegato respondit Prætori,  
 „se nec vim, nec incommodum ulli al-  
 „laturum, sed duntaxat, quæ sibi Deus  
 „præcepisset, executurum, quoniam  
 „vero Verbum Dei, sanctamque Cru-  
 „cem ab eo accipere detrectarent, se  
 „excusso de pedibus pulvere eos dere-  
 „licturum.” Comperta hac seditione  
 Kuffsteinus Comes Provinciæ Præ-  
 fectus omnem curam impendit, ut ho-  
 rum rebellium tumultus tempestive se-  
 darentur. Verum hi altera die Luff-  
 tenber-



tenbergam profecti, Schallenbergium, Szec. XVII.  
 Comitem qui eos ad saniora reducere A. C. 1636.  
 nitebatur, circulo inclusum, intentatis  
 ad caput sclopis tam arcte presse-  
 runt, ut ægre mortis periculum eva-  
 deret; inde vero in proximam Sylvam  
 profugi, ibidem juxta sectæ suæ ritum  
 cantilenis, & concionibus in Magi-  
 stratus contemptum impune vacarunt:  
 Haud coercita eorum pervicacia, gra-  
 viorisque mali periculo Meganesius Co-  
 mes contracto popularium agmine il-  
 los adoritur, trucidatis eorum non-  
 nullis; cum vero numero & audacia  
 prevalerent rustici, ipsemet non sine  
 magna suorum clade Steyereggam tra-  
 jecto Danubio aufugere compulsus est.  
 Crescente autem eorum petulantia,  
 quæ plerumque primis prosperisque  
 rusticæ temeritatis successibus subse-  
 qui assolet, supremus Provinciæ Præ-  
 fectus, necnon Casparus Comes Stah-  
 enbergius cum septingentis militibus  
 Lustenbergam movebant, hosque re-  
 belles, qui ex diruta quadam Ecclesia  
 propugnaculum extruxerant, primo  
 monitis, demum militaribus minis ad  
 officium revocare nitebantur: seditiosis  
 autem hosce Oratores nequidem au-  
 dire dignantibus, Præfectus illos stre-  
 nue insequi iussit. Dimicatur utrin-  
 que summa vi & contentione, tandem  
 vero



Sæc. XVII. vero post acre trium horarum certamen  
 A. C. 1636. Ecclesia occupatur, repressoque rebel-  
 lium impetu, necnon Rustico hujus  
 seditionis Auctore, ejusque scorto cap-  
 ptis, ceteri ferme omnes jugulantur.  
 Tandem instructis in reos judicii actis  
 hic fanaticus Litzium deductus, ibi-  
 dem securi percussus est, capite ad  
 urbis portam affixo. Hunc denique  
 exitum habuit infelix ille Lutheri re-  
 formantis imitator, in hoc tamen solo  
 felicior ipso suo Protoparente, quod  
 sincera scelerum suorum accusatione  
 facta, ejaratisque erroribus in Catho-  
 licæ fidei professione obierit, factique  
 pœniteus melius animam egerit, quam  
 vitam.

## §. XXXIII.

*Alius Fanaticus Impostor in Borussia  
 capitali sententia damnatus.*

*Jäger.  
 Hist. Eccl.  
 l. 6. c. 8.  
 Brachel.  
 Hist. temp.  
 lib. 5.*

Hoc item anno apud Regio-montem  
 in Borussia novus exurrexit fanati-  
 cus Propheta, qui haud contentus,  
 quod se ad revocandam Evangelii pu-  
 ritatem a Deo vocatum spargeret, in-  
 super sibi a septem Angelis manifesta-  
 tum fuisse mentiebatur, se eo fine in  
 terram venisse, ut Dei Patris Personam  
 in carne exhiberet, & sæculares Ma-  
 gistratus in vîrga ferrea compesceret,  
 hanc



Sæc. XVII.  
A.C. 1636.

hancque in rem duodecim fidei articu-  
los promulgare iussus esset. Erat is  
Iohannes Adelgreiffius, qui Hebraicam,  
Græcam, Latinam, Polonicam, Li-  
thuanam, & Curlandicam callens lin-  
guam, in verba singula errorum fu-  
mos & mendacia venditabat, tot de-  
cepulis infidiosa, quot simplices aures  
nancifcebat: ut vero somniis suis ap-  
pat rude vulgus fidem faceret, variis  
ætrè, cæloque præstigiis dæmonis ope  
patrias incantorum mentes, & ani-  
mas & salutem oppugnabat. Igitur  
ad Magistratum delatus, & in vicula  
conjectus, cum non modo harum frau-  
dum, & veneficiorum, sed & plurium  
insuper adulteriorum reus cognoscere-  
tur, ad mortem damnatus est. Ille  
autem hanc sententiam vultu ad hila-  
ritatem risumque composito excepit,  
identidem affirmans, se tertia post die  
resurrecturum a mortuis: ut ergo hic  
fanaticus ad supplicii locum deductus  
saltem terrore mortis ad saniora redu-  
ceretur, carnifex cuncta supplicii in-  
strumenta ejusdem oculis exposuit:  
perstitit ille nihilofecius in asseveratio-  
ne, frontis, orisque ferrea contumacia  
contestatus, mortem, nisi quamdiu  
voluerit, contra se, utpote Deum haud  
prævalituram: cum ergo nulla pœni-  
tentiae spes esset reliqua, carnifex die  
unde-



Sæc. XVII. undecima Octobris huic impostori cer-  
A. C. 1636. vices abscidit, & truncum in rogam  
 projecit, flammis absumendum, cuius  
 anima mox ad acerbiora supplicia, &  
 diuturniora esset transitura.

## §. XXXIV.

*Tiberii Muti Cardinalis obitus.*

*Clacon. in* **E**x Purpuratis, qui hoc anno extre-  
*vita Pauli V.* mum egerunt diem, non nisi duo  
*pag. 435.* occurrunt, quorum prior erat Tiberius  
 Mutus patria Romanus, & Paulo V.  
 affinis. Hic ab eodem Pontifice Viter-  
 biensis, & postea Tusculanus Antistes,  
 ac demum Cardinalis Presbyter renun-  
 tiatus, Ecclesiam Sponsam suam semel  
 sibi conceditam nunquam reliquit, sed  
 per viginti quinque annos assidua fo-  
 vit præsentia, summoque gregis sui  
 proventu perlustravit, habitaque Sy-  
 nodo tam Clerum, quam populum  
 verbo, legibus, & exemplo pavit.  
 Quamvis vero oppido tenues possideret  
 facultates, non modo tamen suam di-  
 gnitatem sat honorifice sustinuit, sed  
 etiam in pauperes largas effudit opes.  
 Tandem restaurato Episcopali Palatio  
 annos natus septuaginta duos die de-  
 cima quarta Aprilis rebus humanis  
 valedixit, in sua Cathedrali tumultus.

§. XXXV.



## §. XXXV.

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.*Franciscus a Dietrichstein Cardinalis  
vita fundus.*

Hunc eadem fati necessitate sequebatur Franciscus, ex nobilissima Bohemorum familia de Dietrichstein ortus, qui ex paterna veluti hæreditate Religionis studium, & novitatis sectæ odium adeptus, in Moravia a veræ fide devios verbis castigabat ut Princeps, monebat ut Pater, coercebat ut Iudex; Juvenis adhuc ad pacandos Reges Legatus Roma Viennam cum summa potestate, decernebatur; inde vero a Clemente VIII. in Urbem revocatus, summo Pontifici a cubiculis, secretisque consiliis fuit, ob morum candorem, & affabilem gravitatem ab omnibus maximi habitus. Postea ab eodem Pontifice juxta S. Philippi Nerei raticinium Romanam Purpuram, necnon Olmutzensem Episcopatum adeptus, Anabaptistas tota Provincia exterminatos bonorum communione privavit, ceterosque hæreticos ab errore reducere, perduelles retundere, & Imperii Statum stabilire summo studio conatus est: inde vero gravissimas vexationes (pedissequa Apostolici Zeli stipendia) in caput suum sibi accersivit, a rebellibus

*Khevenhill.  
Annal. Ferd.  
tom. 12.  
p. 497. &  
1953. Cia-  
con. in vita  
Clem. VIII.*

*Marienberg  
elog. hero.  
Dietrich.*



Saec. XVII. libus Moravis Brunæ capitur, omni-  
 A.C. 1636. busque bonis ac dignitatibus exutus,  
 postea ab impio quodam agmine inter  
 concionandum saxorum grandine impetitur, & a furiosis quibusdam Prote-  
 stantibus jam eo destinatur, ut ex altissima turri præceps ageretur: nullum  
 tamen vitæ periculum ab immoto Religionis tuendæ studio eum unquam  
 deturbare poterat: quocirca non modo ad pacandas dissensiones inter Rudol-  
 phum Cæsarem & Matthiam ejus fratrem selectus, sed insuper in gravissimis Imperii negotiis tempore seditionis in Cæsares & Catholicos motæ ad eundem Matthiam & Ferdinandum II. Imperatores Legatus decernebatur, vicissim quoque a Cæsare ad Clementem Papam pro sollicitandis contra Turcas supplicis Romam mittebatur: Præterea Stephanum Bulskaïum, qui in Moraviam irrumperere parabat, terga dare coegit, Bethlenium vero ad ineundam pacem compulit: Pariter Ferdinandum II. cum Maria Anna Bavaricæ Ducis Filia, Matthiam Cæsarem cum Anna Austriaca, & Ferdinandum III. cum Maria Hispana tanquam *Legatus a latere* solemni precatione conjunxit, & Matthiam necnon Ferdinandum II. in Bohemiæ Reges inauguratus est, hujus vero Filium Ferdinandum III. &



& Mariam Annam Archiducissam aqua Sæc. XVII.  
 vitali abluit. Inter tot terrenarum di- A. C. 1636.  
 gnitatum fastigia Franciscus nunquam  
 ampliandi cultus Divini curam depo-  
 suerat; plurima quippe Tempa vel a  
 fundamentis erexit, vel splendidiora  
 reddidit, aut proventibus, donisque  
 auxit, multaque domicilia PP. Capuc-  
 cinis suo ære ædificavit. Demum ma-  
 gis pietate, quam purpura & auro ful-  
 gens, postquam hoc anno die decima  
 octava Augusti, quæ Mariæ Reginæ  
 natalis erat, Viennæ Sacrum solemne  
 celebraverat, Olmutzium reversus, ibi-  
 dem lethali corripiebatur morbo, inde  
 tamen Brunam delatus, die decima  
 nona Septembris supremum obiit diem,  
 in Olmutzensi Ecclesia Cathedrali  
 sepultus.

§. XXXVI.

*Principum atque illustrium decessus,*

Inter celebriores illius ævi Principes  
 eodem anno obiere Joannes Alber- Khevenh. l. c.  
 tus I. Dux Megapolitanus, & Raze- p. 2070.  
 burgensis Episcopi Coadjutor necnon Jæger.  
 Augustus senior Brunsvici & Lune- Hist. Eccl.  
 burgi Dux, quorum prior exuto Lu- p. 567.  
 thero Calvinum induit, a suis tamen Brachel.  
 Proceribus eo compulsus, ut circa Lu- Hist. l. 5.  
 theranæ sectæ usum nihil in suo Du- p. 262.  
 catu  
Hist. Eccles. Tom. LX.



Sæc. XVII. catu immutare auderet: cum autem  
A. C. 1636 sese Cæsaris hostem declararet, ab eo-  
 dem proscriptus, Ducatum suum Wal-  
 lensteinio relinquere coactus est, in  
 quem tamen a Gustavo Sueciæ Rege  
 revocatus fuit. Decessit anno ætatis  
 suæ quadragesimo quinto: Alter erat  
 Princeps animi magnitudine, reique  
 militaris scientia præstans, qui Ra-  
 zeburgensis Pseudo - Episcopus eu-  
 jusdam civis sui filiam duxerat, a  
 Suecis dire vexatus, eoquod Pragensi  
 paci accessisset: obiit repentina morte  
 die decima Octobris, annos natus sexa-  
 ginta octo. Pari fato vivis ereptus est  
 Antonius Tholosa natione Gallus Ma-  
 gnus Ordinis Melitenis Magister. Hic  
 quatuordecim omnino annis summo  
 Religionis studio, ac immortalis gloria  
 supremam Ordinis sui Præfecturam us-  
 que ad annum ætatis suæ octogesimum  
 quartum gessit, cui Joannes Paulus  
 Lascari Niciæ ortus successit. Occu-  
 buit quoque die decima quarta Junii  
 hoc anno plumbea glande trajectus ad  
 Fontanettam, nullius ferme nominis  
 propugnaculum Mediolanense, magnus  
 ille Thorasius, multis contra Anglos  
 & Cæsareos præliis, victoriis, rebus-  
 que præclare gestis inter Gallos Belli-  
 duces clarior, quam morte fortu-  
 natior.

§. XXXVII.



## §. XXXVII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.*Angliæ Regina in fidei odium a Puritanis vexata.*

Jam anno hujus sæculi vigesimo septimo Prædicantes Angli Carolum Regem assiduis suis querelis ac calumniis eo induxerunt, ut cunctos Sacerdotes natione Gallos sub falso conspirationis obtentu e Regno ejiceret: his vero nondum contenti Puritani, non modo Catholicos contra juratam promissionem ipsis factam hoc anno conscientie libertate spoliari, sed etiam ipsimet Reginæ Mariæ Henrietæ Ludovici Galliarum Regis Sorori suum Confessarium, insuperhabitis ejusdem lamentis, & lacrimis amendari curarunt. De tanta impietate vehementer querebatur Franciæ Rex, verum nec datæ fidei sanctitas, nec coronati verticis reverentia, nec Reginæ suæ gemitus poterant Puritani cordis duritiem flectere, nullum ergo aliud afflictæ restabat solatium, nisi ut saltem literis, quas etiam summo in silentio mittere cogebatur, miserorum more, doloris sui acerbitatem apud conscientiam suæ arbitrum panderet, ac deploraret. Huic ergo Regina ita percripserat „Venerande Pater: Oro & supplico, ut Deum pro me

*Khevenhill.*  
p. 2095.  
*Vid. supra*  
l. 195. §. 58.  
t. 58. p. 541.

H 2 „exo-



Sæc. XVII. „exores: Absdubio nota tibi sunt om-  
 A. C. 1636. „nia, quæ hucusque in me attentata  
 „sunt: omnium, quæ hic degunt, crea-  
 „turarum miserima sum; nullum enim  
 „omnino, cui me confidam, penes me  
 „habeo, ac desolata inter tam barba-  
 „ram gentem vivere cogor: nulla mihi  
 „post Deum præter Matrem meam,  
 „spes alia superest: huic ergo, Reve-  
 „rende Pater, exponas velim miseriam,  
 „& amaritudinem, qua premor, &  
 „immori compellor, nisi eam ample-  
 „ctendi mihi copia detur. Puritani e-  
 „nim, eoquod me Catholicorum sub-  
 „dio destitutam cernant, meæ etiam  
 „conscientiæ tantam vim inferunt, ut  
 „præ desperatione mori exoptem: Deus  
 „tamen adjuvabit me, nec de hoc du-  
 „bito: nil quidem intentatum, inau-  
 „sumque relinquunt, ut me in conscien-  
 „tia mea perplexam reddant, aut hisce  
 „assultibus, nonnisi firmior in Catho-  
 „lica fide efficior: Oret Deum pro me,  
 „lacrimarum copia, & singultuum vio-  
 „lencia plura scribere prohibent: inte-  
 „rim custodiat te Deus &c.„ Hi erant  
 „questus illustrissimæ cujusdam Reginae  
 „contra subditos suos Calvinistas, qui  
 „nequidem a minimo, & ex sæce plebis  
 „vilissimo in suæ sectæ exercitio se tur-  
 „bari, permittunt, sed jactatam con-  
 „scientiæ libertatem etiam armis contra  
 legi.



legitimos suos Principes sumptis vindicant, eam vero, licet jurato promissam Regiæ Principi proterve denegant. Nempe apud eos conscientia libertas iam in usitatum Principes suos opprimendi, & Catholicos exterminandi obtentum evasit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

§. XXXVIII.

*Caroli I. Regis Angliæ editum de nova Liturgia in Scotia Regno recipienda.*

Anno priori Carolus Ludovicus, ejusque Frater Robertus Principes Palatini Londinum advenerant, Angliæ Regis opem imploraturi, ut pristinae dignitati, bonisque restituerentur: quoniam vero jam antea Ferdinandus Imperator datis literis Angliæ Regem certiore reddidisset, quod de hujus negotii successu haud dubitandum esset, quamprimum Angliæ Legatus in Palatinorum causa Viennam mitteretur, hinc Carolus Rex unacum Palatini Principis epistola Thomam Howardum Arundeliæ Comitem Lintzium ad Cæsarem, alium vero Legatum ad Franciæ Regem, & demum Josephum Averium ad Oxenstirnum Sueciæ Cancellarium ablegabat. Rei tamen gravitas, atque opinantium dissimilitudo

Jæger.  
Hist. Eccl.  
l. 6. c. 6.  
Rapin Thoyras Hist.  
d' Angl. l. 19.



Sæc. XVII prosperi successus spem eluserat; inde  
A. C. 1636. vero Angliæ Rex graviter commotus,  
 revocato Legato suo se vim & arma ad-  
 hibiturum minabatur, nisi Palatinus  
 mox restitueretur. Nihilominus res ad-  
 huc intra verba, minasque stetit, eo-  
 quod jam tum Regis capiti gravissima  
 a Puritanis immineret tempestas: præ-  
 terquam enim, quod Rex, ut con-  
 tra inopinam exteri hostis invasionem  
 tempestive validam classem instruere  
 valeret, inconsulto Senatu nova subdi-  
 tis tributa imposuisset, insuper gravius  
 adhuc Scotorum odia, offensionesque  
 in se concitabat, dum Edini, atque in  
 ceteris omnibus Scotiæ urbibus novam  
 Liturgiam, seu novum Ecclesiæ regi-  
 men, licet ab illo in Ecclesia Angli-  
 cana jam dudum recepto parum dilata-  
 ret, Regio edicto recipi præceperat;  
 quamvis enim a spuris reformationis  
 exordio sub Eduardi VI. regimine in  
 Angliæ Regno semper Episcopatus ser-  
 varetur, nec Angli Episcopis tum in-  
 fensi essent, eoquod horum non pauci  
 a vera fide devii novam sectam invehere,  
 totis viribus laborassent, in Scotia ta-  
 men jam ab anno Christi millesimo  
 quingentesimo sexagesimo, quo hære-  
 sis venenum, absente Regina, latius  
 serpere, errorque fidei locum, eoquod  
 per errantium contumaciam, & Pasto-  
 rum



inde  
otus,  
a ad-  
tinus  
es ad-  
e,  
illima  
præ-  
con-  
onem  
ruere  
ubdi-  
rarius  
esque  
ue in  
ovam  
regi-  
Angli-  
dita-  
perat;  
tionis  
ne in  
s fer-  
m in-  
pauci  
ere,  
ia ta-  
elimo  
hære-  
larius  
quod  
Palfor-  
rum

rum socordiam consenuisset, tenere cæ-  
perat, Calvinistæ Episcopus odio plus-  
quam vatiniانو infectabantur, eoquod  
hi regnante Maria Regina apprime  
Catholica, sese immoto Religionis stu-  
dio hisce novitatibus opposuissent. Ita  
nempe eo tempore aut odium aut No-  
vatorum favor novæ doctrinæ articu-  
los revelabat, ac moderabatur: Cum  
vero Calvinistæ in Scotia præprimis  
Episcoporum jugum excutere, intenti  
essent, publica tamen autoritate Epi-  
scopatum, vivente adhuc Maria Regi-  
na, abrogari desperarent, hinc ea de-  
mum folio deturbata, sexto post anno  
Helvicam Ecclesiæ disciplinam, nec-  
non inter Ecclesiæ Ministros æqualita-  
tem privato ausu invexere, hacque  
ratione Episcopos saltem *sacra jurisdic-  
tione* exuerunt, illorum loco nonnisi  
Presbyteris & Synodis Nationalibus,  
quas *generalia comitia Ecclesiastica* vo-  
cant, institutis, quibus plenum disci-  
plinam stabiliendi jus attribuerunt. Nec  
his adhuc contenti erant Scoti Calvi-  
nistæ, sed insuper Episcopos omni *jure  
temporali*, scilicet in Senatu suffragium  
ferendi jure, necnon reeditibus, privi-  
legiis & honoribus spoliari, ipsumque  
Episcopi nomen aboleri postulabant.  
Hæc temeritas vehementer offendebat  
Reges, eoquod hi Episcopos & Abba-  
tes



Sæc. XVII. tes nominandi jus sibi attribuerint, A. C. 1636. proinde de eorum suffragiis in Senatu certi esse potuerint. Hac de causa nequidem in Scotia Episcopatus quantum ad jura temporalia unquam auctoritate Regis vel Senatus fuit abrogatus; quinimo Jacobus VI. Anno sæculi prioris octogesimo quarto Episcoporum auctoritatem restaurare nitentur, quamvis Parlamentum octavo post annorum Presbyterianum Regimen invexerit. Postquam vero Synodi Nationales dominandi libidine & ambitionis æstro excæcatæ immodicam, & ferme Regiam auctoritatem sibi arrogare cœperant, Rex quinto post anno Episcopis & Abbatibus rursus sua suffragia in Senatu ferendi jus, prout eo ante adulterinam reformationem potiti fuissent, restituit, & postea, quamprimum ad Angliæ solium fuerat evectus, insuper Disciplinam, necnon Ecclesiæ Anglicanæ Hierarchiam in Scotiæ Regno invehere statuit: Hanc in rem nono hujus sæculi anno Episcopis primo cunctas immunitates & jurisdictiones, eorumque bona annuente Senatu, & demum in Glascuano Conventu omnia jura spiritualia reddidit, incassum reclamantibus Presbyterianis, qui præfatum Conventum, ut Episcoporum Regimen a se amolirentur, postea nullum esse, decla-



declarare præsumpserunt. Nihilomi- Sæc. XVII.  
 nus Jacobus Rex, ut sensim Anglica- A. C. 1636.  
 nos ritus induceret, præprimis quin-  
 que ejusdem ritus articulos in Berthenfi *Vid. supra*  
 Conventu a Scotis Prædicantibus ac- l. 190.  
 ceptari iussit, postea Magistratum seu §. 194. t. 55.  
 tribunal, quod *supremam Commissionem* pag. 684.  
 appellabat, in Scotia, prout jam in  
 Anglia invaluerat, instituit, eo fine,  
 ut hujus Curie Ministri supremum in  
 Sacra jus nomine Regis tanquam *Ec-*  
*clesiæ capitis* exercerent: hunc enim  
 titulum Scoti hucusque nunquam Regi  
 attribuebant, proin nec ejusmodi tri-  
 bunalis indiguerunt: Rex vero per hunc  
 Magistratum seu Inquisitores, Prædican-  
 tium, qui novo huic regimini, Regis-  
 que consiliis semper oblectabantur, pe-  
 tulantiam partim excommunicationis,  
 partim exauktionis pœna coercebat,  
 ex quibus tamen nonnullos in  
 Scotia partim promissis partim minis  
 ad suas partes pertraxerat, horumque  
 ope tandem Liturgiam, & Ecclesiæ  
 Anglicanæ Canones in Scotiam inve-  
 here aggrediebatur: eapropter con-  
 ventu Aberdoniæ habito congregatis  
 Præconibus exposuit, hucusque in  
 Scotiæ Ecclesia, Dei cultum indecen-  
 ter fuisse habitum, eoquod ex Prædi-  
 cantibus quis pro suo arbitrio preces  
 publicas componere ausus fuisset, ne-  
 cessaria



Sæc. XVII. cessarium igitur esse, ut Liturgia om-  
 A. C. 1636. nibus Scotiæ Ecclesiis communis in-  
 troduceretur: caute autem Rex silen-  
 tio preffit, Liturgiam *Ecclesiæ Angli-  
 canæ* esse recipiendam: cum ergo Præ-  
 dicantes nonnisi Liturgiam in aliis Ec-  
 clesiis Calvinianis usitatam, & ab An-  
 glicana diversam præscribi crederent,  
 Regis consilio annuerunt, ac nonnul-  
 los, potissimum tamen Episcopos no-  
 minarunt, qui novam hanc Liturgiam  
 conficerent. Hi vero nonnisi Litur-  
 giam in Anglia sub Eduardo VI. stabi-  
 litam transcribere, eamque Jacobo  
 Regi approbandam tradiderunt. Tum  
 vero Rex rebus Palatinis, & Filii sui  
 nuptiis distentus, hoc negotium ultra  
 urgere destitit: Carolus vero ejus Fi-  
 lius majori ardore perfectam æqualita-  
 tem inter Scotam, & Anglicanam Ec-  
 clesias stabilire decrevit, ac prævie su-  
 premam *Commissionem* ibidem restituit,  
 Synodos Generales ferme penitus ab-  
 rogavit, Episcopis plenum jus in Cle-  
 rum attribuit, potissimos Prædicant-  
 tium necnon Consilii secretioris Mini-  
 stros muneribus & dignitatibus conce-  
 ssis ad sua studia pertraxit, ad Sena-  
 tum plurimos Episcopos adscivit, ac  
 denique Laudo Archiepiscopo Cantua-  
 riensi negotium dedit, ut Scotiæ Epi-  
 scopos & Senatores ad sua vota pelli-  
 cere



cere satageret. Demum vero Proce-  
 rum animis sibi devinctis Rex populi  
 hac ratione dispersi, & capite, rectore,  
 gerendorumque dictatore, & Magistra-  
 tus ope destituti repugnantiam flocci  
 habuit, moxque Liturgiam ab Episco-  
 pis concinnatam in Scotiam transmi-  
 sit, addito præcepto, ut in Ecclesia  
 reciperetur, & gubernatio Ecclesia-  
 rum Episcopis restitueretur, instituto  
 ad id speciali Magistratu, qui omnes ad  
 observationem hujus legis compelle-  
 ret, & ubi opus esset, ad normam In-  
 quisitionis, severioribus pœnis adige-  
 ret. Tum vero Presbyteriani recla-  
 mare cæperant, causati, hanc Litur-  
 giam de verbo ad Verbum Anglicanæ  
 esse similem: ne ergo Rex Scotorum  
 invidiam in se concitaret, præcepit, ut  
 omnia Psalmodum, necnon ex Veteri  
 & novo Testamento textuum versione  
 Anglicana, adhiberetur versio Scotica.  
 Interim vero Synopsin illorum Cano-  
 num, juxta quos deinceps Ecclesia re-  
 geretur, in Scotiam transmisit, &  
 quamvis in hisce Canonibus potissimum  
 Hierarchia Ecclesiastica, & Episcopa-  
 lis jurisdictio fuisset stabilita, novaque  
 Liturgia, quæ ab Anglicana nonnisi  
 quoad versionem diversa erat, cunctis Ec-  
 clesiis præscripta fuisset, nihilominus  
 Episcopi, ut populum prævenirent, Tho-  
 mam

Sæc. XVII.  
 A. C. 1636.



Sæc. XVII. mam Huttonem Londinensem Prædi-  
 A. C. 1636. cantem instigarunt, ut edito libello re-  
 sponderet ad rationes eorum, qui huic  
 Liturgiæ subscribere recufarunt.

## §. XXXIX.

*Populi tumultus in Scotia ob novam  
 Liturgiam.*

*Rusworth  
 l. c. p. 388.  
 Clarend. t. I.  
 p. 140.*

Postquam igitur Liturgia Anglicana  
 in patrium idioma fueret versa,  
 Rex illam pariter ad Scotos transmissit,  
 injunxitque, ut illa proximo Pascha-  
 tis die anni sequentis in omnibus Edi-  
 nensis Urbis Ecclesiis prælegeretur;  
 mutata tamen rerum vicissitudine Rex  
 hanc promulgationem ad Dominicam  
 seu vigesimam tertiam Julii diem ejus-  
 dem anni differri præcepit: quin toto  
 hujus temporis intervallo ullus ex Edi-  
 nensibus reclamare audiretur, quam-  
 vis Senatus insuper paucis ante diebus  
 proclamari jussisset, quod proxima Do-  
 minica novæ Liturgiæ usus esset in-  
 choandus. Ex hac populi docilitate  
 Rex æque ac Senatus prosperum con-  
 siliî successum sibi vaticinabantur, cum  
 tamen ex hac ipsa malacia atrocissimam  
 inde tempestatem Carolo Regi oppido  
 funestam atque exitialem prospicere  
 debuissent. Illuxerat ergo præstituta  
 dies



dies Dominica, qua supremus Cancellarius, Senatorum potissimi, quidam Episcopi, Regni Judices, atque Edinenses Magistratus Cathedralem S. Ægidii Ecclesiam accessere: quamprimum vero Decanus novæ Liturgiæ librum aperuit, illico populus ibidem congregatus vociferari, maledicta jacere, tamque inconditum clamorem, proximæ seditionis augurium, excitare, ut ne verbum quidem legentis percipi posset. Tumultum sedaturus, suggestum conscendit Edinensis Episcopus, verum ingeminatur tumultuantis populi conclamatio, ac diversissimis vocibus congestæ maledictiones, & convitia: nec in solis verbis, minisque stetit populi furor; parantur saxa & fustes, & in Præconis caput sedile quoddam projicitur: nec Cancellario ac Judicibus parcitur: tandem vero per Prætores urbisque Magistratum furibundis hæc e Templo egredi jussis, Præcones ritu suo, clausis tamen foribus, Divinum prosequantur officium, quod identidem continuis populi clamoribus, faxisque ad fenestras emmissis fuit interruptum: Pari furore populus in ceteris omnibus urbis Ecclesiis debacchabatur. Prædicantes vero hujus tumultus invidiam a se amoliri satagentes, Regi & Laudo Archiepiscopo Cantuariensi datis

Sæc. XVII.  
 A. C. 1636.



Sæc. XVII. tis literis suam innocentiam testatam  
 A. C. 1636. reddere conabantur: Hanc demum  
 populi seditionem paulopost acriores  
 tumultus, conspirantibus ipsis Prædi-  
 cantibus & Proceribus, sequebantur;  
 cum vero exinde omnes ærumnæ, ac  
 ipsamet funesta Caroli I. Regis ruina  
 ortum duxisset, fusiori calamo tanti  
 mali narrationem, quam verissime fas  
 est, ab ovo, ut ajunt, accersere, &  
 ad mala perducere libuit.

## §. XL.

*Varia Sacrarum Congregationum  
Constitutiones.*

*Bullar.  
Magn. Ur-  
ban. VIII.  
Const. Con-  
greg. Conc.  
Episc. Im-  
mun.*

Summum Pontificem hoc anno non-  
 nisi paucissimas ad Ecclesiasticum  
 Institutum spectantes Constitutiones  
 edidisse reperimus; concessit tamen  
 Fratribus Carmelitis in Collegio S. The-  
 resie Salmanticensi, ut Sacre Theo-  
 logiæ lauream suscipere valeant: vo-  
 luit etiam, ut Officium proprium ejus-  
 dem S. Therese in universis Hispania-  
 rum Regnis recitetur: inhibuit vero Do-  
 minicanis, ne inconsulto Procuratore  
 Generali per se vel per alios negotium  
 aliquod in Romana Curia pertractent.  
 Denique Augustinianis Discalceatis in  
 Italia indulgit, ut in publicis supplica-  
 tionibus Crucem erigere valeant, dum-  
 modo



modo digniorem locum ceteris omnibus regularibus, qui hactenus Crucem exererunt, cedant. Præter hæc Pontificis constitutiones Sacra Concilii Congregatio Vicentinis Canonicis die septima Junii rescripsit, quod Episcopus Canonicos distributionibus privare valeat, si in choro alta voce non psallerent, et si contraria invaluisset consuetudo: declaratum quoque die duodecima Julii, quod Parochus sine licentia Episcopi extraordinarias supplicationes instituere non possit, nec ad id licentia Vicarii Foranei sufficiat. Die autem decima nona Septembris Sacra Episcoporum & Regularium Congregatio Brundisina Capuccinis respondit, quod organum in Ecclesia exteriori tenere nequeant. Declaravit vero die trigesima Septembris Congregatio Immunitatis circa casum Beneventi exortum, quod sese supplicationibus SS. Sacramenti associantes immunitate Ecclesiastica gaudeant.

## §. XLI.

*Fridericus Hassæ Landgravius ad fidem Catholicam reversus.*

Ad hunc annum Godefridus Arnoldus *Arnoldi hist. Hæret. Part. II. l. 17. c. 3. num. 8.*  
 in sua Hæreticorum Historia Friderici Hassæ Landgravii Darmstadiensis conver-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1636.



**Sæc. XVII.** conversionem revocat, eam tamen per-  
**A. C. 1636.** peram immaturo in Italiam itineri ad-  
 scribit. Hic Princeps, Ludovici cog-  
 nomento *Fidelis*, filius natus minor,  
 anno ætatis suæ decimo octavo Italiam  
 peragratus, cum sese Præconum suo-  
 rum mendaciis turpiter delusum agno-  
 vissset, Patavii die sexta Februarii eju-  
 rata, in qua natus erat, secta ad pu-  
 rissimum Catholicæ fidei cultum Divi-  
 no afflante Spiritu reversus est: Postea  
 Equestrem Ordinem S. Joannis Hiero-  
 solymitani professus, una & viginti ex-  
 peditionibus bellicis adversum Turcas  
 gloriose expletis, supremus Illustrissimi  
 hujus Ordinis per Germaniam Magister  
 renuntiabatur: Aucta demum merito-  
 rum gloria a Philippo IV. Hispaniarum  
 Rege maritimæ classis Archithalassus,  
 & ad Cæsaris preces ab Innocentio X.  
 die decima nona Februarii anno hujus  
 sæculi quinquagesimo secundo Cardi-  
 nalis Diaconus salutatus est. Tandem  
 totius Germaniæ Protector, Wratis-  
 laviensis Episcopus, & supremus Sile-  
 siæ Tribunus anno Christi millesimo  
 sexcentesimo octogesimo secundo pie  
 in Domino obiit. Porro hujus exem-  
 plo excitati alii quatuor Principes ex  
 eadem serenissima Domo, relicto erro-  
 re, ad veræ Ecclesiæ gremium postea  
 rediere.

§. XLII.



## §. XLII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.*Scriptorum Religione Catholicorum  
obitus.*

Non pauci ex Scriptoribus Catholicis hoc anno vitam cum calamo perdere, quos inter tamen nonnisi celeberrimos recensemus, ac primo quidem Lovanii decessit Andreas Vallenſis præclarus primo Duaci, poſtea Lovanii Jurisprudentiæ Profeſſor ac Doctör, qui tractatum de beneficiis Eccleſiaſticis, necnon Paratitla Decretalium Gregorii IX. præter alia poſteris reliquit. II. Philippus Ruiz de Corral edidit tractatum de cultu & veneratione Eccleſiæ, præter conciones in India habitas. III. Regnerus Mercator S. Theologiæ Licentiatus ſcripſit examen veri Catholici, & Colyrium contra Dionyſium Spranhuysen Delſttenſem Prædicantem. IV. Sebaſtianus Tengnagelius, qui Ferdinando II. a conſiliis & Bibliotheca, monumenta veterum pro Gregorio VII. aliisque Pontificibus elucubrabat. V. Joannes Thomas Giliolus Peruſinus Doctör, qui præter plurimas orationes, ſcripſit propugnaculum naturalis inclinationis animæ ſeparatæ ad corpus, & reunionem. VI. Jacobus Tiriſus Jeſuita, qui

*Witte Diar.*  
*Andr. Bibl.*  
*Belg.*  
*Du Pin Bibl.*  
*des Aut.*  
*Siecl. XVII.*

*Hiſt. Eccleſ. Tom. LX.* I com-



Sæc. XVII. commentarium in universam Scripturam tribus tomis edidit, in hoc potissimum celebrandus, quod textus juxta communem Patrum & Expositorum interpretationem integra fide exponens, diligentissime cuncta ad chronologicæ calculos reduxerit, variorumque argumentorum Indices addiderit. VII. Jacobus Gaulterus ex eadem Societate, qui tabulam Chronologicam status Ecclesiæ Catholicæ usque ad annum 1614. edidit præter anatomiam Calvinismi & Indicem controversarum. VIII. Joannes Arnulphus, itidem Jesuita, cujus fata jam supra recensuimus; scripsit autem ex Franciæ Regis mandato collationem Bibliorum cum articulis Calvinistarum, tractatus de immortalitate animæ, & de justificatione, necnon Confessionem fidei Ministrorum falsitatis convictam. IX. Cosmas Morelles ex Ord. FF. Præd. qui ab Hispanis, eo quod Philippi Christophori Electoris Trevirensis capti Emisarius atque explorator crederetur, captus in arce Gandavensi die decima octava Februarii obiit. Edidit acta colloquiorum, quæ tum Francoforti, tum Bredæ contra Calvinistas habuit, adjecitque postea refutationem responsionis adversariorum: novam quoque concinnabat D. Thomæ operum editionem. X. Joannes

*Vide supra*  
*Tom. 57.*  
*p. 113. & 302.*



nes a S. Samsone Carmelita, qui, licet Sæc. XVII.  
 a nono ætatis anno cæcus esset, vi- A.C. 1636.  
 ginti tamen duos tractatus Asceticos  
 duobus tomis majoribus comprehensos  
 distabat, quibus celeberrimus Bossue-  
 tus Meldensis Episcopus non semel in  
 suis de Quietismo libris usus erat.  
 Obiit Rhedonis die decima quarta Se-  
 ptembris divinis revelationibus sæpe  
 elevatus, nunquam elatus, miraculis  
 celebris, humilitate autem celebrior.  
 XI. Aloysius Cerchiarus Clericus Re-  
 gularis Congregationis Somaschæ edi-  
 dit Ordinis sui Historiam, Patrum e-  
 logia, & triumphum pietatis de S. Ivo-  
 ne pauperum Advocato.

## §. XLIII.

*Scriptores A catholici hoc anno  
defuncti.*

Vix alicujus nominis Ecclesiasticos ex *Freher.*  
 Protestantibus Scriptores reperies, *Theatr. B-*  
 qui hoc anno obiissent: hos inter ta- *rud. p. 461.*  
 men, tanquam luscii inter cæcos emi-  
 nuere. I. Balthasar Fuhrmannus, qui  
 de remoris sinceræ pietatis tractatum,  
 necnon Canones de Justificatione, &  
 everisionem Sanctitatis Ecclesiæ Roma-  
 no-Catholicæ, præter conciones ju-  
 bilæas consarcinavit. II. Bernardus  
 Albrecht Augustanus Præco, qui, uti  
 1 2 memo-



Sæc. XVII. memoravimus, suo munere dejectus de  
A. C. 1636.

*Vid. supra  
l. 198. §. 46.  
pag. 559.  
tom. 59.*

Magia, Melancholia, & suicidio, nec  
non libellum precatorium contra toni-  
trua & tempestates idioma Teutho-  
nico conscripsit. III. Martinus Tro-  
stius edidit Concordantias Chaldaicas,  
Lexicon Syriacum novi Testamenti,  
Epistolam D. Joannis Syriaco-latinam,  
quæstiones Hebraicas, & nobiliores  
Syro-Hebraicas, ac denique disputa-  
tiones de mutatione Punctorum He-  
bræorum. IV. Petrus Kenicius elu-  
cubravit disputationes Synodales, ad-  
monitionem ad pœnitentiam, & cele-  
brationem anni Jubilæi, necnon Con-  
ciones in caput primum libri primi  
Moysis. V. Humphradus Lynd Puri-  
tanus, ac juratus Catholicorum, &  
Arminianorum hostis, contra quos e-  
didit viam tutam, & viam deviam ex ve-  
teribus invisibilis Ecclesiæ chara-  
cteribus.

§. XLIV.

*Supplicium Jacobi Centini & cete-  
rorum in Pontificis vitam con-  
jurantium.*

*Acta pro-  
cess. Rom.  
contra Cen-  
tin.*

Jam anno superiori retulimus dete-  
ctam fuisse nefarii foederis societa-  
tem, quam Jacobus Centinus, aliique  
in vitam Urbani Papæ conslarunt. Hu-  
jus



tus de  
 nec  
 toni-  
 eutho-  
 Tro-  
 aicas,  
 menti,  
 inam,  
 liores  
 (puta-  
 He-  
 elu-  
 , ad-  
 cele-  
 Con-  
 primi  
 Puri-  
 , &  
 os e-  
 ex ve-  
 hara-  
  
 ceti-  
 n-  
  
 dete-  
 ieta-  
 ique  
 Hu-  
 jus

jus conjurationis, prout ipsemet Cen-  
 tinus, quæstioni subjectus fatebatur, Sæc. XVII.  
 sequens erat initium. Agebat hic A. C. 1636.  
 enim in Villa sua prope Asculum, ubi  
 cum amicis suis de Cardinale Patruo  
 suo collocutus, sæpius asseruit, spem  
 esse haud ambiguam illum intra pau-  
 cos Menses ad supremi Pontificatus  
 honores promotum iri; quadam vero  
 die eidem nuntiatum, in quadam Ere-  
 mo haud procul a Corropoli Eremitam,  
 nomine Bernardinum degere, Negro-  
 mantix peritillimum, ac dæmonis ope  
 futurorum probe conscium. Hunc er-  
 go Centinus regnandi cupiditate in-  
 census accersivit, ex eo sciscitatus,  
 quando ejus Patruus in Pontificem sit  
 inaugurandus? post Urbani VIII. obi-  
 tum, respondit Eremita: interrogante  
 autem Centino, quando hic moriturus  
 esset, reposuit nequam, quod multis  
 quidem annis vita superstes sit futu-  
 rus, ipse vero arcanæ artis suæ subsi-  
 dio efficere posset, ut si ita libuerit,  
 intra unius Mensis terminum certa  
 mors Pontificis sequeretur, dummodo  
 rei exequendæ non desint focii. secreti  
 tenaces. Pontificii funeris, indeque  
 speratæ felicitatis propinquitate excæ-  
 catus Centinus, Dominicum Firmen-  
 sem, & alium quemdam in nefandi cri-  
 minis societatem vocabat, tertium  
 vero,



Sæc. XVII. vero, nomine Cherubinum Anconitanum, selegerat ipsemet Eremita, ex A. C. 1636. cuius consilio Centinus cultum confici, eique varia Angelorum, dæmonumque nomina, & characteres peregrinos insculpi, necnon a nobili quadam Virgine linum duci curavit: Hoc demum apparatu instructus, Bernardinum iussit, ut filum in formam circuli per cubile extenderet, in cuius medio Centinus statuam ex cera confectam, quæ Urbanum VIII. Papam stola, mitra, ceteroque apparatu Pontificio ornatam exhibebat, reposuit: quo facto ignitabulum recens confectum apponi, carbonesque inter sacrilegas preces, incantamenta, & conjurationes accendi iussit: dein Cherubinus cultro hanc in rem confecto statuam igni vicinam transfodit, asseverans, quod sicut hæc statua a vicino igne sensim disfluxerit, ita & Pontifex ad sanitatis & vitæ præcipitium festinaturus esset: quo dicto Cherubinus se ardoris diutius tolerandi imparem simulans, residuam statuæ cereæ partem in flammam projecit. Nihil autem molestius erat, quam frustrata expectatio illius Spiritus, qui juxta Incantatoris pollicitationem conjuratis nuntiaret, utrum Pontifex jam mortuus, aut saltem morti vicinus esset? & an eo mor-

tuo



tuo Felix Cardinalis Centinus Patruus Sæc. XVII.  
 ad Pontificiam thiam certe vocare- A. C. 1636.  
 tur? Ergo novæ conjurationes, ma-  
 gica carmina, & quicquid demum  
 sanctum, sacrumque esset, iteratis vi-  
 cibus adhibetur, quin tamen unquam  
 tot votis exoptatus compareret Spiritus,  
 qui certam promissi fidem faceret:  
 cum vero ceteri aut fraudem subesse  
 suspicati, aut sceleris enormitate per-  
 culsi nutare cæperant, Centinus illos  
 partim mortis comminatione, partim  
 Romanæ Purpuræ promissis in rei exe-  
 quendæ proposito firmabat: ne vero  
 videndi spiritus spem abjicerent, quon-  
 dam incantationis ope ceream cujus-  
 dam sæminæ statuam fuisse igne con-  
 sumptam, ipsaque hac sæmina sensim  
 expirante mox Spiritum mortis nun-  
 tium comparuisse, referebat, se vero  
 hæc suismet oculis visa, non audita  
 duntaxat, lectave, agebat: Valuit hæc  
 relatio tam accommoda, & proprii  
 exempli successus, ceterorum ad cor-  
 ruptelam potens: quocirca communi  
 suffragio conjurati decernunt, quod e-  
 volutis quinque diebus Corropoli con-  
 venire, septemque Sacerdotes, ex qui-  
 bus constituto pretio unus sacrificium  
 dæmoni offerret, ad Spiritus adjura-  
 tionem, conducere vellent: Interim  
 vero Dominicus Ramporius, ceteris  
 1 4                      insa-



Sæc. XVII. insalutatis Firmum in patriam suam  
 A. C. 1636. clam secesserat; Inopina hæc fuga

Centinum vehementer torquebat pro-  
 dendæ conjurationis metu, maxime,  
 cum idem Dominicus semper nonnisi  
 reluctanter ad nefarios eorum cætus  
 accessisse visus esset: quocirca Centi-  
 nus illum citatis equis insecutus, ei-  
 dem minitabatur, si quocunque tem-  
 pore aut occasione arcanum proderet,  
 illum trucidandum fore, etsi subtus  
 terram absconditus lateret. Inde vero  
 Asculum reversus, haud obscurum de  
 suis incantationibus rumorem Romæ  
 spargi perceperat: ut ergo sua præsen-  
 tia hanc famam dissiparet, ipse anni  
 prioris Mense Julio Romam contendit,  
 & Flamminio Confortio, qui Centini  
 Cardinalis negotia procurabat, medi-  
 tati sceleris feriem exposuit: postquam  
 vero suspicio latius per urbem serpere  
 cæperat, & Centinus in jus vocari ti-  
 meret, procurandæ rei domesticæ ob-  
 tentu Roma Fulginium secessit, ubi  
 Cherubinum obvium habens, ab eo  
 didicit, se a suis Superioribus Romam  
 venire jussum fuisse; facile autem Sa-  
 cræ Inquisitionis quæstiones innata sua  
 facundia illusurum: Hac promissione  
 contentus Centinus, iter suum Ascu-  
 lum usque profecutus est, inde vero  
 crebris ad socios suos datis literis tan-  
 dem



Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

dem die vigesima Junii nil sibi jam metuens, Romam rediit; nondum enim sibi cognitum habebat, quod Dominicus intentatæ mortis metu, necnon exploratorum, qui Centini jussu ejus dorso ubique adherabant, fastidio inductus, obtenta impunitatis gratia, totam conjurationis seriem manifestasset. Vix igitur Romam pervenerat Centinus, cum illico ad Sacræ Inquisitionis tribunal cum aliis sex raptaretur: paulopost imposta juramenti Religione de Eremita aliunde de veneficiis suspecto interrogatur, ad quæ tamen ipse respondit, se haud obscuram de antiquis statuis in suo horto suffossis habuisse notitiam, hancque in rem hunc Eremitam utpote antiquitatum investigatorem longe eruditissimum evocasse: rigidiori autem quæstioni subjectus fatebatur, se ad effodiendum thesaurum convocasse socios: demum vero plurium testimonio convictus, & cum præfato Dominico compositus, omnia sua delicta mox relata confessus est, totam causam suam summi Pontificis clementiæ relinquens.

Postmodum sex nominabantur Cardinales, judicesque Forenses, qui in reos judicii acta instruerent: Horum autem sententia Centinus læsæ Majestatis Divinæ & humanæ reus, cunctisque censuris obnoxius, rogique supplicio



Sæc. XVII. plicio plectendus pronuntiabatur, præ-  
A. C. 1636. valente tamen Pontificis clementia a  
 Sacræ Inquisitionis tribunali Curie  
 Romani Gubernatoris tradebatur; in-  
 de ad Sabellianos carceres curru  
 vectus, discussa rursus causa capite  
 damnatus est: Ad eandem quoque Cu-  
 riam trahebantur Cherabinus Anconi-  
 tanus, necnon Eremita ille Bernardi-  
 nus, qui vero nomine Didacus Saler-  
 nitanus vocabatur: hi ambo ad Eccle-  
 siam sanctæ Mariæ Transpontinæ de-  
 lati, ibidemque a Diotalevio Episcopo  
 Sacro gradu dejecti ad eosdem carce-  
 res ducebantur. Die autem vigesima  
 prima Aprilis præfati Cardinales in  
 Ecclesia ad Minervam congregati de-  
 nuo conjuratorum causam maturo exa-  
 mine ad solidas tres horas protrahito  
 discussissent, demum decernentes, ut  
 conjurati altera die, quæ erat Domi-  
 nica, in Basilica Divi Petri palam suos  
 errores ejurarent, veniamque a Deo,  
 summo Pontifice, & populo publice pe-  
 terent. Hunc in finem ibidem thea-  
 trum erigitur, concurrunt plusquam  
 viginti hominum millia, ac præstituta  
 die rei vinculis onusti haud procul a  
 Pegmate sistuntur, quod postquam  
 Centinus prior conscenderat, alta voce  
 cuncta ejus crimina fuere prælecta:  
 postea producebatur Cherubinus, quem  
 mox



mox insequatur Bernardinus, seu Sæc. XVII.  
 Didacus Eremita, cui palam expro- A. C. 1636.  
 bratum est, quod horrendis sceleribus  
 infamis Roma Ulyssiponem aufugerit,  
 ac ibidem de hæresi postulatus, captus-  
 que rupto carcere lottam venerit, ubi  
 exuto S. Francisci habitu Eremitam per  
 septem annos simularit, atque Ere-  
 mum Asculanam adeptus, magicæ ar-  
 tis subsidio in summi Pontificis vitam  
 conjuravit: Ad hæc Bernardinus agi-  
 tare caput, crimenque suum, licet con-  
 fessus ac convictus esset, pernegare cæ-  
 pit, & quamvis filere juberetur, per-  
 sistit nihilominus in negando, frontis  
 orisque ferrea contumacia, contesta-  
 tus omnia sacra, profanaque, jurans  
 insuper ac dejerans tertio quoque ver-  
 bo fidem suam: lupato etiam ori in-  
 jecto negandi voluntatem, quam lin-  
 gua haud ultra poterat, desperatis fu-  
 riosisque gestibus prodidit, incassum  
 promeritam tot scelerum vindictam de-  
 clinare intentus. Demum pronuntiata  
 in eum mortis sententia pegma con-  
 scendere jubetur Dominicus Rampo-  
 rius, quem impunitatis gratia a pœna  
 immunem reddere haud poterat, eo-  
 quod conjurationis conscius, illam de-  
 tegere distulisset, ac post manifestatos  
 socios datis literis Centinum de conju-  
 ratione Sacræ Inquisitioni detecta cer-  
 tiorem



Sæc. XVII. A. C. 1636. tiorem reddidisset, illumque hortatus fuisset, ut celeri fuga salutis sue confugeret. Ob idem facinus pariter Flaminius Confortius in pegmate confitens, per decem annos ad triremes damnatus est: His successerant alii tres, qui, eoquod varias superstitiones ac sacrilegas res conjuratis subministrasse, convicti essent, partim triremium, partim carceris pœnæ adjudicati sunt.

Peracta hac errorum abjurazione rei ad carceres suos reducti sunt, ubi nocte ad diem vigesimam secundam Aprilis vergente, Centino, Cherubino, & Didaco Eremitæ mortis sententia fuit denunciata. Hos inter prior summo mane ad forum Campi Floræ deducebatur Centinus, qui ad Cardinalem Centinum Patrum, ad Episcopum suum necnon ad quemdam amicum in paucis charum, suamque uxorem literas dedit, quibus deplorata criminis sui atrocitate veniam precabatur: postea rursus facta præteritæ ætatis accusatione ferale pegma conscendit, atque ingeniculatus collum apposite super truncum in ictum intrepidus demittit, & decussatim pectori superimpositis manibus, crescente Christianæ penititudinis impetu Deum, ac sanctissima Nomina altiore voce invocans, feralem ictum expectat: mox igitur car-

nifex



nifex ascia in miseri cervices irruente Sæc. XVII.  
 caput abscidit. Peracto hoc supplicio A. C. 1636  
 Eremita & Cherubinus pallo alligati  
 laqueo suffocati sunt, mox flammis  
 traditi.

## §. XLV.

*Ferdinandus II. Imperator vita  
 functus.*

Adhuc dum Ferdinandus II. Romano-Khevenhill.  
 rum Imperator Ratisbonæ in co-Annal. Ferd.  
 mitiis hærebat, dum anno hujus sæ-tom 12.  
 culi trigesimo septimo Joannes Geor-p. 2154.  
 gius Saxonix Elector per suum Lega-Annal. Boic.  
 tum deprecabatur, ut Badensis Mar-part. 3. l. 22.  
 chio, Palatini Principes, Silesix Ordines,  
 Oettingani Comites, necnon Augustana,  
 & Osnabrugensis civitates Pragensis  
 pacis beneficio frui, & Wirtembergenses  
 Duces bona Ecclesiasticis erepta, necnon  
 liberum Augustanæ Confessionis exercitium  
 retinere permitterentur: Pariter unitarum  
 Belgii Provinciarum Ordines Cælare, ut  
 Piccolomini Ducis exercitum abducere  
 vellet, rogabant, quos Imperator quidem  
 ad pacem, vel saltem inducias permovere  
 nitebatur, Hispanus vero Electorali Collegio  
 exposuit, „quod Batavi nequaquam lace-  
 ssiti Imperium atidem infestis armis oppres-  
 serint, nunc vero



Sæc. XVII. „vero multo ære gravati, alienisque au-  
A. C. 1636. „xiliis destituti, ut neutrarum partium  
 „esse liceret, ea duntaxat ex caussa  
 „peterent, ne pacta Hispanis faventia  
 „acceptare cogentur, concessa autem  
 „securitate postmodum eo validius Hi-  
 „spaniæ Regem debellare, & usurpa-  
 „tis in Imperio urbibus quiete frui  
 „possent, inde veto plurimum ignomi-  
 „niæ ac damni Catholicis in Imperio &  
 „extra Imperium accederet, proin vel  
 „sola adhuc hæc ratio apud Cæsarem,  
 „& Principes Catholicos maximi facien-  
 „da foret, & conscientiæ scrupulum mo-  
 „vere possent, Verum horum capitum  
 decisio ad alium Imperii Conventum  
 remittebatur, eo quod Ferdinandus af-  
 fiduis Imperii curis exhaustus, & mala  
 pridem affectus valetudine reditum ex  
 comitiis Viennam maturaret. Die igitur  
 vigesima tertia Januarii Ratisbona  
 profectus, die octava Februarii Vien-  
 nam pervenit, ubi tamen ingravescente  
 morbo, vitæ suæ noxas sacra confessio-  
 ne eluere, & sacrosancto Christi Cor-  
 pore refici, necnon Sacro Oleo ungi  
 petiit, demum die decima quinta Fe-  
 bruarii inter luculenta singularis pieta-  
 tis signa animam Deo reddidit, anno  
 ætatis suæ quinquagesimo nono. Erat  
 is maximarum virtutum Princeps, ju-  
 stitia, clementia, opum, bonorumque  
 con-



contemptu, liberalitate, misericordia  
 in pauperes, rerum gestarum magni-  
 tudine, inter summos Imperatores  
 longe gloriosissimus, & nulli etiam Cæ-  
 sarum optimo ante se secundus. Præ-  
 cipue vero immoto tuendæ & amplifi-  
 candæ fidei Catholicæ studio inclaruit,  
 lingua & calamo palam testatus, se  
 malle coronas ponere, ostiatim cum  
 Coniuge & liberis stipem colligere,  
 atque in frustra a carnifice concidi,  
 quam committere, ut se vivo hæresis  
 in suis ditionibus invalescat, & Religio  
 Catholica ullam labem accipiat. **Et**  
 sine tot bella gessit, totque calamitates  
 perpeffus, ac non semel ad extremum  
 sui totiusque Augustissimæ Domus di-  
 scrimen redactus est, non ut suas pro-  
 tenderet Provincias, sed ut populum  
 suum misere deceptum ad orthodoxam  
 fidem, & Imperium ad firmam pacem  
 novis sectis turbatam reduceret: Insu-  
 per pro avita Austriacæ Domus pietate  
 Deo Eucharistico in publicum prodeunti  
 semper comes adfuit, dum potuit,  
 cumque aliquando diutius facem sat  
 ponderosam teneret, atque exin dexte-  
 ra intumesceret, a suis, ne idem die  
 altera faceret, admonitus respondit,  
*supereff adhuc manus altera, qua Deo meo*  
*serviam.* Denique tam sollicitè castita-  
 tem colebat, ut cum nulla etiam Prin-  
 cipe

Sæc. XVII.  
 A. C. 1636.



Sæc. XVII. cipe fœmina solus loqueretur, aut si  
 A. C. 1636. res secretum deposceret, Augustam sal-  
 tem Conjugem in colloquii testem ad-  
 vocaret. Nec heroicæ virtutis, & bene-  
 gestæ rei testimonium etiam ab hostibus  
 deest; quippe Mustazanus Turcarum  
 Princeps de Ferdinando dicere solitus  
 erat: *sanctus est: Deus cum illo, & pro  
 illo pugnat*, ipse etiam Amurathes Tur-  
 carum Imperator in tanti Cæsaris reve-  
 rentiam, Constantinopoli præter mo-  
 rem Principum Legatis concesserat, ut  
 publice pio Cæsari parentarent, adhi-  
 bitis simul in pompam funebrem, sce-  
 ptris, coronis, aliisque Cæsareæ Maje-  
 statis insignibus. Gustavus quoque Sue-  
 ciæ Rex, juratus Ferdinandi hostis,  
 non semel fassus erat, non ita militiam  
 Ferdinandi, quam solam ejusdem vir-  
 tutem esse formidandam. Talis tan-  
 dem, tantusque erat hic Imperator,  
 ut communi omnium testimonio nec e-  
 jus inimici magis gratiosum, amici ma-  
 gis benevolum, nec totus Orbis Chri-  
 stianus meliorem optare potuisset:  
 Porro demortui cadaver Vienna Græ-  
 cium in Styriam translatum mausoleo,  
 quod ipsemet sibi ante viginti tres an-  
 nos excitaverat, conditum quiescit, ad-  
 jecta hac funebri inscriptione: *Hic ja-  
 cet, qui semper pro Deo & Orthodoxa fide  
 stetit, cujus memoria nondum sepulta etiam*



nam vivit, vivacissima sanctorum Principum memoria. Tam digni Principis virtutes longe clarissimas Khevenhillerus Comes in suis Annalibus fusius prosequitur, unico communis luctus temperamento, quod tantus Parens Successorem reliquerit Ferdinandum III. qui Genitoris virtutes non degeneri æmulatione perseverabat extendere, Religionis præprimis & clementiæ docili successione.

Sæc. XVII.  
A. C. 1637.

§. XLVI.

*Sueci in Pomeraniam repulsi.*

Disparuit exoptatæ pacis spes, postquam Sueci variis tergiversationibus Cæsaris, aliorumque pacem morientium desideria in comitiis comperendinabant, atque Arundelius Angliæ Legatus Regem suum ad arma in Cæsarem movenda impellere, totis viribus nitentibus: quapropter Ferdinandus III. non modo patriarum ditionum successor, sed virtutum etiam & gloriæ hæres, cum Hispanis Bavarisque Legatis de futuri belli rationibus varia Viennæ consilia agitare cogebatur, præcipue cum Galli Ferdinando Imperatori, ut illum oppugnandi obtentum haberent, honorem Romanorum Regis ac Imperatoris deferre denegarent, caussati,

*Hist. Eccl. Jæger. l. 7. cap. 1. Puffend. l. 9. §. 3. Theatr. Europ. tom. 3. p. 750.*

*Hist. Eccles. Tom. LX.*      K      Tre-



Sæc. XVII. Trevirensis capti Legatos nequidem  
A. C. 1637. admissos, Moguntinum & Coloniensem  
 Hispana pensione corruptos, Bavari-  
 jus ad Electoratum nondum esse satis  
 evictum, Legatos Saxonis & Brande-  
 burgi sua excessisse mandata, & Fer-  
 dinandum sibimetipsi suffragium tulisse.  
 Nec his cavillationibus contenti erant  
 Galli, sed insuper Sueciæ Rectores,  
 imo & ipsum summum Pontificem sol-  
 licitabant, ut & hi Ferdinando litem  
 moverent, spe tamen sua frustrati font:  
 nihilominus ingentes Gallorum Sueco-  
 rumque apparatus neo-electum Cæsarem  
 ejusque foederatos opprimendi consilia  
 prodebant; postquam enim Bannerius  
 Suecici exercitus Ductor, Erfordia po-  
 titus, ex Turringia Cæsareos expule-  
 rat, cum universo exercitu Torgaviam  
 movit, fugatisque quatuor Saxonum  
 legionibus urbem cepit, ac Lipsiam  
 toto armorum apparatu cinxit, quam-  
 vis a Cæsareis & Saxonibus co-  
 piis obrutus non sine suorum clade ob-  
 fidionem solvere coactus esset. Hoc  
 successu animatus Comes Hatzfeldius,  
 unacum Cæsareo Goetzii & Darmsta-  
 diensis Landgravii agmine Jenam con-  
 tendit, urbemque, expulsis Suecis,  
 militum direptioni exposuit, hostem-  
 que Torgaviam usque repulit: tan-  
 dem vero Saxonice copiis junctus,  
 post



post crebras velitationes, mutuas-  
 que cædes Suecorum castra ad Torga-  
 viam invadere statuit: Interim vero  
 Bannerius Misniam stratagemate cepit,  
 ac propagata per vicos cæde urbem di-  
 rripuit, cumque arcem superare despe-  
 raret, excitato variis locis incendio  
 Torgaviam reversus est, indies vero  
 crescente annonæ & pabulationis diffi-  
 cultate, ac Cæsareo - Bavarico exer-  
 citu tam copiose aucto, ut clausis pas-  
 sim itineribus pene ipse cum suis ob-  
 sideretur, motis castris, tormentisque  
 septem relictis a Torgavia ad Viadrum  
 citatis itineribus auffugit; insequitur  
 Cæsareus miles, ac cæsis sexcentis,  
 captisque plusquam quadringentis po-  
 stemum agmen fundit; Bannerius quo-  
 que cum reliquo exercitu in adversam  
 Viadri ripam fugienti haud absimilis  
 ægre evasit, ac præter milites Germa-  
 nos, qui una omnes a Suecorum signis  
 ad Cæsareos transfugerant, magnam  
 impedimentorum, machinarum, & e-  
 quorum partem medio inter Albin &  
 Viadrum itinere amisit. Nil reliquum  
 Bannerio erat, quam dissipatas exerci-  
 tus sui reliquias prope Landspergam  
 Marchiæ Brandeburgicæ urbem colli-  
 gere: at jamjam Cæsarei viam præ-  
 cludere, unde Custrinum profugus, ibi-  
 dem pediatum suum cum Joanne Uran-  
 gelio,



Sæc. XVII. A. C. 1637. gelio, altero Suecorum Ductore, qui expugnato Francofurto novas ex Pomerania copias adduxerat, conjungere compulsus est. Verum instabant fugientibus Cæsarei, qui intercepta Landsperga Ratenaviam, Havelbergam, Ukermundam, captoque juniore Oxenstirnio pluribusque aliis, Werbensem, Plavensem arcem, necnon Dremitzam, Luneburgum, pluresque alias urbes occuparunt. Galasius quoque cum toto exercitus robore in Pomeraniam irrumpens, profligato Urangelii equitatu Tripsecium astu, Wolgastum vero armis præter alias urbes cum ingenti Suecorum clade subegit, caesis Suecorum plusquam octingentis, fuis insuper fugatisque quinque legionibus, atque amissis viginti quinque signis, & quatuor belli tormentis. Inde tanta Suecorum animos formido incelsferat, ut munitam admodum turrim Lixis & calonibus, qui ex Cæsareo agmine pabulatum excurrerant, sibi dedi. postulantibus, eam nonnisi vitæ incolumitatem pacti tradiderint. Demum pluribus urbibus per varios Cæsaris Belliduces occupatis, Suecorum potentia plurimum accisa, atque ad extremum maris Balthici angulum rejecta nunquam resloruisset, nisi Galli non sine maximo rei Catholicæ detrimento



mento collapsas Protestantium res re- Sæc. XVII.  
stituisent, & fœderati Principes Cæ- A. C. 1637.  
sareis commeatum suppeditare non  
denegassent.

## §. XLVII.

*Prospera Joannis de Werth expedi-  
tio ad Rhenum contra Gallos,  
Suecosque.*

Nec magis secunda belli fortuna ad *Barre Hist.*  
Rheni confinia adspirabat Gallo- *d' Allemagn.*  
Suecis; postquam enim Bavari Gallos *t. 9. p. 698.*  
ex Confluentia, locisque finitimis ex-  
pulerant, Joannes de Werth Herman-  
steinium, arcem ad Rheni & Mosellæ  
confluentes munitissimam, & jam antea  
a Cæsareis obsessam circumfulis eminus  
Legionibus arctius cingere, omnem-  
que annonæ invehendæ opportunitatem  
obsessis præcludere statuit: inde vero  
Urbs ad tam exitialem formam per-  
ducta est, ut cives, militesque Galli  
penu omnino exhausta, ne rabies e-  
dendi vitalia depasceret, primo ad  
siliquas, obviasque quasque herbas,  
radices & absurda quæque solo genita,  
vellenda, rabida cupiditate converteren-  
tur, & demum nullo inter nutrimenta  
facto selectu (adeo indomitus est ven-  
tris impetus, qui præfestina aviditate,  
dummodo prima sui specie crederentur  
utilia,



Sæc. XVII. utilia, inter salutaria & noxia non di-  
A. C. 1637. stinguunt) in hortenses rubetas aut bufon-  
 es, vermes & serpentes exitiali in-  
 gluvie involarent. Jam tum inter cu-  
 pedias numerabantur asini, canes, fe-  
 les, glires, muresque, dapes pro so-  
 lis Belli Præfectis ac Nobilibus refer-  
 vatae: ipse etiam Bussius Lametius ar-  
 cis Gubernator consumptis jam equis  
 octoginta glires absumperat, singulos  
 duodecim facile sestertiis coemptos.  
 Tandem, ubi luis inde conceptæ vio-  
 lentia quamplurimos absumperat, ac  
 ceteri ferme omnes obsidionis labori-  
 bus ultra ferendis impares evaderent,  
 tantum non ad salutis desperationem,  
 arcisque deditionem ventum est. Op-  
 portune tamen Galli Hassis Batavisque  
 negotium dabant, ut laboranti urbi  
 nulla mora subvenirent; Guilielmus  
 igitur Hassiæ Landgravius contractis  
 ex Rheno inferiori copiis ut centum  
 quinquaginta plaustra omni cibariorum  
 genere onusta urbi inferrent, Melandro  
 & Darmsteinio Tribunis præcepit. Jam-  
 jam primum agmenmunitioni, & pro-  
 pe sub tutela bellicarum machinatio-  
 num propius accedit, unde confestim  
 quod in successibus expectatione ra-  
 rioribus vulgo solet, ut nec animus nec  
 vox se contineat, intempestivus pri-  
 mum obsessorum clamor, & impatiens  
 more



Sæc. XVII.  
A. C. 1637.

moræ lætitia, tum festiva scloporum  
exploſio. proſperamque annonæ ad-  
reſtionem aggratulantium conclama-  
tio celebratur. Verum tantilla hæc  
ſolatia non diu citra multorum cladem,  
urbisque ruinam ſteterẽ; quippe Joannes  
de Werth comperta hac Haſſorum  
expeditione cum valido Bavarorum  
agmine poſt montem Grenzhufanum  
haud procul ab arce inobſervatus ſub-  
ſiſtit, atque ex inſidiis in hoſtem ir-  
rumpens, primo acriter reſiſtentes, de-  
mum poſt cruentam cladem territõs in  
fugam egit, univerſaque annona poti-  
tus eſt, aſpectantibus ex arce, & nequic-  
quam frementibus Gallis; quare ob-  
ſeſſi jam omni ſpe opis decollata, die  
vigefima ſeptima Junii arcem Cæſareis  
dedere, per Rhenum armis vexillis-  
que inſtructi ad Batavos uſque deducti.  
Poſtmodum ex pacto arcis cuſtodia  
Archiepiſcopo atque Electori Coloniẽſi  
eſt commiſſa, ut eam Trevirenſi dein  
Electori aut ejus Succeſſori redderet.

Interim Bernardus Vinariẽſis Dux  
ex Gallia cum pecuniis & copiis redux,  
bellum ad Nicrum, Mænumque trans-  
ſerre meditabatur, quocirca in Bur-  
gundiam cum valido agmine contendit,  
ac Mercio Comite Lotharingiæ Ducis  
Tribuno non ſine magna clade repulſo,  
octodecim Burgundici Comitatus arces

K 4 occu-



**Sæc. XVII.** occupavit, inde vero in Alfatiam pene-  
**A. C. 1637.** trans, postquam Kenzingam urbem in-  
 cassum obsederat, constructo navali  
 ponte Rheinaviæ cum suis copiis Rhe-  
 num trajecit, & in adverso fluminis li-  
 tore castra posuit, aggere fossisque quam  
 celerrime munita. Hæc Ducis mol-  
 mina Joannem Werthanum ad omnes  
 hostium motus intentum fugere haud  
 poterant: protinus ergo Vinariensi ob-  
 viam proficiscitur, eumque iterato præ-  
 lio devictum trans Rhenum in Burgun-  
 diam rejicit, pontemque, quem Dux  
 pluribus propugnaculis firmaverat, ag-  
 greditur, & occupat, Gallis inde au-  
 fugientibus, quos tamen victor strenue  
 infecutus, potissimam partem profliga-  
 vit, captis ceteris omnibus.

## §. XLVIII.

*Gallorum, Batavorumque gesta bul-  
 lica contra Hispanos.*

*Newill Hist.  
 d' Holland.  
 tom. I.*

Quominus Richelius Cardinalis hoc  
 anno in Germania Cæsaris hostes,  
 ac præcipue Suecos potentius juvaret,  
 non modo intestinæ turbæ ob vectiga-  
 lium onera in Aquitania concitatae,  
 sed etiam Hispanorum invasiones ob-  
 erant. Hi enim Provinciæ Insulas &  
 Occidaniam infestis armis inundabant.  
 Eapropter Richelius Harcurtium Co-  
 mitem,



mitem, qui valido exercitu instructus Sæc. XVII.  
 Hispanos inde pelleret, præ ceteris no- A. C. 1637.  
 minabat, haud pœnitendo selectu. Hic  
 enim audacissimæ felicitatis Bellidux Brachel.  
 exiguo prorsus tempore Lirinenses In- Hist. .. 5.  
 sulas longa obsidione olim ab Hispanis Pufend. rer.  
 occupatas, atque omnium opinione Suec. l. 9.  
 prius inaccessas levi brachio occupavit. p. 302.  
 Halvinus quoque Occidaniæ Pro - Rex Busier Hist.  
 collectitio duntaxat milite, Hispanos France l. 24.  
 prægrandibus suis propugnaculis & mu-  
 nitionibus Leocate exiit, eorumque  
 castris est ante potitus, quam Hispani,  
 qua parte invaderentur, cogitarent.  
 Horum jactura nondum satis conceptæ  
 in Hispanos invidiæ litatum fuisse, cen-  
 sebat Richelius, ut ergo Olivario Hi-  
 spani Regis Ministro, veteri felici-  
 tatis suæ æmulo acerbiorē inferret  
 molestiam, arma Gallica in Belgium  
 Catholicum inferre statuit, in opem  
 accersitis Hollandis, qui recuperato  
 Schenkiano munimento Bredam urbem  
 olim a Spinola expugnatam obsidere  
 aggressi sunt, & quamvis Ferdinandus  
 Cardinalis Belgii Gubernator, ut hanc  
 urbem servaret, omnes intendisset ner-  
 vos, cum tamen pulvis pyrius defecis-  
 set, ac cives obsidionis miserias pertæsi  
 deditionem fieri, importunius postula-  
 rent, Cardinalis Hispanus die sexta  
 Octobris in honesta deditionis pacta  
 K 5 con-



Sæc. XVII. A. C. 1637. convenit, inter quæ præcipua erant, ut præprimis præfidiarii mille octingenti cum impedimentis, armisque honorifice Mechliniam transferrentur, & Catholicis Religionis libertas integra esset. Hanc libertatem, licet eam Cardinalis post recuperatam Venlonam & Ruremundam Calvinistis denegasset, Hollandi quidem Bredanis sponderant, mox tamen promissam illis securitatem violarunt, ac Catholicorum plerisque urbe expulsis, Sacra fieri prohibuerunt, hoc obtentu nonnisi levissimæ suspicioni innixi usi, quod Catholici magno numero congregati noctu januis clausis festivitatem S. Catharinæ celebrassent. Præterea Batavi Minam celeberrimum Guinææ in Africa propugnaculum post tridui oppugnationem deditione cepere, præfidiariis inde ad Insulam S. Thomæ data fide libere dimissis. Ad Hispanæ insuper infelicitatis cumulum accessit Valetæ Galli Cardinalis & Candali Fratris sui expeditio. Hi enim, Hispanis ad repellendos Hollandos & liberandam Bredam interea intentis, Landresium urbem tertia post incæptam obsidionem hebdomada eripuerunt, non tamen absque Buffii Lametii, qui antea Hermansteinianam arcem strenue propugnauerat, necnon Ramburii incredibilis audaciæ Herois jactu-



jaçtura, eo magis lugenda, quo cum Sæc. XVII.  
dedecore conjuncta esset; cum enim A. C. 1637.  
ex urbe Hispani erumperent, Galli ad  
horum aspectum turpiter aufugerunt,  
qua in fuga ambo hi Belliduces ab hoste  
trucidati periere. Denique Hispani in  
Sequanis complura oppida arcesque  
præter Ivosium & Damvilleriam urbes  
amifere, ubique hoc anno tam in pro-  
pugnandis, quam obsidendis urbibus  
infelices.

## §. XLIX.

*Novæ Leodiensium Turbæ.*

Vix prioris anni tumultus a Leodiensi  
populo concitati Principum aucto-  
ritate fuerant sopiti, cum hoc item an-  
no rursus Leodiensis plebs seditionibus  
oppido periculosis agitaretur: plerum-  
que enim exacerbatis semel civium ani-  
mis atque in plures factiones scissis,  
turbæ ad tempus sedatæ eo atrocius  
demum recrudescunt. Hisce tumulti-  
bus ansam dederat cædes Sebastiani  
Ruellii Leodiensis Consulis. Is, eo quod  
adversus Ferdinandum Archiepiscopum  
Colonensem, qui tum Leodiensem Diæ-  
cesim moderabatur, Gallicæ factionis  
studia aluisset, a Barfusæo Comite ad  
prandium invitatus, sublatisque epulis  
in separatam deductus conclave, multis  
vulne-

*Jäger. Hist.  
Eccl. l. 7. c. 6.  
Brachel. l. c.*



Sæc. XVII. vulneribus interficitur. Cædis fama  
 A. C. 1637. mox in vulgus sparsa, repente ingens  
 ex civium concursu fit concitatio, cinguntur Comitæ ædes, armataque vi expugnantur, cæsis plerisque militum, quos Comes introduxerat: ipse etiam Barfusæus in forum protractus, furentium manibus ac telis in necis perpetratæ vindictam fœde conscinditur: Ruellius vero velut publicæ salutis victima perhonorifice sepelitur. Demum in cædis auctores ac conscios furibunda plebs pro summo imperio inquit, ac Theodorum Fleronium Senatorem, quem Bartholomæus Rolandus necato consuli affinis, cædis reum accusaverat, nequidem expectato Magistratus decreto, ex carcere in publicum extrahit, ac glante plumbea trajectum e furca suspendit. Occupata semel supremi iudicii auctoritate cives progressu temporis ad tantam prorupere temeritatem, ut pro ea defendenda adversus Principem suum nunc Gallorum, nunc Hollandorum opem implorarent, imo & belli tormentis Episcopum ac Electorem urbis & Ecclesiæ suæ aditu excluderent, ac non nisi adhibita armorum vi ad obsequium revocari possent. Postmodum vero seditionis suæ pœnas amissa libertate dare cogebantur; plerumque enim importune usur-

pata



pata libertas, in servitutem dege- Sæc. XVII.  
nerat. A. C. 1637.

§. L.

*Tumultus inter Trevirenses Clerum  
& populum.*

Postquam Galli ex Hermansteiniana *Annal. Trev.*  
arce a Cæsareis fuerant expulsi, l. 25. n. 22.

Christophorus Trevirensis Elector a Gallico jugo nonnihil liberatus, suæ etiam libertatis recuperandæ spem conceperat: Eapropter Lintzio quemdam ex Patribus Capuccinis ad Ferdinandum III. Cæsarem in vicina quadam arce degentem ablegabat, qui exposita Archiepiscopi indigentia pecuniarum subsidia a Ferdinando peteret: cum autem Imperator probe cognitum haberet, quod hic idem Elector ingentem auri vim Metis Luxenburgum transtulisset, hinc Capuccino hæc respondit, *refer Electori tuo, ut ex suo thesauro tam sibi quam mihi subsidium præset; utriusque enim necessitati sublevandæ sufficiet.* Relato hoc Cæsaris responso Elector, hunc thesaurum præter se nemini cognitum antea arbitratus, nunc de Imperatoris auxilio desperare cæperat: hinc per suos ad summi Pontificis opem recurrere studuit, nec irritò successu; cum enim Urbanus Papa juri suo in Eccle-



Sæc. XVII. A. C. 1637. Ecclesiastici Principis captivitate derogatum, vehementer apud Cæsarem quereretur, Ferdinandus, ut Pontificis voto satisfaceret, Archiepiscopum Viennam transtulit, simulque eum sub custodia Legati Apostolici esse iussit. Eo autem absente, cum Clerus populusque Principe ac Rectore suo destitutus esset, interciso ordinis compositi nexu non rara inter utrumque dissidia Trevisis oriebantur, & quidem hoc anno gravis admodum contentio inter Clerum & Magistratum exarserat: Hic enim militiæ Præfectis indulserat, ut in Monasteriorum, Canonicorumque ædes milites suos distribuerent, ne egentiores cives alendi militis onere diutius gravarentur. Obstiterant Clerici ac Religiosi, Ecclesiasticæ immunitatis privilegio suffulti: militibus tamen hæc ædes vi occupantibus, Clerici ad Tribunalis Ecclesiastici Judicem, sacræque libertatis vindicem provocarunt, efflagitantes, ut hujus violentiæ Authores in jus vocarentur, & niperentur, diris devoverentur: cum vero Magistratus juxta ac militiæ Præfecti hoc forum declinarent, iterato moniti tandem a Clero una omnes affixo ad Templorum valvas anathemate nominatim Sacrorum usu prohibiti sunt. Inde exacerbati Urbis Proceres, vices re-  
pensuri,



penfuri, publico edicto civibus injun- Sæc. XVII.  
 xerunt, ut Clericis nihil omnino victua- A. C. 1637.  
 lium aut commerciorum indulgerent.  
 Ergo excubiæ ante urbis portas, ta-  
 bernas, & officinas collocantur, ne  
 quid vini, frumenti, aliarumque vesca-  
 rum rerum nec prece nec pretio in Cle-  
 ricorum ædes deportarentur: Tenuit  
 infesta hæc talio per plures dies, non  
 sine magna piorum offensione: tandem  
 vero Metropolitanæ Ecclesiæ Proceres,  
 penes quos tum summa rerum erat,  
 tantum prævaluere, ut pactis utrinque  
 legibus cives Ecclesiæ reconciliati, &  
 Clerici libero rerum ad victum neces-  
 sariarum usui restituti essent.

§. LI.

*Franciscus Cupifus ob apostasiam e  
 Sorbona ejectus.*

Postquam Sacræ Facultati Theologi-  
 cæ Parisiis innotuit, quod Fran-  
 ciscus Cupif patria Andegavenfis, Theo-  
 logiæ Doctor ab Ecclesiæ gremio ad  
 Calvini castra transfugerit, tantam im-  
 pietatem detestata, habitis Sorbonæ  
 comitiis, die prima Julii præfatum  
 Franciscum tanquam hæreticum e Do-  
 ctorum Albo expunxit, ejusque nomen  
 infamiæ stigmatem notavit, promulgato  
 hanc in rem sequenti decreto: „Jure  
 „ac

*Argentré  
 Collect. Ju-  
 dic. S. Fa-  
 cult. tom. 3.  
 p. 10.  
 Bibl. Sor-  
 bon. pag. 6.  
 74.*



Sæc. XVII., ac merito Apostolus hæreses inter car-  
 A. C. 1637., nalia crimina enumerat, utpote in  
 „quas, occulto iudicio Dei, præcipi-  
 „tes ruere videmus eos, qui vel pro-  
 „prij arbitrii vanitate ac fiducia tumen-  
 „tes, vel secundum carnem ambulan-  
 „tes, nec spiritu Dei duci se sinunt,  
 „nec ulla regula teneri, sed nec quid-  
 „quam, nisi quod ad animalis hominis  
 „gustum sit, sapiunt. Quam ex inti-  
 „mis visceribus dolendum! Sed quam  
 „horrendum ejus rei exemplum, ma-  
 „gno piorum omnium scandalo, & ini-  
 „micorum Crucis Christi applausu, nu-  
 „per dedit Franciscus Cupif Andegaven-  
 „sis, in almæ facultatis theologicæ Pa-  
 „risiensis gremium olim, tandemque in  
 „Doctorum numerum infelici sorte co-  
 „optatus! qui postea immemor legis  
 „ab optima parente acceptæ, quæ ejus  
 „capiti additura erat gratiam apud  
 „Deum & homines; immemor etiam  
 „Sacramenti toties iterati, quo se,  
 „tum Candidati per singulos gradus, tum  
 „recens creati Doctores, ex more insti-  
 „tutoque hujus ordinis, obstringere so-  
 „lent: in eam, quam inter cæteras,  
 „conceptis verbis damnaverat, perver-  
 „sam Calvinianorum sectam, misere  
 „lapsus, exitium sibi a Deo, ab ho-  
 „minibus dedecus, undequaque male-  
 „dictum accersivit: factus ut filius in-  
 „sapiens



Sæc. XVII.  
A. C. 1637.

„sapiens mæstitia Matris suæ, dum per-  
 „fida prævaricatione Ecclesiæ Catho-  
 „licæ, Apostolicæ, & Romanæ veram  
 „Doctrinam ejurans, ad hæreticorum  
 „partes detecta fronte transfugit, &  
 „impietati, ac mendacio nomen dedit.  
 „Sed quæ illi ad immane præcipitium  
 „proclivitas, nisi ex innata animi præ-  
 „sumptione, ac effrænis libidinis, qua  
 „semper iis, qui propius illum norunt,  
 „flagrare visus est ardore indomito?  
 „unde obcæcatus & juxta proprias con-  
 „cupiscentias semper incedens, excuf-  
 „so suavi Christi jugo, evasit sponta-  
 „neum hæreseos, quæ omnium pecca-  
 „torum cumulus est, mancipium. Cum  
 „vero, ut loquuntur Christiani Impera-  
 „tores, quod in divinam Religionem  
 „committitur, in omnium feratur in-  
 „juriam; potiori jure ad se spectare  
 „Sacra facultas censuit, irrogatam a  
 „degenere foetu, in Christum, Christi-  
 „que fidem, contumeliam, ut eam in-  
 „famiam gravissima, pro criminis atro-  
 „citate, censura corripiat, ac publica  
 „detestatione a se amoliat; tametsi  
 „non sit verendum, ut spuria vitula-  
 „mina dent radices altas, nec stabile  
 „firmamentum collocent. *Væ fili de-  
 „sertor, ut faceres consilium, & non ex-  
 „me; & ordireris telam, & non per Spi-  
 „ritum meum, ut adderes peccatum super*  
 „His. Eccles. Tom. LX. L pec-



Sæc. XVII. „peccatum: qui ambulat, ut descendat in  
 A. C. 1637. „Ægyptum, in Synagogam Satanae, &  
 „os meum non interrogasti, nec recordatus  
 „es præceptorum meorum: disciplinam meam  
 „abjecisti, sperans auxilium in fortitu-  
 „dine Calvini & sequacium, & habens  
 „fiduciam in umbra Ægypti, hoc est,  
 „conventiculi hæreticorum. Sed erit  
 „tibi imaginaria fortitudo in confusio-  
 „nem, & fiducia umbræ, quam spreto  
 „Ecclesiæ Orthodoxæ corpore, conse-  
 „ctaris, in ignominiam. „

„Eapropter Sacra Theologiæ Fa-  
 „cultas Parisiensis ante nominatam  
 „Franciscum Cupif, tanquam impium,  
 „perjurum, Sacrilegum, Apostatam,  
 „hæreticum, adeoque proprio jam ju-  
 „dicio condemnatum ex Sententia  
 „Apostoli, communi voto, damnavit,  
 „e suorum Albo in perpetuum expun-  
 „xit, omni gradu, honore, titulo ab-  
 „dicavit, eique anathema publico pro-  
 „grammate inclamandum decrevit.  
 „Actum apud Sorbonam, in comitiis  
 „solemnibus die prima, & confirma-  
 „tum die decima quinta Julii, anno  
 „Domini millesimo sexcentesimo trige-  
 „simo septimo. „



## §. LII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1637.*Facultatis Theologicæ Parisiensis cen-  
sura in libros Theophili  
Milleterii.*

Pari Religionis studio Sacra Facultas  
Parisensis libros fidei puritati ad-  
versos eliminare satagit; cum enim  
Theophilus Brachetus de Milletiere  
Calviniani Consistorii Parisiensis Senior  
sub specioso Catholicos cum Calvini-  
stis uniendi obtentu, perniciosum li-  
brum, cui titulus: *Christianæ pacis me-  
dia ad uniendos Catholicos & Evangelicos  
circa Religionis dissidia*, ederet, Chape-  
larius Facultatis Syndicus die quarta  
Novembris spurium hunc foetum ma-  
turiore examini subijci petiit. Referen-  
tibus igitur duobus Magistris, quod  
hic liber variis erroribus contra fidem,  
sanam doctrinam, & summorum Pon-  
tificum auctoritatem scateret, Facultas  
eundem censura notavit, data tamen Cen-  
soris licentia, ut prius cum ipsomet  
Authore de præcipuis libri capitibus  
conferre possent; quamvis autem Mil-  
leterius in publico Facultatis confesso,  
priusquam censura evulgaretur, audiri  
impensius peteret, nihilominus Facul-  
tas perceptis desuper singulorum Do-  
ctorum sententiis die decima quinta



Sæc. XVII. Decembris pronuntiabat, supervacuum hoc fore, nisi prius suam heresin penitus ejuraret, & publice Catholicam fidem profiteretur, quod facere renuit: nec tamen propterea suorum contemptum evasit; postquam enim suum Syncretismum typis edidit, inde tam atrox Calvinistarum odium in se concitaverat, ut ab illis Charentonii anno hujus sæculi quadragesimo secundo diris devoveretur: ipse vero brutum hoc fulmen flocci habens, paulopost librum seu *sinceram fidei Catholicæ professionem* vulgavit, eo laboris successu, ut tandem tertio post anno exeunte Mense Martio Calvinii venenum evomeret, palamque ad Apostolico-Romanæ Ecclesiæ sinum reverteretur: prius tamen alium evulgavit librum, censorio in Calvinistas stylo exaratum: cum autem nec vere Catholicus esset, nec Calvinista videri vellet, haud mirum, quod in præfato libro, cui titulus: *Verus Pacificus circa controversiam de usu Sacramenti Pœnitentiæ*, plurimas propositiones erroneas, Concilio Tridentino contrarias æque ac hæreticas immiscuerit. Habita hujus libri notitia Facultas quantocius eundem selectis Doctoribus examinandum tradidit, hancque censuram in eum pronuntiavit: „Dum Ecclesia peregrinatur in terris, „alter-



„alterni temporis discrimen ignorat: Sæc. XVII.  
 „una manu ædificans, altera pugnans: A.C. 1637.  
 „Semper in bello, semper in pace ver-  
 „satur. Pacem habet intra fines suos,  
 „inter cives sanctorum & Domesticos  
 „Dei: bellum sacrum extra limites suos  
 „perpetuo gerit, cum Allophylis, qui  
 „foris sunt, qui castra metantur ex ad-  
 „verso tabernaculi. Hi profecto, si  
 „quando civitatem Dei, cujus partici-  
 „patio est in idipsum, aperto Marte  
 „invadunt, certissimam Ecclesiæ victo-  
 „riam accelerant: ubi vero ex insidiis  
 „moliuntur, non solum eam retardant,  
 „sed interim prædas agunt, incautos  
 „vulnerant, imbecilles abducunt. Quo-  
 „circa neque periculosius unquam in-  
 „sidiantur, quam cum pacis nomen ac-  
 „votum obtendunt, atque ut Prophe-  
 „tis loqui mos est, *vident visiones pacis,*  
 „*& dicunt pax, ubi non est pax:* quum  
 „in eo foedus ferire cogitent, instar il-  
 „lius sævi Ammonitæ, ut oculum dex-  
 „trum catholicis effodiant, hoc est pu-  
 „rissimum fidei lumen extinguant. Ea  
 „quidem ars, ea fraus est hodiernæ  
 „hæreseos, quæ cum justo pridem con-  
 „flictu profligata jacuerit, collectis re-  
 „ligionis avitæ perduellium copiis a-  
 „ciem instaurans, ponit signa sua in  
 „Capite platearum, gladiumque sinu  
 „occultans, pacem flagitat, victrici-  
 „bus



Sæc. XVII. „bus Ecclesiæ castris ignominia, Sa-  
 „A. C. 1637. „lutisque jactura formidandam. „

„Hujus obscuri consilii captiosæque  
 „meditationis artifex, ac interpres e-  
 „rupit ante paucos dies Liber Theo-  
 „phili Bracheti Milleterii, sectæ Cal-  
 „vinianæ, fronte speciosus, & fallax,  
 „verî Pontificis titulum ostentans, re-  
 „vera hæreseos emissarius: veritatem  
 „pacis obtentu, pacem veritatis ipsius  
 „pernicie proditurus. Verum nova  
 „bella elegit Dominus, & Neomenia  
 „Evangelii tuba accinctos suos evocat,  
 „ut sanctificent prælium, nec parcant  
 „oculi eorum, nec manus in die ultio-  
 „nis. Jam Septennium effluxit, &  
 „amplius, ex quo persimiles libri ejus-  
 „dem Authoris insidiosæ concordie  
 „repulsam passi sunt: neque tamen  
 „grassari desierunt; donec iste suffra-  
 „giis quibusdam eblanditis fucum fa-  
 „ciens, nonnullis etiam fidelium illisit:  
 „adeo, ut Ordinis quoque Theologici,  
 „aut consensum aut silentium perab-  
 „surde speraverit. Eam ob rem facul-  
 „tas Theologica Parisiensis audita rela-  
 „tione sex Doctorum, qui die decima  
 „quinta Junii ad legendum, seduloque  
 „examinandum librum supradictum:  
 „*Verus Pacificus* &c. deputati fuerant,  
 „repetitis Comitibus die decima octava,  
 „& vigesima tertia ejusdem mensis,  
 „ma-



Sæcl. XVII.  
A. C. 1637.

„matura deliberatione habita, uno cal-  
culo Henoticum seu Pacificum dicti  
„Milleterii librum damnavit & damnat,  
„tanquam plurimas propositiones fal-  
„sas, temerarias, erroneas, Ecclesiæ  
„injuriosas, ac Concilio Tridentino ad-  
„versantes & hæreticas, continentem:  
„trium Doctorum subscriptionem eidem  
„libro affixam improbat, eamque pro  
„sua autoritate cassam, irritam, ac  
„nullam pronuntiat. Huic Decreto,  
„sicut & præsentis censuræ, necnon De-  
„clarationis formulæ ipsis præscriben-  
„dæ Doctores iidem tam præsentem,  
„quam absentes subscribere tenebun-  
„tur:„ Tum de singulis propositioni-  
„bus vitiosis ejusdem libri sic censuit  
Facultas.

*Propositio I.* „Controversia circa le-  
gitimum usum Sacramenti Pœnitenti-  
æ & dignam Eucharistiæ sumptio-  
nem facile dirimetur, si adversarii in-  
tegra fide auctoritati S. Synodi Tri-  
dentinæ acquieverint. Tum haud ne-  
cessarium erit ad Sacram Sedem re-  
currere, nec ejus auctoritatem alior-  
um quærere, quam ex quo irrefra-  
gabile habemus ejus judicium juxta  
verum & unicum statum, in quo om-  
nes ejus decisiones circa fidem sunt  
infallibiles, scilicet ex Concilio Uni-  
versali.



Sæc. XVII. „Ecclesia in Conciliis Universalibus,  
A. C. 1637. „in quibus solis unanimem Ecclesie  
 „consensum declarat, definiendo, no-  
 „vos articulos non efficit.”

*Censura. Hæ propositiones, in quan-  
 tum infallibilitatem Ecclesie universali, in  
 nullo alio statu, quam in solo Concilio  
 œcumenico congregatæ tribuunt, & ipsam  
 aliquo tempore, legitimi usus penitentiae  
 cognitione caruisse supponunt, temeraria  
 sunt, ipsi Ecclesie injuriosæ, & hæretica.*

*Propositio II. „Antiquus Poenitentiae  
 „usus, qui hodie nullibi in Ecclesia ser-  
 „vatur, a Christo est institutus, hic  
 „idem usus descendit ex traditione Apo-  
 „stolica, & fide immutabili, omnis ei-  
 „dem contrarius usus est manifestus  
 „abusus, eo perniciosior, quo antiquior:  
 „qui hunc abusum tuentur, propugna-  
 „re fatagunt, quod hæc immutatio ex  
 „disciplinæ relaxationibus exorta, sit  
 „bona & legitima, & quod Ecclesia  
 „erroris insimularetur, si antiquus usus  
 „iterum induceretur.”*

*Censura. Hæ propositiones, in quan-  
 tum damnant disciplinam, & consuetudi-  
 nem ecclesiasticam, ab omnibus Catholica  
 communionis Ecclesiis receptam, quantum-  
 cunque diuturnam, tanquam abusivam, &  
 institutioni Christi, ac Evangelica Doctri-  
 næ contrariam, temerariæ sunt, Ecclesie  
 injuriosæ, & hæretica.*

*Propo-*



Propositio III. „Quod Ecclesia Insti-  
tutiones Apostolicas immutare valeat,  
hæreticum est. Apostoli enim Eccle-  
siae ea omnia ore vel calamo relique-  
runt, quæ circa doctrinam & disci-  
plinam ad Religionem Christianam  
pertinent.,

Censura: *Hæ propositiones, dum ne-  
gant, auctoritatem penes Ecclesiam esse con-  
cedendi novas leges, & aliud statuendi, quam  
quod Apostoli instituerunt, sive circa ea,  
quæ ad regimen ecclesiasticum, sive quæ ad  
Cultum divinum, officium, & cæremonias  
pertinent, temerariæ sunt, Ecclesiae inju-  
riosa, & hæreticæ.*

Propositio IV. „Ex generali morum  
depravatione, quam hodie cernimus,  
tandem manifestabitur homo peccati,  
filius perditionis: disciplinæ immuta-  
tio per morum corruptionem caussata  
circa Ecclesiae Regimen in hoc solo  
consistit, quod Episcopus, qui sicut  
S. Petrus a Christo est institutus Ca-  
put Ecclesiae, se in Caput absolutum  
ex avaritia & ambitione erigere vo-  
luerit.,

Censura: *Hæ propositiones, in quan-  
tum id, quod de Antichristo a sancto Paulo  
dictum est, interpretantur de Episcopis, &  
maxime de summo Pontifice, quasi jam  
Antichristi sint, filii perditionis, homines  
peccati, extollentes se supra omne id, quod*



Sæc. XVII. dicitur Deus: in quibus completur Mysterium iniquitatis: eosdemque simul cum Ecclesie præsentis statu Apostasie insimulant, sive defectionis a pietate, ac generalis morum corruptionis arguere propterea non verentur, scandalosæ, injuriosæ, ac erroneæ sunt, & hæretico ac schismatico sensu, atque animo prolatae, scripturaeque Sacrae abusum continent.

Propositio V. „Juxta Constitutiones „Apostolicas Sacerdos peccati mortalis „reus a dignitate Ordinis est amovendus, sicut Laicus a dignitate in Baptismo & Confirmatione recepta.

Censura: Hæc propositio in quantum universaliter asserit, Episcopos, Presbyteros, & cæteros Ecclesie Ministros pro quocumque peccato mortali, secundum Constitutiones ab Apostolis receptas, & ab Ecclesia promulgatas (quales ubique invariables & immutabiles dicit) exautorari debere, gradu moveri, officio ac Dignitate Ordinis dejici, penitentiamque ipsam ac satisfactionem hominis ecclesiastici, esse illam amotionem a ministerio, seu degradationem: temeraria est, & erronea, ac Wicleffi & Hussii hæresim sapit.

Propositio VI. „Loco immersionis trinae utuntur aspersione, inde vero inferunt, quod ita immutando, aut Ecclesia erraverit, aut hos ritus immutandi auctoritatem habuerit: variaerant



erant antiquitus Baptismi cæremo- Sæc. XVII.  
niæ, quæ in adultis semper sunt ad- A. C. 1637.  
hibendæ.,

Censura: *Hæc propositio, in quantum  
negat generaliter antiquas baptismi cære-  
monias, & ipsam trinam immersionem cir-  
ca parvulos, qui olim baptisabantur, fuisse  
observatas, falsa & temeraria est: in  
quantum vero illas omnes ad baptismum  
adultorum, ex ipsa institutione Christi ne-  
cessarias esse vult, & nunc etiam observan-  
das, temeraria est, & erronea.*

Propositio VII. „Sacerdos nomine  
totius Ecclesiæ sacrificans, semper  
bibit calicem, ut significet, quod to-  
tus grex martyrium subire paratus sit,  
hinc fideles merito Calicis usum de-  
voto ab Ecclesia petierunt, nec illum  
petentibus jure denegari potest.,

Censura. *Hæc propositio, in quantum  
offerit Communionem & usum calicis dene-  
gari, legitime non posse iis, qui Martyrii  
dispositionem in se sentiunt, quando petere  
voluerint, seditiosa, & erronea, atque  
hæresim sapit.*

Propositio VIII. „Omnes fideles in  
statu gratiæ constituti singulis diebus  
Sacramentum Eucharistiæ recipere  
debent.,

Censura.: *Hæc propositio, quatenus  
offerit neminem revocare posse in dubium,  
quin omnes fideles, qui sunt in statu iusti-  
tiæ,*



Sæc. XVII. tiæ, quotidie debeant communicare Corpori,  
 A. C. 1637. & Sanguini Christi, est falsa, temeraria,  
 & a piorum, ac Sanctorum praxi, & Do-  
 ctрина dissentiens.

Propositio IX. „Omnes Pœnitentiæ  
 „partes sunt essentielles, hinc nulla o-  
 „mitti potest, & contritio, confessio &  
 „satisfactio absolutionem præcedere de-  
 „bent, quia materia præcedit formam.”

Censura: *Istæ propositiones quatenus  
 asserunt, executionem pœnitentiæ, seu sa-  
 tisfactionis impositæ, necessario & ex in-  
 stitutione Christi, ac invariabili Sacramenti  
 natura, ita prærequiri absolutioni, ut alio-  
 qui absolutio non sit valida, nisi ejusmodi  
 satisfactio completa fuerit, temerariæ sunt,  
 & hæreticæ, & a Sixto quarto contra Pe-  
 trum de Osma illiusque sequaces prædam-  
 natæ, Bulla data anno Domini 1478. at-  
 que ad hunc errorem astruendum abutitur  
 Autor Concilio Tridentino.*

Propositio X. „Ad legitimum Pœni-  
 „tentiæ usum ex traditione Apostolica  
 „requiritur, quod pœnitentia sit Eccle-  
 „siæ notoria.”

Censura. *Istæ propositiones in quantum  
 necessitatem tam Confessionis, quam satis-  
 factionis, & pœnitentiæ publicæ astruunt,  
 ut pœnitens a quocunque peccato mortali,  
 etiam occulto, absolvi aliter non possit, te-  
 merariæ sunt, & hæreticæ: in eaque ne-  
 cessitate*



cessitate obrudenda abutitur Autor Scri- Sæc. XVII.  
pturis divinis, & Concilio Tridentino. A. C. 1637.

Propositio XI. „Principalis effectus  
pœnitentiæ consistit in virtute precum  
iustorum & Ecclesiæ, quatenus Ec-  
clesia orat, ut hoc remedium sit ei  
salutare.,,

Censura: *Istæ propositiones in quantum  
Ecclesiæ preces necessarias ad vim absolutio-  
nis, & effectum Sacramenti requirunt, te-  
merariæ sunt, & hæreticæ.*

Propositio XII. „Juxta Concilium Tri-  
dentinum Peccator ex attrito non nisi  
per injunctam pœnitentiam sit con-  
tritus.,,

Censura: *Hæ propositiones, in quan-  
tum negant, ullum ex attrito evadere posse  
contritum, nisi per injunctas satisfationes,  
& pœnitentiæ actiones, temerariæ sunt,  
& erroneæ.*

Postquam igitur Facultas proposi-  
tiones hæc censuris suis perstrinxerat,  
ita in suo decreto Parisiis die decima  
octava Junii promulgato profequitur:  
Hos & similes errores, qui passim occur-  
runt, damnavit, iterumque ac iterum dam-  
nat Sacra facultas, ipsumque Autorem,  
cujus neque favore, neque odio, imo po-  
tius charitate in Christum tangitur, judi-  
ciorum Dei contestatione adhortatur, ut  
ingenio deinceps ac otio melius utens, bene  
sentire potius, quam male scribere laboret,  
neque



Sæc. XVII. neque amplius inter Hæreticos Catholicus, A. C. 1637. neque inter Catholicos Hæreticus erret, atque alios in errorem mittat: præcipue, eo quod jam a multis Calviniani dogmatis capitibus alienum se professus fuerit, in caris neque rebellis sit lumini, sed assurgentem divini spiritus radium, & afflatum toto pretore excipiens, ad Ecclesiam primitivorum accedat, in qua unum ovile est, & unus pastor.

§: LIII.

*Alenconiense Calvinistarum Conciliabulum.*

*Aymon Synod. Nation. p. 530.*

Hoc item anno Galli Calvinistæ ob-  
tenta Regis venia, die vigesima  
septima Maij Synodum Nationalem  
Alenconii celebrarunt. Sub primis au-  
spiciis San- Marcus, qui Regis nomi-  
ne præerat, coram congregatis Prædi-  
cantibus, quod Nemaufini Concilii  
Præcones, & Rouffietus Minister a  
Bernensibus literas receperint, questus,  
inhibuit, ne deinceps cum exteris aut  
aliis Regi minus affectis versarentur,  
nec sub obtentu, quod leges libertati  
conscientiæ adversantes imponantur,  
adversus Regem arma sumerent, vel  
in suis declamationibus vel libris de  
tormentis, Martyriis aut Dei Ecclesiæ ex-  
citationibus mentionem facerent. Insuper



per eisdem ex Regis mandato præcepit, ut si de summo Pontifice, vel Catholicis, eorumque Sacramentis & ritibus loquerentur, illum *Antichristum*, hos vero *Idololatrias* appellitare, aut verbis indecentibus contra illorum ritus, vel ab eorum secta ad Catholicam fidem reuersos uti non præsumerent. Postea eosdem objurgavit, quod insuperhabito Regis mandato Prædicantes ex locis, ubi degunt, ad alias Ecclesias prædicatum exiverint, & pecunias ad pauperum Ievamen repositas in partem salarii suis Præconibus vendicant. Denique præcepit, ut irritam declararent Nemaufensis Concillabuli Canonem, in quo Prædicantes auctoritate eis minime competente decreverunt, nullum esse Baptisma a quopiam alio quam a Prædicantibus collatum; inde enim, inquebat ille, rebaptizantium error resuscitari posset, cum Prædicantes a Sacerdotibus Catholicis, quos a Deo vocatos esse, negare præsumunt, Baptizatos iterum tingere non erubescerent. Ad hæc Regii Deputati monita Prædicantes congregati vagis verbis suam erga Regem obedientiam, fidem & submissionem extollentes, crimina, quorum postulabantur, immuere, plurimum adlaborabant, polliciti, quod contra Catholicos nullum ver-

Sæc. XVII.  
A. C. 1637.



Sæc. XVII. verbum, quod offendere posset, prola-  
 A. C. 1637. turi sint, dummodo vicissim Catholici  
 a contumeliosis objurgationibus abli-  
 neant: Baptismum vero ab aliis quam  
 suis Prædicantibus in casu necessitatis  
 collatum non esse validum, audacter  
 propugnarunt, præfracte declarantes,  
 Ecclesiæ Romanæ decisiones, quæ  
 hunc errorem damnant, directe suæ  
 Religioni oppositas esse, cum autem  
 insuper ad excusandas Regionum edi-  
 ctorum transgressiones libellum suppli-  
 cem conficere pararent, Regius Depu-  
 tatus eos memores esse iussit, de aliis  
 quam disciplinæ Ecclesiasticæ rebus a-  
 gere, ipsis esse vetitum, nec posse suis  
 libellis alium præfigere titulum, quam  
*scripta illorum, qui existimatæ Reforma-  
 tionis Religionem profitentur*: Id acriter  
 eos pupugit, causantes, quod contra  
 suam conscientiam locuturi essent, si  
*se existimatæ reformationis sectatores pro-  
 fiterentur*. Postmodum fidei suæ con-  
 fessionem confirmantes, decreverunt,  
 quod duntaxat Prædicantes calicem  
 porrigere valerent, pompæ tamen fu-  
 nebres in usum deducerent, *ut de-  
 functi affines inde aliquod solatium recipiant*,  
 vel verius, ut Prædicantes inde ali-  
 quod lucrum capiant. His ita decretis  
 quosdam Prædicantes olim suis Eccle-  
 siis amotos redintegrarunt, Samueli  
 autem



autem Dufrene exauctorato Pastori sua-  
 lere, ut unacum toga nigra totum Sa-  
 cerdotium suum exueret, & opificio  
 quodam victum sibi quæreret. Discuf-  
 tis postea variis querelis, turbisque per  
 suos Prædicantes hinc inde suscitatis,  
 ad diem decimam nonam Novembris  
 omnibus Regni Ecclesiis jejunii legem  
 indixere, ceteris Præconibus injungen-  
 tes, ut in suis libris, ac sermonibus  
 suam erga Regem obedientiam, fidem-  
 que exaggerarent, eoquod suæ sectæ  
 hostes illorum fidelitatem Regi suspen-  
 dam reddere satagerent: perinde ac  
 si apertæ eorum, ac per plurimos an-  
 nos continuatæ rebelliones contra le-  
 gitimum Regem concitatæ plusquam  
 suspectam eorum fidem non reddidif-  
 sent: Nihilominus Regi supplicandum  
 esse decreverunt, ne Calvinistas ad  
 hoc compelli permetteret, ut in festo  
 Corporis Christi ædes suas tapetibus  
 ornent, infantes suos juxta *Papistarum*  
 ritum vel ab obstetricibus, aut aliis  
 non Prædicantibus baptizari curent,  
 & denique ne Prædicantes in aliis Ec-  
 clesiis, quam ubi resident, concionari  
 prohibeantur. Hæc enim Regis de-  
 creta non nisi a juratis suæ Ecclesiæ ho-  
 stibus fuisse fabricata, pro sua mode-  
 stia, ac in Regem reverentia dictita-  
 bant. Recitabatur etiam Regis epi-  
 stola

Sæc. XVII.  
 A. C. 1637.

*Hist. Eccles. Tom. LX.*

M stola



Sæc. XVII. stola die vigesimo quarto Junii data,  
A. C. 1637. in qua congregatis injunctum, ut quam-  
 primum poterunt, hunc suum conven-  
 tum dissolvent, ne diuturniore Sessio-  
 num mora Regias declarationes & e-  
 dicta transgredi viderentur. Præterea  
 Amyraldus & Tetardus duo Prædican-  
 tes suam doctrinam *de efficaci voluntate*  
*Christi & Decreto conditionali* contra suos  
 accusatores vindicare jubebantur: cum  
 vero Dailleo Prædicanti injunctum fuis-  
 set, ut Theophili Milleterii librum *de*  
*mediis Pacis Christianæ* refelleret, hic  
 autem Daillei examen acriori stylo con-  
 futasset, hinc Prædicantes congregati  
 die sexta Julii Milleterio suam temeri-  
 tatem adeo iniquam, sui que consilii  
 vanitatem exprobrantes, comminati  
 sunt, ipsum, nisi intra semestre opinio-  
 nes, suamque sententiam mutaverit,  
 ab Ecclesiæ Calvinianæ communione  
 excludendum fore, eoquod in suo libro  
 asserere ausus esset, quod primi Refor-  
 matores, eorumque Successores turpi-  
 ter hallucinati essent, eoquod illa fidei  
 capita, quæ ipse in suo libro explica-  
 ret, ignorassent: Tandem vero Du-  
 campensem Prædicantem ob adulteria,  
 & Guilielmum Cacheretum, Leonar-  
 dum Tevenotum antea Pictaviensem  
 Monachum, necnon Paulum Falque-  
 rollum, eoquod a Calvini secta ad fidem  
 Catho-



Catholicam reverſi eſſent, ſuis officiis Sæc. XVII.  
amoverunt. A. C. 1637.

## §. LIV.

*Moyſis Amyraldi Calviniftæ contro-  
verſia cum Friderico Spanheimio,  
aliisque circa gratiam Uni-  
verſalem.*

Mentionem ſupra fecimus de Moyſe  
Amyraldo, Præcone Calviniano *Jæger. Hiſt.*  
& Salmurienſi Profefſore; ſpeciale *Eccl. l. 3.*  
tamen hujus Viri fata locum ſibi ven- *cap. 14.*  
dicare videntur, eo quod ex ipſius præ- *Arnold. hiſt.*  
ſervido Lutheri, Calvinii & Arminii *Hær. part.*  
ſectam conciliandi ſtudio novam ſe- *cap. 9.*  
ctam, factionemque progerminarit, na- *Meiſn. Diſſ.*  
turali monſtrorum indole, quæ quo- *de Univ. voc.*  
ties inter ſe coeunt, novum procreant *S. 4.*  
monſtrum. Erat hic Præco ob ingenii  
aciem, gratumque converſandi mo-  
dum Richelio & Mazarino Cardinali-  
bus, aliisque Proceribus Catholicis ac-  
ceptus: cum autem horrendas Calvinii,  
Bezæ & Bullingeri doctrinæ de Parti-  
culariſmo concoquere haud poſſet, nec  
tamen palam cum Lutheranis circa fœ-  
dus Gratix & naturæ, atque univer-  
ſalitatem Meriti Chriſti, & vocationis  
conſpirare vellet, inter Calvinii & Lu-  
theri dogmata mediam viam inire ſta-  
tuit, docuitque, quod Deus in paradifo

M 2

fœdus



Sæc. XVII. foedus cum Adamo, totoque genere  
 A. C. 1637. humano inierit, & vi hujus foederis  
 ab eo perfectam obedientiam exegerit, vicissim vero non plus promiserit, quam vitam perpetuam, æternam & beatissimam, sed animale in Paradiso peragendam, quin tunc ullum habuisset Mediatorem; post peccatum autem Deus novo consilio Filium ut Redemptorem mittere decreverit, si tamen *homines sint credituri*: Deus quoque prædestinatione particulari electos, & universali cunctos homines, dummodo credant omnes, salvare velit. Hæc pluraque alia absona dogmata Amyraldus a Camerone suo olim Præceptore hauserat, in Salmuriensi autem Academia postmodum publice tradiderat: cumque nulla sit opinio adeo absurda, quæ non sibi Patronos, sectatoresque vendicet, ita etiam illico hujus doctrinæ Defensores, ac præcipue Placæus, Testardus, Fochörus, Morus, Claudius, Boscus, pluresque alii Calviniani Prædicantes præter Brandeburgicos, aliosque Germaniæ Præcones, huic sententiæ adhæserunt: inde vero schismata, malignæ suspiciones, criminationes mutux, odia, injuriæ, convitia, tumultus ac innumera mala in Galliis fuere exorta. Præ ceteris præter Molinæum Fridericus Spanheimius Lugdu-



Lugdunensis in Batavia Præco in Amy- Sæc. XVII.  
 raldum indomitis furiis desæviebat, A. C. 1637.  
 eumque hærelis, novitatum, & schis-  
 matis auctorem criminabatur, nec mo-  
 deratius convitia in Spanheimium re-  
 gellit Amyraldus, ejusque Sectatores,  
 qui palam e pulpitis ad populum dice-  
 bant, nunc primum Evangelii lucem  
 per Amyraldum clarius fuisse detectam,  
 ac conscientis per decretum absolutum  
 excarnificatis, earumque tranquilli-  
 tati consultum. Hoc autem anno acri-  
 ores motus in hosce novatores excita-  
 bantur in Alenconiensi Calvinistarum  
 conciliabulo; ex Deputatis enim non  
 pauci Amyraldum exauctorari, diris-  
 que devoveri, importunius postulabant,  
 alii editis passim libris eundem ejus-  
 que focios convitiis, & criminationi-  
 bus acriter insectabantur, alii illos Ar-  
 minianismi, plures Pelagianismi, ac  
 potissimi Socinianismi accusabant. Igi-  
 tur Prædicantes Alenconii congregati,  
 ne dissidia in sectæ suæ dedecus latius  
 serperent, Amyraldum, & Testardum  
 Blesensem Prædicantem, ut de nova  
 sua doctrina rationem redderent, com-  
 parere jusserunt, moxque septem no-  
 minarunt Deputatos, qui illorum do-  
 ctrinas examinarent, & de mediis tol-  
 lendi schismatis deliberarent: damna-  
 bant hi uno ore Amyraldi & Secta-  
 torum



Sæc. XVII. torum dogmata ; circa media autem,  
A. C. 1637. quibus hocce novatores, ut loquerentur  
*idem cum eis*, constringere possent, quosve  
 terminos in concipiendis doctrinæ ar-  
 ticulis adhiberent, inter se dissentie-  
 bant: Ita nempe egregii hujus Synodi  
 Patres parum de doctrina solliciti, jam  
 contenti erant, ut consona cum ipsis  
 loquella esset, & ejusmodi adinvenirentur  
 termini, quibus error Calviniano  
 pallio contegi posset: Eapropter hocce  
 Sectarios in suo sinu *tolerandi* consilium  
 Alenconianis præplacuit; nam, inquit  
 Langlæus dignissimus hujus Synodi  
 Præses, *inter duo ista* alterutrum eligen-  
 dum erat: vel suo munere movendi  
 erant illi, vel in alio conservandi. Ut  
 loco moverentur, non existimavimus  
 id Heterodoxias illorum mereri, præ-  
 terquam quod ille rigor involvisset ali-  
 quos, qui magni nominis sunt in nostris  
 Ecclesiis, & quorum aliqui eminentio-  
 rem hujus Regni Cathedram occupant,  
 qui sunt in eadem cum ipsis Sententia,  
 & quod verosimile esset, nos sic schis-  
 matis periculum incururos. Conser-  
 vare Dominos illos in sua statione, ma-  
 culam illis aliquam inurendo, etiam  
 erat, quo existimabamus Academiam  
 everti. Adeo ut contenti fuerimus,  
 eos illuc adigere, ut nostris elocutio-  
 nibus uterentur, vel terminis proxime  
 acce-



accidentibus ad terminos Synodi Dor-  
 dracenæ, expungendo locutiones ma-  
 jori cum scandalo conjunctas, & abo-  
 lendo Decreta sua conditionalia, & in  
 futurum etiam cavendo per Articulum,  
 qui ipsos satis acriter pungit, & clare  
 ostendit, Dominos illos occasionem  
 præbuisse severitati illius Articuli.,

Ceterum Amyraldus & Testardus  
 postquam in Synodo comparuerant,  
 Prædicantes ibidem congregatos egre-  
 gie ludificabant; suas enim doctrinas  
 ambo versipelles dextre ad Calvini men-  
 tem explicarunt, ut, quamvis Alenco-  
 nienses Præcones ex Amyraldi libro de  
 Prædestinatione, & ex Pauli Testardi  
 Irenico Pelagianismum & Arminianis-  
 mum sole clarius detexerint, & An-  
 dreas Rivetus ad Synodum perscripse-  
 rit, quod illorum neque agendi modum,  
 neque dogmata in hoc articulo probare pos-  
 set, & quamvis Samuel Marelius sancte  
 professus fuerit, velle se eam cum sanguine  
 suo evomere, si quicquam doctrinæ de gratia  
 universalis in suo pectore haberet, nihilo-  
 minus Parisiensium Præconum minis-  
 tritum Alenconenses, Amyraldum &  
 Testardum cum honore dimitterent,  
 imposito duntaxat silentio. Verum hi  
 domum reversi non modo se victoriam  
 reportasse gloriabantur, sed etiam insu-  
 perhabita silentii lege adversarios suos

*Epist. ad  
 Synod.  
 Alenc. die  
 14. April.*



Sæc. XVII. ore & calamo infectati sunt. Porro sæc. A. C. 1637. pius inter hosce Prædicantes inter Amyraldum & Rivetum, Vincentium, & Molinæum composita est qualiscunque concordia, mox tamen iterum dissoluta, sæpiusque ab eis hæc dogmata revocata, totiesque iterum plenis buccis divulgata, & pro aris focusque defensa: inde vero luculenter elucet, cui fundamento Novatorum doctrinæ innitantur, quæ ad arbitrium Sectatorum nunc acriter propagantur, ac defenduntur, mox ad aliorum preces vel metum rursus supprimuntur, & ab ipsismet suis Defensoribus rejiciuntur, ac paulopost denuo pro fidei articulis venditantur. Nec etiam magis sincera erant hac in caussa, ipsa actorum Synodalia documenta, quæ Blondellus recensuit, mox eadem Gualterius refutavit: unde Petrus Bælius in suo Dictionario apposite hæc subjunxit: *Pessimum est, quod ne in factis quidem Gualterius & Blondellus conveniant; eadem discordia regnat in recensionebus Amyraldi & Riveti. Condonare forsitan his Viris possemus, quod eosdem conceptus non habuerint de materia tam spinosa atque difficili; sed annon concordēs esse deceret in factis recensendis? Quæ quæso cogitationes animum Lectoris subeunt, cum videt eos*

Tom. I.  
pag. 614.



eos se mutuo refutare circa res sub eo-  
 rum oculis gestas? hicne ad eorum  
 excusationem sufficere poterit labilitas  
 memoriæ? annon tentamur ad creden-  
 dum, utramque partem a mala fide,  
 saltem ab artificio liberam non esse fa-  
 vorabilia tantum recensendi, omittendi  
 ingrata?., Demum, quantumvis Calvi-  
 nistæ ad extinguendum hoc schisma  
 etiam Synodorum auctoritate liberam  
 doctrinæ de gratia universali professio-  
 nem omnibus etiam Calvinistis reli-  
 querint, hocque dogma, quod haud  
 parum a sana doctrina in S. Scripturis re-  
 velata alienum credunt, intra Ecclesiæ  
 hujus mœnia tolerarint, nec tamen in  
 hunc usque diem doctrinæ concordiam,  
 communem erroris everSIONem, atque  
 animorum unionem post tot Synodos,  
 mandata & disputationes restituere va-  
 luerunt, deficiente nimirum suprema  
 judicis auctoritate, cujus judicio ac  
 definitioni partes litigantes stare te-  
 nerentur.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1637.

§. LV.

*Continuata Puritanorum rebellio in  
 Scotia ob novam Liturgiam.*

Nupero Edinensis populi tumultu fu-  
 nestæ in Scotia seditionis prima  
 spargebantur semina, quæ tandem in  
 M 5 Regni

Salmon.  
*Hist. d' Angl.*  
*Jæger. Hist.*  
*Eccl. l. 7. c. 3.*



**Sæc. XVII.** Regni ruinam, Regisque excidium cum  
**A. C. 1637.** summo Anglici nominis dedecore ex-

*Rapin.*

*Thoir. Hist.*

*d' Angl. l. 19.*

*Calmet. Hist.*

*Univ. l. 152.*

creverant: Majore indies furore inter se tumultuabantur Episcopi, ac Puritani: Hi Episcopis tyrannidem, ambitionem, & Liturgiæ obtentu Papisimum invehendi propositum exprobant, illi vero Puritanis objectabant Hierarchiæ odium, rebellionem in Reges, atque insanum sectæ suæ Fanatismum. Interea Carolus Angliæ Rex per suos Legatos non modo Franciæ Regem, sed & Sueciæ Reginam ad armorum societatem in Palatini Principis favorem pellicere tentabat; verum persuasum omnibus, Anglos bellum haud serio gesturos, sed potius alieno damno, expensisque res suas promovere intentos fore: quapropter validam opem ab Anglorum Rege, quem interstinis Puritanorum tumultibus distentum noverant, sibi haud pollicebantur hi Principes: hoc enim anno Puritani tam aperto furore Regiis mandatis obfistebant, ut Senatus cunctis Sectariis Ministris, ne absque Cantuariensis Archiepiscopi venia e Regno discederent, prohibere, Puritanos vero in Americam abigere cogeretur: inde vero ortum, ut ibidem Puritanorum numero in immensum ferme aucto non modo disciplina Ecclesiæ Anglicanæ sensim abole-



Sæc. XVII.

A. C. 1637.

aboleretur, sed etiam temporis progres-  
 su Puritani, utpote gens regii imperii  
 impatiens, obsequii jugum in America  
 excutere molirentur. Quoniam vero  
 se ab Episcopis Aulicisque inique ve-  
 xari crederent, hinc eorum nonnulli  
 seditiosos libellos in vulgus sparsere,  
 qui tamen de hoc crimine convicti, par-  
 tim publice virgis cæsi, partim ab-  
 scissis auribus perpetuis carceribus man-  
 cipati sunt. Nec tamen horum dam-  
 no Puritani in Scotia sapere incipie-  
 bant, ad eam prolapsi temeritatem,  
 ut precum publicarum librum a Rege  
 nuper præscriptum suppressi, præfracte  
 a Senatu postularent: tandem vero Edi-  
 nenses apertæ seditionis vexillum primi  
 extulere, innataque sectariis omnibus  
 pervicacia primum Senatus imperia  
 detrectabant, mox & Regis ipsius exue-  
 bant sacramentum. Quærentibus post-  
 modum nova fœdera, sicut fit in sedi-  
 tiosis, non potuere deesse ex ipsis et-  
 iam Proceribus, Nobilibus, civibus-  
 que novi conjurati, conciliante præfer-  
 tim societates, mentium & inquietu-  
 dinis similitudine, parique Liturgiam  
 novam detestandi pertinacia: Horum  
 tamen motibus adeo non terrebatur Se-  
 natus, ut etiam novos tumultus, quos  
 ex infueto populi concursu sibi præsa-  
 giebat, præventurus die decima septi-

ma



Sæc. XVII. ma Octobris præconis voce præciperet, quatenus omnes exteri intra viginti quatuor horarum spatium Edinensî Urbe excederent, ac liber, cui titulus: *disputatio contra ritus Anglicanos & Papisticos Scotis obtrusos* supprimeretur. Altera nihilominus die populus turmatim confluit, ac seditiosorum manipulus Duca - Gallicanum Episcopum inter continua maledicta & convitia usque ad Senatus locum comitatur, ipsam quoque Curiam cingit, eundemque Episcopum sibi tradi postulat. Implorat Senatus armatam Magistratus opem, incassum tamen; rebelles enim Puritani ipsos etiam Magistratus in Prætorio obsessos tenebat, sanguinem & mortem & internecinum interitum denuntiantes, ni liturgiæ abolitionem protinus a Rege impetrarent, Ramseyum & Rolleckum Puritanos Prædicantes e carcere liberarent, aliumque Præconem, Honderfonum nomine, antea exauctoratum, officio suo restituerent. Cuncta seditiosis pollicetur Magistratus, ut furentium manus effugeret. Interim Traquarius supremus Ærarii Præfectus, necnon Wigtonus Comes Curiam accessere, de opportunis Duca - Gallicanum Episcopum liberandi mediis cum Magistratu consulturi: Hos inde reuersos seditiosi contume-



tumeliis ultra modum afficiunt, ipsum-  
 que Traquarium fustibus ac pugnis ad  
 terram affigunt, vociferantes: *Ita Deus*  
*suam defendit causam, & confundit Litur-*  
*giam, ejusque fautores.* Tot insultuum  
 impunitate tumentes Puritani nequi-  
 dem ab armata satellitum manu ad of-  
 ficium redigi poterant, magis tamen  
 prospero successu sedandis turbis adla-  
 borabant Senatus Primores, qui juncta  
 quorundam Nobilium, ac præcipuo-  
 rum civium opera tandem seditiosi po-  
 puli motus composuere. Sedato tu-  
 multu Senatus publico edicto rursus in-  
 hibuit, ne Edinenses in plateis vel alibi  
 frequentiores concurrerent. Intempe-  
 stivum profus erat hoc mandatum,  
 Puritanorum animis nimium adhuc  
 exacerbatis: quocirca recrudescente  
 seditionis petulantia minaciter concla-  
 mant: *reddantur Prædicantes ab officiis*  
*sui amoti, necnon a Magistratu promissa*  
*exacte servantur: nec hic stetit eorum au-*  
*dacia, sed insuper supremo Regni Can-*  
*cellario contra Canones & Liturgiam*  
*duos porrigunt libellos, in quorum primo*  
*omnes Edinenses incolæ, Viri, fœmi-*  
*næ, infantes & domestici, in altero*  
*vero Proceres, Nobiles, ejusdemque*  
*urbis cives præcipui legebantur subscri-*  
*pti. Querebantur in hisce libellis, quod*  
*eis contra fas novus, primæque refor-*  
 matio-

Sæc. XVII.

A. C. 1637.



Sæc. XVII. A. C. 1637. mationi contrarius Dei cultus sine Par-  
 lamenti, ac Generalis Synodi consilio  
 obtruderetur, novaque Liturgia per  
 Episcopos extorta nil nisi Zizania super-  
 stitionis & idololatriæ contineat, ac  
 Religioni in Regno stabilitæ adver-  
 tur: præterea exposuerunt, in Cano-  
 num libro esse statutum, quod omnes,  
 qui Dei cultum in Liturgia præscriptum  
 Sacris literis esse contrarium, vel su-  
 perstitiosa, minusque legitima conti-  
 nere affirmaverint, sint excommuni-  
 cati, quin unquam nisi per Episcopos  
 Ecclesiæ reconciliari valerent: Episco-  
 pis insuper potestatem recens fuisse con-  
 cessam a jebant, pro suo arbitrio pœ-  
 nam injungendi, quoties Canones nul-  
 lam pœnam statuunt: ejusmodi autem  
 judicium arbitrarium a Regni legibus  
 nunquam fuisse approbatum dicitabant;  
 præcipue vero lamentabantur, quod  
 eos opprimendi studio, intra viginti qua-  
 tuor horas urbe excedere, ac intermi-  
 nata perduellionis pœnæ Canones ob-  
 servare, publico edicto per Episcopos  
 procurato jussi essent. Denique postu-  
 labant, ut Religionem juxta ritum in  
 Ecclesia & Regno antea approbatum  
 exercendi libertate deinceps frui per-  
 mitterentur, eorumque querelæ contra  
 Episcopos allatæ examini subjiceren-  
 tur, interim vero Episcopi judicium  
 par-



partes in propria causa non sibi arrogarent, donec via juris hoc negotium fuerit decisum. Sæc. XVII.  
A. C. 1637.

## §. LVI.

*Scotorum jurata Anglicani ritus detestatio.*

Ad hosce Puritanorum libellos Carolus I. Angliæ Rex respondere, haud consultum censebat, seditionis Authores omni legum severitate plectere, destinatum habens: Instigabat quoque Regem Laudus Cantuariensis Archiepiscopus, qui suæ pariter auctoritatis contemptum acerrime indignatus, tanquam in perduelles animadvertendum, & Puritanorum pertinaciam armis expugnandam censuit: Aliorum tamen suavis Rex ad Scotos has dedit literas: *Edinensi tumultu haud immerito offensus, ad vestras querelas responsum, quale a justo & Religioso Rege expectari posset, dare intemptivum censei: interea palam verbis declaro, quod Papismi superstitiones abhorream, ac sedulo intentus sum, ne in ullam Provinciam ritus invehatur, qui ad VERÆ RELIGIONIS HUCUSQUE in Scotia ACCEPTATÆ augmentum non tenderet, aut REGNI LEGIBUS adversaretur.* Hac declaratione Rex Scotos placatum iri sperabat, hi vero verba

*Thoiras l. c.  
Abrege  
chron. Siecl.  
XVII.  
pag. 446.  
Pufendorff  
Hist. de  
Bretagn.  
tom. 4. l. 4.  
cap. 1.*



Sæc. XVII. verba Regis pro sua in eum diffidentia  
 A. C. 1637. in finistram partem vertentes, sibi per-  
 suaasum habebant, quod Rex per *veram*  
*Religionem hucusque stabilitam* non nisi  
 Anglicanam in Hierarchia & Episcopali  
 Ordine fundatam, & per *Regni leges*  
 duntaxat decreta a suo Patre promul-  
 gata intellexerit: Quocirca de mutan-  
 do Regis proposito, aut concedenda  
 rebellionis venia desperantes Puritani,  
 detestanda concepere consilia, quibus  
 se adversus æquam Regis indignatio-  
 nem præmunirent, simulque a nova  
 Liturgia exonerare possent: Haud la-  
 tebant Regem perversa eorum mol-  
 mina, maluit tamen populi sui ob-  
 equium paterna mansuetudine ac indul-  
 gentia redimere, quam vindictæ studio  
 subditorum cruorem profundere: ea-  
 propter ad Senatum suum denuo literas  
 transmisit in præcipuis Regni Urbibus  
 promulgandas, quibus Rex quidem  
 temeritatem, qua sine venia conven-  
 tum agentes huic libello subscripserunt,  
 seditiosis exprobat, delicti tamen  
 veniam concessit, ea lege, ut in suis  
 ædibus, prout fideles subditos decet,  
 quiete se continerent, nullos ejusmodi  
 cœtus deinceps agerent, nec sine ob-  
 tenta licentia Strivelingam, quo Sena-  
 tus Curia fuerat translata, contende-  
 rent: Hac tamen Regis indulgentia  
 sedi-



Seditiosi Scoti intentatam sui oppressio- Sæc. XVII.  
 nem occultari credentes, consilia, quæ A. C. 1637.  
 dudum animo volutabant, exequi sta-  
 tuunt: Altera igitur die Humeus &  
 Lindleyus Comites cum iugenti Nobi-  
 liam ac populi turba, in superhabito  
 Regis mandato, Strivelingæ conve-  
 niunt, atque in publico foro solemnem  
 protestationem contra Regis decretum  
 assigunt, eamque Lilingtovixæ & Edini  
 promulgari curant, quin eos Senatus  
 præsentia & auctoritas a temerario  
 ausu abstereret. Hujus vero protesta-  
 tionis, ut vocabant, summa hæc erat:  
 „Postquam sæpius contra Liturgiam,  
 „Canones, & Episcopos porrectis sup-  
 „plicibus libellis questi sumus, nulla  
 „autem nostræ supplicationis ratio a  
 „Senatu fuit habita, nunc palam de-  
 „clarare cogimur, quod I. coram ipso  
 „Rege nostras querelas deferre, jura-  
 „que apud competentes Judices profe-  
 „qui intendamus. II. Recusamus au-  
 „tem Episcoporum sententias, donec  
 „se a criminibus imputatis purgaverint.  
 „III. Nullam pœnam nequidem Eccle-  
 „siasticam subibimus ex eo, quod Epi-  
 „scoporum sententiis, ritibus, Canoni-  
 „bus, ceterisque innovationibus aquie-  
 „scere recusamus. IV. Denique de-  
 „claramus, non nobis, sed Senatui, qui  
 „nostris precibus deferre renuit, mala  
 „sedi-

Hist. Eccles. Tom. LX. N „exin



Sæc. XVII. „exin oritura fore imputanda; nos enim  
 A. C. 1637. „nonnisi veram Religionem in Regno

„tueri, & Regis honorem defendere  
 „intendimus. „ Nimirum apud Secta-  
 rios usitatus omnis rebellionis obten-  
 tus est Religio & conscientiæ libertas.  
 Sub idem tempus ex Suecorum castris  
 in Scotiam venerat Alexander Les-  
 læus, qui Bannerio subesse recusans,  
 meliores fortunæ vices in patria expe-  
 ctabat. Hic comperto Scotorum tu-  
 multu sese conjurationi ducem præbuit,  
 ac Nobiles in Regem concitavit, egre-  
 gie aditipulantibus Puritanis Prædican-  
 tibus. Horum suasu conjurati, qua-  
 tuor erigunt tribunalia, ex quorum  
 sententia cæptum perficeretur nego-  
 tium. Præprimis autem communi om-  
 nium suffragio concipitur fidei confes-  
 sio novæ Liturgiæ recta opposita,  
 necnon mutua erigitur conventio  
 seu jurata rituum Ecclesiæ Scotiæ de-  
 fensio, qua sese interposita juramenti  
 Religione unaomnes obstrinxere, quod  
 Religionem suam contra ipsum etiam  
 Regem defendere, omnesque novos  
 ritus Papismo nimium affines & Epi-  
 scoporum Regimen rejicere velint. Pro-  
 mulgata hac conventionem mox velut  
 classico in unum agmen adversus Regem  
 convenere omnes Scoti, Anglico Re-  
 gimini infensi, ac sectæ suæ studiosi, id  
 est,

*Convenant.*



est, univ<sup>er</sup>sum pene Regnum: Sub-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
 scripserant eidem Nobiles & plebæi, A. C. 1637.  
 exceptis solis Catholicis, paucis Epi-  
 scopis, & Magistratibus, necnon qui-  
 busdam Prædicantibus Ecclesiastica  
 dignitate a Rege insignitis. Inde au-  
 tem factum, quod Rex, Senatus, Ju-  
 dices & Episcopi uno ferme momento,  
 omni potestate omniq<sup>ue</sup> auctoritate spo-  
 liati essent: nulla amplius valebat lex,  
 sola hæc conventio apud Nobiles ple-  
 bemque vim legis obtinuit: nulla habe-  
 batur Regis Reverentia, omnis exula-  
 bat fidelitas, unde haud mirum, quod  
 omnes conatus, quos Rex postea ad  
 extinguendum hoc incendium adhi-  
 buit, in irritum ceciderint: id tamen  
 oppido mirum est, quod in tam vasto  
 Regno tot homines in unum conspira-  
 rint, & sub falso tuendæ libertatis, ac  
 purioris Evangelii obtentu divinas &  
 humanas, ipsasque S. Evangelii leges  
 proculcare, legitimo Regi obsequium  
 & diadema auferre, seque Regis fra-  
 trumque suorum sanguine inebriare ma-  
 luerint, quam nova, nequidem doctri-  
 næ sed duntaxat disciplinæ Ecclesia-  
 sticæ capita acceptare. Cæ i, atque  
 ad omnia mala proclives sunt, quos  
 non veritatis amor, sed Religionis op-  
 positæ odium in sectæ suæ insanissimo  
 detinet.

N 2

§. LVII.



Sæc. XVII.

A. C. 1637.

§. LVII.

*Petrus Pasmaus Cardinalis mortuus.*

*Ciacon. in  
vita Urban.  
VIII. Vid.  
supra l. 198  
§. 16. t. 59.  
pag. 429.*

**H**oc anno Purpuratorum Collegium nonnisi duorum Cardinalium iacturam deplorabat, quos inter primus erat Petrus Pasmaus ex prima Hungarorum Nobilitate Varadini natus. Hic ingenii præstantia, iudicii maturitate, & eloquentiæ ac doctrinæ ubertate longe clarissimus, ceteraque omni literatura, etiam de pulpitis & prædicationibus dudum spectatissimus erat. Missionibus per Hungariam obeundis non sine maximo animarum proventu vacabat, plurimosque hæreticos ad Catholicæ veritatis semitam reducebat. Postea defuncto Francisco Cardinale Forgatio Strigoniensi Archiepiscopo ad Mathiæ Imperatoris & Hungariæ Primatum preces huic Ecclesiæ præficitur, quam etiam tanta prudentia, & apud omnes Ordines auctoritate administravit, ut Clerum in disciplinæ studio, Hungaros in obsequio Cæsaris, & Turcas in officio semper retineret. Inde vero a Ferdinando Cæsare Viennam accersitus, ab Urbano VIII. Cardinalium albo inscribitur, ac tertio post anno Romam profectus Cæsaris nomine expositis fidei Catholicæ ac Germaniæ periculis adver-



adversus hostes opem Pontificis implo-  
 rabat. Verum instigantibus quibus-  
 dam malevolis Pontifex Pasmano de-  
 claravit, quod Cæsareas Legationis  
 commissæ literas accipere non valeret,  
 si in his Pasmanus nominaretur Lega-  
 tus, eoquod Cardinalem legatione fungi  
 indecorum foret: his dictis reipsa Pon-  
 tificis ex scripto, in quo legationis ca-  
 pita erant contenta, legationis nomen,  
 præsertim Pasmano deleuit. Hoc facto  
 Pasmanus Cæsaream auctoritatem of-  
 fendi veritus, datis ad Franciscum Car-  
 dinalem Barberinum literis graviter,  
 modeste tamen, querebatur, demon-  
 strans, quod hucusque sæpius Cardi-  
 nales non modo ab Imperatoribus, sed  
 & Regibus ad Sedem Apostolicam Le-  
 gati fuerint decreti, atque etiamnum  
 Regis Catholici Legatus sit Cardinalis,  
 imo etiam *Cardinales Regum nomine su-  
 premos Belli Præfectos agant, & quidem  
 contra Principes Catholicos, atque in bello,  
 de cuius iustitia controversi possent, proin-  
 si militaribus hisce obsequiis læsa non  
 putetur dignitas Cardinalitia, minus  
 læderetur, si Cæsar Cardinalis opera  
 utatur, ut ejus nomine apud Sedem  
 Apostolicam pro tuenda fide Catholica  
 contra Ecclesiæ hostes opem imploret:  
 cum autem nec Pasmanus, nec plures  
 alii Cardinales, Regumque Oratores,*  
 N 3 qui

Sæc. XVII.  
 A. C. 1637.

ortus.  
 legum  
 i jactu-  
 mus e-  
 Hun-  
 natus.  
 naturi-  
 e uber-  
 e omni  
 prælo  
 onibus  
 e ma-  
 t, plu-  
 cæ ve-  
 ea de-  
 gatio  
 athie  
 natum  
 quam  
 omnes  
 t, ut  
 unga-  
 cas in  
 ero a  
 ccerfi-  
 Albo  
 omam  
 positis  
 iculis  
 adver-



**Sæc. XVII.** qui hac in re suam impendebant ope-  
**A. C. 1637.** ram, Pontificem a sua sententia remo-  
 vere possent, Pasmanus animo proliis  
 intrepido rursus datis ad Barberinum  
 literis pericula ex hæreticorum armis  
 Germaniæ impendentia retulit & tan-  
 quam unicum mali remedium foedus  
 inter Catholicos Principes a Papa pro-  
 movendum, necnon decimas a Clero  
 exigendas scriptotenus exposuit, ha-  
 rumque literarum transumpta singulis  
 Cardinalibus transmisit; spem autem om-  
 nem abiciens, demum insalutatis fere  
 omnibus Roma discessit. Nec tamen  
 tanti Viri Legatio omni caruit successu;  
 quippe Pontifex pro Catholicis in Ger-  
 mania ad aliquot Menses viginti qua-  
 tuor aureorum millia quolibet Mense  
 assignavit, cunctosque Episcopos ac  
 Prælatos hortatus est, ut Principes Ca-  
 tholicos ad armorum Societatem con-  
 tra oppressorum Principum hostes in-  
 ducere adlaborarent: Tandem Pasma-  
 nus viribus potius, quam senio fractus  
 die decima nona Martii, postquam Tyr-  
 naviae Ædem Cathedralcm, Acade-  
 miam, & Collegium pro educanda Ju-  
 ventute & pro Clero Hungarico Semina-  
 rium fundavit, pluraque alia monite-  
 ria aut dotavit, aut extruxit, paucis  
 post gloriosissimi Cæsaris Ferdinandi II.  
 obitum diebus Possonii pie in Domino  
 obiit,

*Annal. Khe-  
 venh. t. 12.  
 pag. 329.*



obiit, annos natus sexaginta quatuor. *Sæc. XVII.*  
 Scripsit libros contra Petrum Alvinc- *A.C. 1637.*  
 tum Prædicantem Cassoviensem, *con-*  
*ultationem de fide capeffenda, rationes Apo-*  
*stolicas, quibus vanitas Lutherance hæresis*  
*refenditur, responfionem Christianam de*  
*cultu Sanctorum, Diatribam de visibili*  
*Christi Ecclesia, & vindicias Ecclesia-*  
*ficas contra decreta Principis Bethlem,*  
*præter acta Synodi Strigoniensis, plu-*  
*raque alia potiffimum Polemica.*

## §. LVIII.

*Laudivii Zacchiæ Cardinalis obitus.*

Hunc paucis post mensibus pari fato *Cracon. in*  
 sequebatur Laudivius Zacchia No- *vita Urbani*  
 bilis Genuensis. Hic in patria huma- *VIII. p.544.*  
 nioribus literis imbutus, Pisis utrius-  
 que jurisprudentiæ studio egregie ope-  
 ram navabat, Doctoratus laurea deco-  
 ratus. Inde in patriam reversus in  
 uxorem duxit Lauream fœminam ge-  
 neris nobilitate, & virtutum eminentia  
 longe spectatiffimam, qua tamen de-  
 functa Laudivius Romam se contulit  
 ad fratrem suum Paulum Æmilium Car-  
 dinalem, cujus potenti favore suffultus,  
 sub Clemente VIII. Papa varia, eaque  
 non minus onerosa, quam honorifica  
 munia summo omnium applausu, ac  
 Pontificis laude obibat: demum in de-  
 mortui



Sæc. XVII. mortui fratris sui locum Episcopus Montis Falisci, Apostolicus apud Venetos Nuntius, Pontificii Palatii Præfectus, ac demum Cardinalis Presbyter ab Urbano VIII. Papa renuntiatur. Tandem vitæ suæ dies, quos ferme omnes in Pontificiis negotiis, gravissimisque rebus in Ecclesiæ Catholicæ utilitatem gestis transegerat, deliquo mentis oppressus Romæ die septima Mensis Augusti decessit, sepultus in Ecclesia S. Petri ad vincula.

His Urbanus VIII. paucis post Paulmani obitum diebus trigesima Martii die nonnisi unicum subrogabat Cardinalem, Marcum Antonium Franciotum patria Lucensem, quem inter Presbyteros, primum titulo S. Clementis, ac postea S. Mariæ de Pace ornat.

§. LIX.

*Lutheranorum turbæ contra Catholicos in comitiis Pofoniensibus.*

*Orthel. contin. p. 129. Pannonia bell. pac. gest. part. 1. fol. 375. Flan Pan. vet. & nova fol. 351.* Tumultu in Transylvania sedato, Turcisque profligatis Ferdinandus III. neo-electus Imperator die decima nona Novembris Pofonium unacum Augustissima Coniuge sua contendit, ibi dicta ibidem Regni comitia celebratus. Invitabantur ad ea non modo Catholici, sed & Lutherani Proceres, ac



ipfemet Imperator huic conventui fo-  
 lemne dabat initium, habita perele-  
 ganti oratione latina, qua finita Cæ-  
 far vehementer adverfus Lutheranorum  
 temeritatem querebatur, eoquod in-  
 confulto Rege duntaxat ad exulum  
 Protestantium preces in ipfa Pofoniensi  
 urbe fuæ feftæ Templum magnis sum-  
 ptibus erigere præfumpfiffent; pro fuo  
 igitur erga veram Religionem ftudio  
 ædificantes, ne cæpto operi infifterent,  
 inhibuit: cum vero infuper in Sef-  
 fione prima Hungaricis Regni Ordinibus præ-  
 cepiffet, ut Lutheranos, ceterosque  
 exules Acatholicos toto Regno exce-  
 dere juberent, inde tam acris inter Ca-  
 tholicos & Lutheranos verborum rixa,  
 maximisque clamoribus confufa habe-  
 batur altercatio, ut ipfemet Imperator,  
 interpofita auctoritate fuâ tumultum  
 fedare cogeretur. Nec diu tamen ſub-  
 ſtitit imperata hæc quies; mox enim  
 Lutheranî recrudefcente oppofitæ Re-  
 ligionis odio in Catholicos Proceres  
 contumeliofis objurgationibus ac con-  
 vitiiis, præfente etiam Cæfare, inve-  
 huntur, ac præ ceteris Forgatius Re-  
 ligionis fervore longius, quam par  
 efferet, abreptus Esterhafium tum Lutheri  
 feftæ addictum, rebellem compellat;  
 hic viciffim acrius convitium in alterum  
 regerit, a contumeliis ad armatam vim

Sæc. XVII.  
 A. C. 1637.



Sæc. XVII. descenditur: stringunt ambo acinacem,  
A. C. 1637. in mutuas cædes intenti: tempestive  
autem Cæsar hocce Proceres, quos Re-  
giæ Majestatis Reverentia a privato  
ultionis æstu non absterrebat, custodiæ  
dari jussit. Majore animorum, opinio-  
numque consensu reliquæ componeban-  
tur controversiæ; ubi vero Imperator,  
ceterique Proceres Catholici Luthera-  
nos ad exules, proscriptosque Regno  
abigendos rursus exposita petitionis æ-  
quitate juxta ac necessitate persuadere  
adlaborabant, novæ inde Protestan-  
tium rixæ, clamores dissoni, mentes  
aversæ, sunt exortæ, atque ex litigio-  
rum minacium acrimonia tantum non  
bellum intestinum, sectarii, malique  
consilii pessimum excrementum, erat  
pertimescendum; quocirca Imperator  
majoris mali metu percitus, ac neces-  
sitate compulsus, anno sequenti indul-  
sit, ut Religionis res juxta dispositio-  
nem regnante Mathia Cæsare anno  
hujus sæculi octavo factam decernerentur.  
Verum nec ipsa hac Imperatoris  
indulgentia Lutherani ad tranquillam  
pacem Regisque sui obsequium per-  
duci poterant, tuncque demum est  
cognitum, quod apud gentem ab stirpe  
turbidam Principum benignitas con-  
temptum, subditorumque arrogantiam  
pariat: Hi enim paulopost Cassioviæ  
clan-



clandestinum habebant conventum, Sæc. XVII.  
 communi consilio deliberantes, qua ra- A.C. 1637.  
 tione proscriptos protegere, Templum-  
 que sibi ereptum denuo vindicare pos-  
 sent: tandem vero Protestantium Prin-  
 cipum suppetias implorabant, ut fal-  
 tem, quod propria importunitate non  
 possent, id per obfirmatam alieni exer-  
 citus violentiam perfringere valerent.

## §. LX.

*Varia Urbani VIII. Pontificis &  
 S. Congregationum Constitutiones.*

Inter gravissima Ecclesiæ negotia Ur- *Bullar.*  
 banus Pontifex nihilominus a pasto- *magn.*  
 rali remittebat sollicitudine, qua ad *Const. 211.*  
 Cleri disciplinam, vel morum emenda-  
 tionem proficuas identidem leges san-  
 ciret, & quidem hoc anno die quarta  
 Aprilis prohibuit, ne Reformati Trini-  
 tarii ad Ordinem Fratrum Minimorum  
 transfrent, voluitque, ut Regulares in-  
 firmis Ministrantes deinceps generalia  
 sua comitia singulis sexenniis celebra-  
 rent. Die autem vigesima Junii statuit,  
 ut illi, qui ex ditione Pontificia, sub  
 ementito cognomine, ad secundas nu-  
 ptias, vivente adhuc prima uxore,  
 transiisse deprehenduntur, præter con-  
 suetas poenas ad triremes perpetuo  
 damnentur, si vero inhabiles fuerint,  
 publi-



Sæc. XVII.

A. C. 1637.

publice suffigentur, ad carceres perpetuos damnandi, aut pro delicti enormitate etiam Curiae sæculari tradendi. Exortis vero inter Regulares crebritibus circa præcedendi honorem, tandem summus Pontifex die decima octava Decembris decedit, ut, qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant, & ubi non probatur, aut non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiæ. Præterea Sacra Concilii Congregatio die decima nona Septembris decedit, quod umbellam, Pyxidem, aliaque pro S. Sacramento ad infirmos deferendo necessaria procurare, factaque servare, ad Parochum, si sufficientes reditus habeat, spectet, secus in subsidium teneatur populus, aut Sodalitates: Sacra vero Rituum Congregatio exorto apud Matelicenses dubio die vigesima prima Novembris declaravit, quod nonnisi unica, & illius quidem Ecclesiæ, ad quam corpus defertur, deferenda sit crux in efferendis cadaveribus.

## §. LXI.

*Principum atque illustrium obitus.*

*Burgold  
disc. ad Instr.  
pac. Pufen-  
dorff de reb.  
Suec.*

**E**o tempore, quo Guilielmus Hassæ Landgravius abrupta pacis negotiatione belli molem in Frisiam Orientalem



talem transferre, suumque Principatum Sæc. XVII.  
 Westphalici imperii accessione proten- A. C. 1637.  
 dere meditabatur, tam amplas spes ac  
 conatus uno momento intercidit invida  
 mors, quæ hunc Principem tabe con-  
 fectum Lieræ altero ab Embda lapide  
 die vigesima prima Septembris sustulit,  
 anno ætatis suæ trigesimo secundo:  
 Integro decennio infestis armis Cæsa-  
 rem impugnabat, inde vero nil aliud  
 commodi referebat, nisi ut de eo tan-  
 dem diceretur, illum aliquando fuisse,  
 brevi floruisse, & tandem decidisse.  
 Nec tamen illis accensendus videtur ju-  
 venibus, qui licet mortales, se non  
 morituros credunt; quippe paucis ante  
 obitum horis in quadam tabula hæc  
 verba: *Homo, disce mori*, scripsisse fer-  
 tur. Hujus Principis obitum præcef-  
 serat Bogislaus XIV. Pomeraniæ Dux,  
 postremus ejus familiæ, quæ ditionem  
 illam per annos septingentos obtinuerat.  
 Hic Princeps ad omnia iniquæ fortis  
 puncta natus, inter Suecorum, quibus  
 tamen fœdere junctus erat, oppressio-  
 nes die decima Martii nulla relicta pro-  
 le, anno ætatis suæ quinquagesimo se-  
 ptimo animam egit. Haud felicior ad-  
 versantis fortunæ victima cecidit Victor  
 Amadæus I. Sabaudiæ Dux, qui post  
 varias clades a Gallis illatas, dum be-  
 nignioris fortis primordia delibare cæ-  
 perat,



Sæc. XVII. perat, Vercellis die septima Octobris  
 A. C. 1637. quinquagenarius in pulverem, cine-  
 remque abiit, suo exemplo edocens,  
 quod in magno etiam gloriæ acervo  
 parum solidi pulveris reperiatur. Pari-  
 fato hoc item anno decessit Carolus  
 Gonzaga Mantuæ & Nivernii Dux, cui  
 Mantuanus & Montferratensis Ducatus  
 nonnisi bellicæ fatigationis campum  
 aperuit, & invidiæ irritamentum ex-  
 stitit.

## §. LXII.

*Quorundam Scriptorum Catholicorum decessus.*

*Miræus*  
*Script. Sæ-*  
*cul. XVII.*  
*Anton. Bibl.*  
*Hisp. Nice-*  
*ron. 21.*  
*pag. 387.*  
*Nic. Erytr.*  
*Pinac. I.*

Præter hosce Principes irrevocabili  
 decreto pariter ad mortem decur-  
 rebant ex Catholicis Scriptoribus non  
 pauci, ex quibus primo celebratur Joan-  
 nes de Serrano Ancernanus Episcopus  
 ex Ordine S. Francisci, qui tractatum  
 de Missæ Sacrificio, necnon librum de  
 Immaculata Conceptione præter alia  
 edidit. II. Nicolaus Fabricius Peire-  
 sciensis Aquensis Senator, qui utilissi-  
 mum opus de linguis orientalibus, nec-  
 non indices harum linguarum, histo-  
 riam Galliæ Narbonensis, & commen-  
 taria rerum memorabilium sua ætate  
 gestorum, pluresque alios libros publici  
 juris fecit. III. Henricus de Villalo-  
 bos



octobris  
 cine-  
 cens,  
 acervo  
 Pari  
 arolus  
 x, cui  
 catus  
 ppam  
 n ex  
  
 offico-  
 cabili  
 lectu-  
 s non  
 Joan-  
 copus  
 atum  
 m de  
 alia  
 teire-  
 ilifi-  
 nec-  
 nisto-  
 nent-  
 etate  
 blici  
 llalo-  
 bos

hos Minorita evulgavit Theologiam mo-  
 ralem & Canonicam, necnon manuale  
 Confessariorum. IV. Petrus Bardin  
 edidit librum de honorati Viri officii,  
 cogitationes morales, necnon epistolas  
 circa obsessas Sanctimoniales Juliodu-  
 nenses. V. Claudius Robertus primus  
 Author celebris vastique operis, cui  
 titulus: *Gallia Christiana*, quam post-  
 modum Sammarthani Fratres auxerunt.  
 Scripsit quoque Claudius libellum  
 de morte pulchra, necnon Historiam  
 Divionensis, & Belnanæ Urbium.  
 VI. Antonius Perez Arbutellanus Archi-  
 Præful, qui Pentateuchum fidei,  
 de Ecclesia, Conciliis, Scriptura Sa-  
 cra, traditionibus, & Romano Pontifice,  
 necnon authenticam fidem SS. Pauli,  
 Matthæi, Actorum Apostolorum &c.  
 conscripsit, præter commentaria in  
 Regulam S. Benedicti, & quosdam  
 Sermones. VII. Janus a Costa, qui  
 commentaria ad capitul: *cum Martinus*  
 de Constitutionibus, summaria ad no-  
 vem titulos Decretalium, commentaria  
 ad Decretales, & notas ad Institutiones  
 posteris reliquit. VIII. Cornelius a  
 Lapide ex Societate edidit prolixam  
 admodum commentaria in universam S.  
 Scripturam, exceptis libris Job & Psalmo-  
 rum, quos imperfectos reliquit, Le  
 Blanc vero absolvit. IX. Martinus  
 Roa

Sæc. XVII.  
 A. C. 1637.

*Vid. supra*  
 198. t. 59.  
 S. 103.  
 pag. 387.



Sæc. XVII. Roa itidem Socius, qui singularium  
A. C. 1637. S. Scripturæ volumina duo, commen-

*Bibl. Script.*  
*S. 7.*

*Graveson.*  
*Hist. Eccl.*  
*p. 3. tom. 8.*  
*Col. V.*

taria in Habacuc & Psalmum II. præ-  
ter Historica edidit. X. Joannes Pi-  
neda Jesuita, qui commentaria in Job,  
Ecclesiasten, & Cantica scripsit. XI.  
Philippus Bebius itidem Jesuita nil nisi  
Ascetica vulgavit, quorum seriem P.  
Alegambe profequitur. XII. Franci-  
scus Paronus ex eadem Societate intro-  
ductionem in S. Doctrinam, commen-  
tarium dogmaticum in Evangelia &  
Pentateuchon publicæ luci donavit.  
XIII. Didacus Marino ex Ordine Car-  
melitarum Episcopus Mont-Pelusinus,  
ex cujus calamo profluxere commen-  
taria in quatuor libros Sententiarum,  
necnon Synodi suæ statuta. XIV. Abra-  
hamus Bzovius Ord. FF. Prædicato-  
rum, qui jubente Paulo V. Historiam  
Ecclesiasticam ab anno millesimo cen-  
tesimo nonagesimo octavo, quo Cardi-  
nalis Baronius desit, usque ad annum  
Christi millesimum quingentesimum  
septuagesimum secundum per novem to-  
mos profecutus est. Habuit tamen acrem  
Adversarium, Joannem Georgium de  
Hörwarth, qui Ludovici IV. electio-  
nem ex monumentis antea incognitis  
& petenti Bzovio denegatis vindicans,  
eundem Authorem injuriarum postula-  
bat: Bzovius vero eadem documenta  
post



postmodum secundæ Tomi XIV. editio-  
 ni integra fide inseruit. Carpitur etiam,  
 quod nimio instituti sui studio abreptus  
 in suorum gesta tam copiose excurre-  
 rit, ut potius Ordinis, quam Ecclesiæ  
 Historiam concinnasse videatur: ab  
 aliis reprehenditur, quod festinatore,  
 ac oportuerit, calamo usus, Anna-  
 les suos decurrerit potius, quam ab-  
 solverit. Præterea Bzovius Sylvestrum  
 II. Papam a calumniis vindicans, vi-  
 tam S. Adalberti Pragensis Episcopi ei-  
 dem Pontifici attribuit, & Jacobum  
 minorem, seu Episcopum Jerosolymita-  
 num cum Jacobo Maore confudit, sæ-  
 piusque Alani Rupensis fabulas secu-  
 tus fuit, in quo ab Antverpiensibus  
 hagiographis aliisque exagitur. Edi-  
 dit quoque librum de sanctis Medicis,  
 quibus perperam Joannem Mansur Da-  
 mascenum Græcorum Theologum &  
 sanctum Ecclesiæ Patrem loco Joannis  
 Melva Damasceni recentioris longe Me-  
 dici adscriptisse, a Petro de Valleclau-  
 sa redarguitur. Exstat quoque Roma-  
 nis, Coloniensibus & Parisiis literis  
 exculus Bzovii liber de præstantia, re-  
 busque gestis summorum Pontificum a  
 D. Petro usque ad Paulum V., cujus  
 vitam Bzovius singulari adhuc libro  
 descripsit: denique præter Historiam  
 Ordinis sui, ac compendium Baronia-  
 Hiß. Eccles. Tom. LX. O næ

Sæc. XVII.  
 A. C. 1637.



Sæc. XVII. A. C. 1637. nae Historiæ plura exegetica & Afce-  
tica posteritati reliquit. Ceterum Bzo-  
vius, postquam a latrone quodam, qui  
prius ejus famulum interfecit, omni-  
bus bonis spoliatus erat, hac cæde ter-  
ritus ex Vaticano in suum ad Miner-  
yam Monasterium reversus, ibidem  
die postrema Januarii septuagenarius  
decessit, seque de Literaria Republica  
optime meritum reddidit; quamvis e-  
nim in suis Annalibus in quosdam næ-  
vos offenderit, tot tamen vetera mo-  
numenta & diplomata ex tabulariis  
Romanis, & Bibliotheca Vaticana eis  
insevit, ut inde Historia Ecclesiastica  
plurimum illustrata fuerit.

## §. LXIII.

*Quidam Scriptores A catholici hoc an-  
no defuncti.*

*Freher  
Theatr. E-  
rud. p. 1.  
Sect. III.  
Bossuet Hist.  
var. tom. 2.  
p. 455.*

Ex Sectariis Scriptoribus hoc anno  
denatis quosdam subjungimus: in-  
ter hos primo loco occurrit Joannes  
Messenius, qui Ecclesiasticam Danicæ  
Historiam, chronicon Episcoporum Sue-  
ciæ, & Historiam Regum Danorum  
usque ad annum sæculi elapsi nonage-  
simum sextum publici juris fecit, ac  
demum ex carcere suo, in quo ob clau-  
destina cum Polonis commercia inte-  
gros viginti annos hæserat, suam  
Scot-



*Scandinaviam illustratum* seu Septentrionis Sæc. XVII.  
 Historiam concinnavit. II. Joannes A. C. 1637.  
 Gerardus a Lutheranis *tertius post Lu-*  
*therum & Chemnitium Reformator dictus,*  
 qui commentaria in Genesin, Deutro-  
 nomium & Epistolas D. Pauli & Petri,  
 necnon in Apocalypsin & Epistolam  
 Judæ, præter alia edidit. III. Gotfri-  
 dus Schlüterus scripsit explicationem  
 certaminis de Philosophiæ usu in rebus  
 idæi. IV. Mauritius Burchardus pro-  
 pugnaculum Christianorum, tractatum  
 de peccato originis, & duodecadem pro  
 Augustana Confessione vulgavit. V. Da-  
 niel Cramerus, qui de colloquio Ratis-  
 bonensi, hæresibus, & de veris Eccle-  
 siæ notis scripsit, præprimis vero Theo-  
 logum dentem exeruit, contra Ponti-  
 fices, Cardinales, Episcopos, Jesuitas  
 & Monachos, quæ maledicentia tum  
 quidem Lutheranorum auribus grata  
 accidit, nostro autem ævo antiqua hæc  
 iterato vomitu rejecta crambe sanioribus  
 nauseam stomachumque movet, & non-  
 nisi a quibusdam idiotis in solidæ rationis  
 defectum recoquitur. V. Robertus  
 Flud scripsit tractatum de vita, morte,  
 & resurrectione, veritatis proscenium,  
 Sophiæ cum Moria certamen, medici-  
 nam Catholicam, & præter plura alia,  
 Philosophiam Mosaicam: Acriter quo-  
 que multisque scriptis defendit fana-  
 ticos



**Sæc. XVII.** ticos Rosæ Crucis fratres, ita nempe  
**A. C. 1638.** vix ulla est caussa tam mala, quæ non  
fui similem Patronum reperiat. VI. Abraham Gensseus, qui disputatio-  
 nes Synodales de abusu Missæ, tracta-  
 tus de Antichristo, & omnipræsentia  
 Dei, *cupressatum mortis ac lauretum vita*  
 typis edidit. VII. Joannes Bogerma-  
 nus annotationes contra Hugonem Gre-  
 tium, & praxim pœnitentiæ seu medi-  
 tationes in lapsum Davidis, publici ju-  
 ris fecit.

## §. LXIV.

*Cæsareo-Saxones ob incediam ex Po-  
 merania excedere coacti.*

*Annal. Boic. Adl. part. 3. l. 23. Brachel. Hist. l. 4. Jæger. Hist. Eccl. p. 576.* Cum in variis comitiis de reddenda  
 pace frequentes haberentur con-  
 sultationes, Sueci interea ex accepta  
 nuper a Werthio clade sese colligenti  
 spatium nacti sunt: ac præprimis Uran-  
 gelius Suecici exercitus Dux Galatium  
 Comitem, qui cum Cæsareo milite in  
 Rugiensem Insulam penetrare nitēba-  
 tur, cæsis centum quinquaginta, &  
 octoginta captis repulit. Paulo securi-  
 dior fortuna arrisit Klitzingio Tribuno  
 Brandenburgico & Vicethumio Saxoni  
 quorum prior Garzium oppidum, alter  
 Waremundense propugnaculum de  
 ditione acceperant; mox tamen Sueci  
 novis



novis suppetiis aucti captis Cæsareis Sæc. XVII.  
 ferme quingentis Garzium recupera- A. C. 1638.  
 runt, ac quatuor Cæsareis, & sex Po-  
 norum legionibus qua captis qua cæ-  
 sis Malchinum urbem ceperunt, delecto  
 ad interuicium præsidio, direptisque  
 diuini fortunis. Inde in Brandebur-  
 gicam ditionem erumpentes, Berna-  
 ræ urbis jam aliunde pestilentia depo-  
 pulatæ præsidarios inopina vi oppres-  
 sere, ac integris octo horis non modo  
 in milites, sed & cives innoxios trucu-  
 lentum in modum debachati sunt. Hor-  
 rendum erat, videre expilatas, destru-  
 ctasque ædes, raptas, vitiatasque Vir-  
 gines & Matronas, abstractos contra-  
 ctas & nefas ingenuos: Lamentabantur  
 cives, experti furta, sacrilegia, latro-  
 cinia necnon cruorem, ac cædes, si  
 qui forte iure gentium, & naturæ de-  
 fendere suas opes ausi essent. Quibus  
 vero truculenti hi milites pepercerunt,  
 illos lenta crudelitate variisque crucia-  
 tibus ac præcipue aqua per vim ingur-  
 gitata, ac fustibus violentisque compres-  
 sionibus extorta ad prodendum, si quas  
 pecunias scirent reconditas, adegerant,  
 abactisque demum armentis, & cor-  
 rupta, quam auferre non poterant, an-  
 tenna ipsos etiam Prædicantes per pla-  
 teas fustibus bene delumbatos rapta-  
 runt. Inde cum opima præda Wolga-  
 stum



Sæc. XVII. A. C. 1638. stum progressi, hoc oppidum fame, & Daminum ferro ad deditioem compulere: vicissim Brandeburgici depulsi Suecis Novobergam depopulati sunt: postquam vero Bannerius partim Cæsareorum transfugiis, partim domesticis ex Suecia supplementis numero & potentia Cæsareis longe superior evaserat, Galassus exercitum suum fortunæ adversantis calamitatibus subducendum ratus, e Pomerania Havelam versus castra movit, per Regionem rebus omnibus exhaustam proficisci coactus: unde accidit, ut deficiente pabulatione jumenta, & diuturna annonæ penuria milites magno numero perirent, & Gallassus copias suas plurimum imminutas in Bohemiam reducere cogeretur; Bannerius postea Cæsareorum metu solutus, Havelburgum, & Schelungius Leuzium haud magno negotio diripuerunt, & sine hoste & armis Pomeraniam recuperarunt. Ita demum victoriæ palma, quam glorioso conamine, & copioso hostium sanguine Cæsarei priori anno plantarunt, hoc anno Principum fœderatorum tenacitate excisa fuit: cum enim hi privato commodo intenti, communem Imperii exercitum inedia premi, ac hostiles copias jamjam devictas militum defectione inde causata augeri paterentur,

Sue-



Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

Suecis ad evertendum Imperium re-  
versis, temerariam hanc avaritiam mul-  
tiplici dein clade luere coacti sunt.  
Tantum impedit commune Religionis  
et justitiæ bonum privati dispendii for-  
mido, & proprii commodi aviditas.

§. LXV.

*Fausta Vinariensis Ducis expeditio  
contra Cæsareos.*

Nupera clades, Rhenique litora male  
custodita Vinariensem Ducem ad  
Germaniam ea ex parte rursus inva-  
dendam incitabant: die igitur vigesi-  
ma nona Januarii ex Delspergensium  
fauibus per Basileensium fines cum  
valido agmine erumpit, Rhenoque  
Steinam prope trajecto, Laufenburgum,  
urbis Præfecto segniter resistente, nec-  
non Waldshutum expugnat. Victoriæ  
cursum sola Rheinfelda, arte & natura  
prævalida Urbs sistere videbatur. Hanc  
ergo Dux die septima Februarii toto  
belli apparatu obsidet, urbique extre-  
mam vim infert, fiducia successus, quam  
successu meliore; Gubernator enim  
tam diu, tamque invicta fortitudine  
hostium impulsus repulit, ut Sabellius  
Dux, Joannes de Werth, aliique Cæ-  
sarei, Bavarique Duces cum copiis suis  
laboranti urbi tempestive succurere pos-  
sent.

*Theatr. Eu-  
rop. tom.3.  
pag.911.  
Plafecius  
pag.612.  
Wassenberg  
comm. bell.  
Ferd. p.427.*



Sæc. XVII. sent: Horum tamen adventu nondum  
 A. C. 1638. territus Vinariensis, incredibili furore  
 in dextrum agmen, cui Werthius præ-  
 erat, die vigesima octava Februarii,  
 irrumpit, ordinesque capto Wolfio a-  
 liisque Tribunis perfringit: Werthius  
 vero vulnus, quod acceperat, ulturus, cum  
 Equitibus suis, uti ad resistendum obfir-  
 matissimis, sic ad victoriam omnium fe-  
 licissimis in hostem proruit, urget fun-  
 ditque Vinariensem peditatum, cæsis-  
 que Philippo Rheni Comite & Roba-  
 næo Duce Galios profligatos ab obli-  
 dione Lauffenburgum usque propellit.  
 Altera die Vinariensis Dux acceptæ  
 cladis ignominia stimulatus, Cælareos  
 Bavarosque hinc inde dispersos, in-  
 opina vi aggreditur, ingentique clade  
 affectos in fugam agit: Werthius vero  
 retrocedere haud assuetus, aliquam-  
 diu pugnando subsistit, tandem vero  
 ab hostibus undique cinctus unacum  
 Wahlia legione sua captus est. Nec  
 Sabellii, Enkevortii, Sperreutheri, plu-  
 riumque Ductorum auspiciore fors erat;  
 hi enim omnes in Gallorum potestatem  
 redacti, Parisios raptabantur, tam in-  
 fausti prælii testes futuri: solus Sabel-  
 lius per custodum incuriam fuga elapsus  
 est, totus vero peditatus aut cæsus aut  
 captus. Reportata hac victoria Tubal-  
 dalius



datus Suecorum Tribunus, Hunin-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
 genſe propugnaculum, & Vinarienſes <sup>A.C. 1638.</sup>  
 Rheinfeldam deditio, caſtrumque Ræ-  
 talenſe, & denique Friburgum ferro  
 ſubegerunt. Tum primum toti Ger-  
 manix triſtia fata, duraque pacis ini-  
 quæ neceſſitas ac irreparabiles jaçturæ  
 pedetentim imminere cæperant; ex-  
 pugnatſ enim hiſce propugnaculis com-  
 meatuſ ex Helvetia advehendi facul-  
 tas fuit intercluſa, proin Briſaci, ni  
 armis, ſaltem fame domandi, captoque  
 hoc munitiſſimo Imperii præſidio latius  
 graſſandi ſpes haud exigua Suecis affulſit.  
 Hæc adſpirantiſ Fortunæ auſpicia Vi-  
 narienſi Duci ingens erant expugnandi  
 invincibilis hujus munimenti incita-  
 mentum, ſuperandarum difficultatum  
 altuſ impetuſ: quibuſ accedebat quo-  
 tidianiſ incrementiſ glifcenciſ propagan-  
 dæ ſectæ amor, & odium in Cæſarem,  
 unicum Catholicorum præſidium. Ne  
 quiſ vero dubitaret, Religioniſ diſſi-  
 militudinem exſtitiffiſ bellici furoriſ ar-  
 gumentum, Dux Sabellii fugam, & am-  
 pliſſimi, quod ab hoc captivo ſperabat,  
 lytri jaçturam inhumana crudelitate in  
 duoſ Sacerdoteſ, unum civem, fœ-  
 minasque imbelles exercita plectebat,  
 hoſque omneſ unacum Vigiliarum Præ-  
 ſecto capite plecti præcipiebat: Poſtea  
 Briſacum arctiuſ cingere cæpit; nihilo-  
 minus



Sæc. XVII. minus tamen Joannis Gozii Ductoris  
A. C. 1638. Cæsarei industria factum, ut aliquan-  
 tum annonæ obsessis adveheretur, haud  
 tenue in extrema rerum inopia leva-  
 men, quod tamen brevi in necessitatis  
 augmentum vertebatur; quippe ex mi-  
 litum incuria ignis in nitratum pulve-  
 rem incidens, quadringentos frumenti  
 modios corrumpit, totidemque homines  
 qua læsit, qua omnino elisit: nec pa-  
 rum valebat ad intendendam obsessio-  
 rum calamitatem omnis propemodum  
 consilii defectus, ac recentis annonæ  
 desperatio: verum sicut quod nemo sub-  
 inde sperat, id non raro ex obliquo fit,  
 ac frequenter ibi Deus servat, ubi se-  
 metipsum homo dudum abjicit, sic  
 dum obsessi diffidunt, dum & vitæ eos  
 tædet, & mortis metus angit, inter  
 medias desperationis nebulas melior il-  
 los hora cæpit respicere; quippe præ-  
 ter omnem expectationem ex occur-  
 rente Croatarum turma Vinarientes  
 tanto concutiebantur terrore, ut fu-  
 gientibus similes Brisaco Novobergum  
 sese reciperent, simulque Goetio obles-  
 sis annonam invehendi aditum pande-  
 rent. Continuata tamen obsidionis  
 pertinacia, rursus obsessi durius anno-  
 næ difficultate, quam hostium impul-  
 sibus conflictari cæperant: verum Cæsa-  
 ris jussu Goezius magnam commeatus  
 vim



vim collegit, ac per medias hostium Sæc. XVII.  
 phalanges generoso mortis contemptu A. C. 1638.  
 obsessis opem ferre statuit: die igitur  
 septima Augusti motis ex Westphalia  
 castris cum octingentis curribus anno-  
 na & apparatu bellico onustis Brisac-  
 co imminet: ast cruento quinque ho-  
 rarum prælio devictus, omnia hostium  
 prædæ relinquere coactus est, inde in  
 agrum Wirtenbergicum cum suis reje-  
 ctus. Nondum tamen Cæsarei libe-  
 randæ urbis spem abjecerant, sed evo-  
 catis e Lotharingia Carolo Duce, ex  
 Ubiis Lamboio & Golzio, cis simul &  
 trans Rhenum castra hostium aggredi  
 statuunt: verum Lotharingi præstituto  
 die cum hoste apud Thannam cong-  
 ressi, Goezio tardius promovente, nu-  
 mero ac viribus impares, cæsi fugati-  
 que sunt. Goezius autem unacum  
 Lamboio hostium castra adortus, ge-  
 mino jam propugnaculo armis subacto,  
 dum de reliquorum expugnatione de-  
 sperat, receptui canere jussit, nullo a-  
 lio tanti moliminis successu, nisi quod  
 hostibus certam victoriæ fiduciam, ob-  
 sessis omnis auxilii desperationem, to-  
 tiq; Imperio vastitatem & Catholicor-  
 um rebus inevitabile excidium at-  
 tolerit. Ita demum exeunte hoc anno  
 Brisacum ad extremam famis necessi-  
 tatem adactum ea lege deditionem  
fece-



Sæc. XVII. fecerat, ut præfidiarii milites explicatis vexillis, sonantibus tympanis armati urbe excederent, quod & die decima nona Decembris factum, ingemiscentibus Cæsaris amicis, & plaudentibus Gallis, reique Catholicæ & Austriaco-Bavaricæ hostibus. Hujus jacturæ causa potissimum in Goezii tarditatem rejiciebatur: unde mox Cæsaris jussu ad dicendam causam in Bavariam evocatur, nihilominus post biennii fere spatium dimissus, pristinae dignitati restituitur.

## §. LXVI.

*Galli & Hollandi ab Hispanis cæsi.*

*Barve Hist.  
& Allemagn.  
tom. 9.  
Newill. Hist.  
d' Hollande  
tom. 1.*

**H**oc secundæ fortunæ successu apud Rhenum tripudiantibus Gallis ac Vinariensibus, Hispani e contrario in Belgio adversus eosdem Gallos, Batavosque prospero pugnabant Marte: adeo in bellicis rebus fortuna lubrica est & versatilis, nec in firmo vestigio invita teneri potest; quippe Batavi, postquam ductore Guilielmo Nassovio Comite Calloum propugnaculum haud procul Antverpia, inopina vi occupaverant, vitio humanæ felicitatis, quæ semper ex prosperis luxuriat, partæ victoriæ fiducia securi necessaria validæ defensionis opera exstruere neglexerant: unde



Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

unde ab Hispanis opportune confluentibus oppressi, amissis quadraginta quinque vexillis, tormentis novendecim, omni præterea annona, militarique apparatu ex munimento dejecti sunt: capti fuere bis mille quingenti unacum navigiis plusquam octoginta: Ex præsidariis vero maximam partem cæsi, aut in flumen protrusi aquis periere. Occubuit quoque ex vulneribus Comitis Nassovii Filius, cujus jacturam Hollandi ipsa urbe pretiosiorein summopere lugebant. Pari fortunæ invidia ex illa Belgii parte, quæ Franciam attingit, Princeps Condæus & Espernonius Gallici exercitus Duces, qui Audomarum, Hesdinum, & Fonterabiam munitissimum Cantabrigi maris portum obsederant, non minore clade, quam infamia in Gallias, ab Octavio Piccolomineo & Thoma Sabaudia Principe repulsi sunt, captis ex primaria nobilitate quamplurimis, quos deinceps Hispani Bruxellas in triumphum abduxere, ac merito Gallis ex suis Theatris insultare, ut vicem rependerent Parisinis, qui nuper captos Cæsaris Belliduces, ac præcipue Joannem de Werth in spectaculum, sicut leonem quemdam Marmaricum, aut Indicum Elephantum circumduxerant, necnon ex Cæsareo-Bavaricis vexillis in prælio captis in loco



Sæc. XVII. loco publico trophæum celebri pompa  
 A. C. 1638. ac festiva tormentorum explosione ere-  
 xerunt. Ceterum ex Gallis Fontera-  
 bia depulsis capti fuere ferme quadrin-  
 genti, præter duo millia, quæ ferro  
 aut undis occubuere: impedimenta quo-  
 que cum omni castrensi apparatu longe  
 locupletissimo Hispanorum prædæ ces-  
 serunt. Porro Espernonius & Condæus  
 certatim alius alterum velut in faultæ  
 expeditionis causam criminabantur,  
 cum interim revera seipsum quisque ju-  
 stius pro parte sua, vel ambo simul  
 mutuam inter se invidiam exagitare po-  
 tuissent, cum neuter alteri adversus Hi-  
 spanorum suppetias Audomaropolitanæ  
 urbi accurrentes auxiliatus esset, &  
 ambo ex fiducia propinquæ expugnatio-  
 nis stertentes, negligentius stationes  
 egissent. Pariter Hollandi Geldriam  
 incassum obsederant; cum enim Lam-  
 boius Cæsarei exercitus Ductor capta  
 Stralena arce sese Ferdinando Hispani  
 exercitus Belliduci cum sex armatorum  
 millibus jungeret, Hollandi partim ab  
 inundantibus aquis, partim ferro ad  
 interneccionem deleti sunt.

§. LXVII.

*Palatini Principes a Cæsareis  
 profligati.*

Cum



Cum interea Daniæ Rex per Legatos suos pro more suo, varia pacis conditiones suas vindicare aggredierentur. Hi ergo, quamprimum Hassi Paderbornam expugnaverant, cum valido agmine in Westphaliam irrumperere parant, ac Meppenam urbem, quam sexcentis thalerorum millibus a Kniphuisi Sueci hæredibus emerant, præsidio suo instruunt: Hæc Palatinorum molimina haud effugerant solertiam Melchioris Hatzfeldii Comitis Cæsarei in Westphalia Præfecti, qui Vehlano, Viro domi militiæque in paucis claro confestim negotium dabat, ut hanc urbem, munitissimam licet, interciperet. Hic ergo die undecima Maij noctis silentio Hasam amnem cum exercitus sui robore trajicit, valloque superato proximos excubitores plerosque trucidat, moxque effracta Hasensi portam equitum peditumque caterva forum, aggeres, vicosque præcipuos invadit. Acriter in foro dimicatur utrinque: Palatini tamen irrumperentium vibrati terga victoribus & gloriam concessere, longius refugi, quam ut Cæsarei eos porro insequi potuissent. Tanta tamen

Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

*Barre Hist.  
d' Allemagn.  
pag. 708.*

*Brachel.  
Hist. temp.  
lib 5.  
Adlzr. Ann.  
nal. Boic.  
l. 23. part. 3.*



Sæc. XVII. tamen fuit illorum, - qui in quoddam  
 A. C. 1638. sepulchrale septum profugerant, pugnan-  
 di pertinacia, tam infracta virtus, ut  
 ne victi quidem palmam concederent,  
 Cæsareorum tamen identidem recen-  
 tium affluxu numeroque pressi, tandem  
 accepta vitæ venia unacum suis ducto-  
 ribus, sese capiendos victoribus dedi-  
 derunt, excepto Horneccio urbis Præ-  
 fecto, qui jam captus, cum alapam Cen-  
 turioni cuidam infligeret, ab eodem  
 confossus periit: Auxere victorum præ-  
 dam viginti quatuor belli tormenta,  
 quatuor vexilla, ac copiosus omnis ge-  
 neris commeatus, ingensque pecu-  
 niæ vis.

Verum sinistra belli fortuna, quæ  
 Palatinos pertinaciter insectabatur,  
 paulopost dedecoris acerbiterem casu  
 multo infestiore cumulavit, spemque  
 totam nova calamitate demersit: quam-  
 primum enim Halli Camenam Mona-  
 steriensis agri urbem diripuerant, mox  
 Palatini Principes resumptis animis no-  
 vos conscripsere tyrones, qui tamen,  
 priusquam arma gestare didicissent, a  
 Cæsareis equitibus octava Augusti die  
 obruti, una omnes dissipati, captique  
 fuere. Hæc tamen clades Palatinis  
 ad majora audenda incitamentum rur-  
 sus exstitit; aucti enim Hollandorum  
 Suecorumque suppetiis Cæsareos prope  
 Ems-



Emslandiam adoriuntur, eosque Rhe- Sæc. XVII.  
 mura usque propellunt: Hatzfeldio au- A. C. 1638.  
 tem in Cæsareorum opem accurrente,  
 non sine clade denuo repelluntur, ipse-  
 que Comes Robertus Palatinus, pro-  
 strato equo, vitæ periculum ægre e-  
 luctatus est: nec tamen inde territi am-  
 bo Palatini Principes, devastato agro  
 Monasteriensi Lemgoviam Lipsiensis Co-  
 mitatus urbem tanta vi quatiant, ut  
 nil propius, quam obsessorum deditio  
 videretur: at per impetum citante  
 fato, rursus ab Hatzfeldio repulsi, Ulo-  
 thiam aufugere coguntur, pressiusque  
 instante Cæsareo milite ad prælii ne-  
 cessitatem deveniunt. Die ergo deci-  
 ma sexta Septembris pugnae datur ini-  
 tium, primoque impetu funduntur Cæ-  
 sarei, qui tamen restitutis ordinibus in  
 Palatinos iterato invehuntur, quin ideo  
 fractus esset Palatinorum animus: dum  
 enim hinc fistularum glandes, grandio-  
 risque plumbi globi, ac superbi clamo-  
 res, illinc autem pro Cæsaris honore  
 dimicantium serius ardor, major vi-  
 rium copia, obfirmatusque ad vincen-  
 dum animus opponeretur, tandem post  
 diu pendentem Martem Cæsarei, ab  
 Hatzfeldio tempestive submissi pugnae  
 verterunt fortunam: hi enim, eoquod  
 duos in primis strenuos Belliduces  
 Gœtzium & Tirellum glande trajectos  
 Hist. Eccles. Tom. LX. P ami-



Sæc. XVII. amisissent, ira incensi ferociter in ho-  
A. C. 1638. stem incurrunt, ordines perrumpunt,  
 hostilem aciem disjiciunt, atque inter  
 duos amnes tam arte compingunt,  
 ut nequidem ignominiosæ fugæ locus  
 aut facultas esset: Igitur Palatini mili-  
 tes melioris fortunæ desperatione ad-  
 acti, unaomnes in captivorum sortem  
 beneficii loco recipi rogarunt, paucis  
 nando effugere tentantibus, quorum  
 tamen plerique Visurgis hausti fuere  
 gurgitibus, alii permagno numero pro-  
 triti perierunt. Cecidere insuper in  
 hoc prælio plusquam duo millia, ca-  
 pta impedimenta omnia, omnesque  
 machinæ cum ingenti præda, & An-  
 glicanæ Periscelidis insigni, quod olim  
 Angliæ Rex Palatino Comiti dono de-  
 derat. Victoriâ hanc non parum no-  
 bilitabat præter Ferontium supremum  
 Anglici agminis Tribunum, plurimos-  
 que alios Ductores captus Robertus  
 Palatinus Comes, qui ad Cæsarem  
 cum honestissimò comitatu Viennam  
 deductus est, ab eodem splendide ac  
 liberaliter habitus. Carolus vero e-  
 jusdem Frater, dum rheda vectus,  
 per Visurgin fugam accelerat, submer-  
 so curru, equis & auriga, solus fruti-  
 cum beneficio ægre ad ripam emerit,  
 pedes inde Mindam profugere coactus.  
 Formidando hoc Palatinorum exercita-  
 ad



ad internecionem deleto Hatzfeldius, Sæc. XVII.  
 postquam palantes adhuc aliquot co- A. C. 1638.  
 ptas apud Bremam oppressisset, Clop-  
 penburgum primo, dein Vechtam,  
 aliaque oppida nullo negotio ad Cæsar-  
 is obsequium compulit.

## §. LXVIII.

*Franciæ Delphinus hoc anno natus.*

Cum Ludovicus XIII. Franciæ Rex  
 aduersus Cæsarem ancipiti, contra  
 Hispanos vero improspero Marte hoc  
 anno pugnasset, novos delectus fieri,  
 conctaque ad auspiciorem futuræ ex-  
 peditionis successum necessaria instrui  
 iussit: præprimis vero die sexta Martii  
 per Claudium Avosium Oratorem suum  
 Hamburgi foederi cum Regina Sueciæ  
 ante biennium die vigesima Martii Wis-  
 marie inito tandem ultimam admovit  
 manum, declarans, quod mortuo Fer-  
 dinando II. bellum contra ejus Filium,  
 Austriacam Domum eique adhærentes  
 prosequi decrevisset. Hanc in rem ar-  
 citiorem armorum societatem cum Sue-  
 cis inuit, atque ex mutuo consensu sta-  
 tit, quod ipse cum exercitu suo per  
 superiorem Germaniam, Christina vero  
 Sueciæ Regina per Marchionatum  
 Brandenburgicum & Saxoniz Ducat-  
 um summis utrinque viribus arma sua

*Recueil des  
 trait. p. 88.  
 Brachel.  
 Hist. p. 271.  
 Daniel hist.  
 de France.  
 Voltaire  
 Hist. du  
 Parl.*



Sæc. XVII. in hæreditarias Austriacorum Provin- ac in  
A. C. 1638. cias transferre, bellique Sedem illic ubi e  
 figere velint. Demum præter alios stodi

quindecim fœderis articulos sequentem, dem  
 qui Religionem concernit, addidere, gis  
 his conceptum verbis: *Articulus quar- ciam  
 tus in gratiam Catholicorum, ut fruon- scem  
 tur libero suæ Religionis exercitio, suisque redu  
 redditibus, juxta tenorem fœderis, exaltat quoc  
 servetur, idem quoque in favorem Pro- unqu  
 stantium dictum esto.* Insuper habito vero  
 tem hoc articulo reditus, bonaque Ec- deb  
 clesiastica, quibus armorum violentia mir  
 pepercit, hujus fœderis potentia, ac tasse  
 per eam extorta Monasteriensis pax Ca- legi  
 tholicis postmodum eripuit.

Ceterum ab eo temporis articulo die  
 hostilia non modo in Imperatorem, dict  
 & in omnes, qui de Cæsaris patrocini- Bea  
 suspecti erant, omni data occasione qu  
 exercebantur: Id suo infortunio dec  
 riebatur Casimirus Poloni Regis Frater, bat  
 electus Lusitanæ Pro-Rex, qui cum lige  
 in Hispaniam per Franciæ Regnum suo  
 cognitus navigaret, ac Marsiliam pro  
 delatus, vires reficiendi studio in littus Par  
 Gallicum ex'cenderat, cum toto comitatu na  
 suo a Gallico urbis Præfecto ran  
 interceptus est: Nil infortunato gni  
 principis Regii dignitas, atque prætexta sup  
 hospitalitatis jura profuere, quominus  
 ad arcem Salonam, moxque Parisios, nu  
 les



ac inde Citeronem captus abduceretur, Sæc. XVII  
 ubi etiam integro ferme biennio in custodia hæerere compulsus est, donec tandem summi Pontificis, & Uladislai Regis Poloni precibus, decreto in Franciam Christophoro Gassio Smolenscense Palatino, liberatus, in Poloniam reductus est, prius spondere iussus, quod hanc injuriam sibi illatam nullo unquam tempore ulcisci vellet. Hujus vero violentiæ causam, hanc obtendebant Franciæ Ministri, quod Casimirus Cæsari contra Gallos olim militasset, & Poloni eo tempore Cæsareis legionibus immixti fuissent.

Hoc item anno idem Franciæ Rex die decima Februarii promulgato edicto se atque universum Regnum suum Beatissimæ Virgini Parisiis die decima quinta Augusti in Ecclesia Cathedrali, decreta solemnibus supplicationibus consecrabat, eamque in regni sui Patronam seligebat, quin propterea, uti pro more suo Voltairus calumniatur, Franciæ protectionem Divæ Genovesæ, quæ Parisiensis urbis, proin & Regni Patrona credebatur, ademisset. Conveniant ad hanc solemnitatem omnes Regni Curia: ceteros vero Præsides in supplicantium agmine præcedebat primus Regii Senatus seu Parlamenti Præses, quem Fiscus Regii Tribunus seque-



Sæc. XVII. batur: inde vero tanta oriebatur inter  
A. C. 1638. Præsides contentio, ut si præfato Au-  
 thori fides, verbosa principio jurgia,  
 rixæ & altercationes insonarent, de-  
 mum etiam ad mutuas verberationes  
 deventum esset; incassum Montbazo-  
 nius Dux immisissis suis satellitibus, stri-  
 ctoque ense tumultum sedare nitebatur,  
 tandem vero re ad Regium tribunal de-  
 lata, Rex præcepit, ut impolterum  
 Parlamenti Patres ex B. Virginis Tem-  
 plo per majorem portam, Regii Fiscii  
 autem Senatores per minorem egrede-  
 rentur.

Utut autem res se habuerit, id om-  
 nino certum est, quod Rex singulis an-  
 nis in factæ consecrationis memoriam,  
 solemnem hanc supplicationem fieri de-  
 creverit, quodque Beata Virgo munus  
 sibi a Rege oblatum acceperit, auctius-  
 que eidem reddiderit, nato paulopost  
 Delphino; quippe die quinta Mensis  
 Septembris Anna Maria Franciæ Re-  
 gina, & Hispani Regis Soror post viginti  
 tres conjugii sterilis annos diu expecta-  
 tum Regni Hæredem enixa est. Hunc  
 Parentes ejus Ludovicum XIV. popu-  
 lus vero *Adodatium* appellabat, tunc-  
 que populi vocem, Dei vocem fuisse,  
 patriæ salus, ac Religionis augmen-  
 tum inde exortum comprobavit. Rex  
 vero voti causa ad Beatam Virginem  
 Laure-



Lauretanam transmisit argenteam sta-  
tuam Angeli sustentantis suis ulnis Del-  
phinum ex auro solido Deiparæ offeren-  
dum: Regina quoque eo misit duas co-  
ronas aureas gemmis distinctas, unam  
pro infante Jelu, alteram pro ipsa Vir-  
gine Matre. Ne vero hic Delphinus  
sine laurea natus crederetur, nascituro  
præferat navalis victoria; cum enim  
Poncurtæus Gallicæ classis Archithalaf-  
lus prope Genuam in Hispanam Ve-  
latici classem incideret, illico res ad  
prælii necessitatem devenit: Prior tri-  
remis Gallica remis propulsa, conniten-  
tibus indefesso lacertorum motu servi-  
tibus, Hispanam navim, ad proram il-  
lisa prora, concussit: pugnatur eminus  
tormentis, cominus strictis ensibus,  
sclopiisque minoribus: utrinque dudum  
par cædes, parque victoriæ spes: do-  
nec ad extremum Gallica res superior  
esset, utique, posteaquam Galli gran-  
diantes inter sclopos ac tubos, inter-  
que volitantes grandioris plumbi glo-  
bos Prætoriam Hispanæ classis navim  
irruerant, cæsisque tribus hostium  
millibus ac quingentis, ipsoque Ve-  
latico interempto, sex Hispanas trire-  
mes ceperant, ceteris in Genuensem  
portum profugientibus: nec tamen Gal-  
lis incruenta erat hæc victoria; post-  
quam enim Hispani multo vulnere in-  
flucto



Sæc. XVII. flicto Gallorum audaciam uli fuerant, tres insuper triremes eis interceperunt, ac plusquam mille ducentos trucidarunt.

## §. LXIX.

*Cofaccorum seditio.*

*Brachel. l. 5. Es 6. Jæger. Hist. Eccl. l. 8. c. 6.* Nondum integer effluxerat annus, ex quo Uladislaus Poloniæ Rex habitis Regni sui comitiis Cæciliam Renatam Ferdinandi II. Cæsaris Filiam sibi matrimonio junxerat, cum illico nuptiarum solemnia seditio a Cofaccis excitata interturbaret: ita nempe nulla in risu felicitatis constantia. Hi post reportatas de Tartaris victorias armorum cessatione torpere cæperant, cumque otium patrandis vitiis natum sit, hi quoque, prædas & latrocinia jam ex antiquo tanquam artem exercere assueti, Polonorum Procerum ditiones deprædati sunt. Nec iteratis comminationibus eorum petulantia coerceri poterat; quamvis enim Stanislaus Cofajepolius supremus militiæ Præfectus ad Boristhenis, & Samaræ confluentes novum propugnaculum construxisset, eique pro tuendis operariis Germanos milites imponeret, Cofacci tamen suis prædationibus remoram poni indignantes, dejectis operariis prædiarios



diarios una omnes trucidarunt: ne ergo Sæc. XVII.  
ultionis dilatione periculum tacitis au- A. C. 1638.  
gesceret incrementis, Conjeczpolius  
nulla mora cum valida manu Nicolaum  
Potochium ablegat, qui Cofaccos ite-  
rata clade protritros in urbem Borovi-  
tiam fugere, famisque violentia pres-  
sos eo compulit, ut Paulucium præci-  
puum rebellionis Ducem unacum aliis  
quatuor Primoribus captum tradere  
cogerentur, ceteris data impunitatis  
fide: quoniam vero hanc securitatem  
non nisi inferiores Præfecti captivis de-  
dissent, hancque intempestivam ele-  
mentiam Proceres in Regni comitiis con-  
gregati ratam minime haberent, Pau-  
lucius, ejusque Socii Ordinum jussu  
capite plexi sunt. Inde vero Cofacci  
effratiores effecti, ob fidem Paulucio  
non servatam spretis omnibus pacis con-  
ditionibus in Polonos Nobiles inflato  
classico truces & implacabiles inimici  
denuo grassantur, vulneribus, incen-  
diis, cædibus, ac strage: nec erat ani-  
mus, conquiescere, nisi prius Polonicæ  
nobilitatis interneccione, contumeliæ  
sua opinione acceptæ litatum esset, fa-  
tisque datum. Accessit ad mali cumu-  
lum Gedanensium rebellio ob novum  
vectigal concitata, quæ tamen publico  
Ordinum decreto sedata est, quin ta-  
men Potochius & Conjeczpolius Cofac-  
P 5 cos,







Ragotii propositio, jamque hujus sum- Sæc. XVII.  
 mæ dimidium obtulerant, reliquam A. C. 1638.  
 vero partem inter Angliam, Sueciam,  
 & Hollandos dividendam esse placuit:  
 res tamen inter spes, & promissa ste-  
 tit. Interim vero Amurathes Turca-  
 rum Imperator cum tercenties mille ar-  
 matis in Persiam irrupit. Babylonem,  
 aliis Bagdatum dictum, expugnaturus.  
 Die igitur nona Novembris explorato  
 locorum situ; agi cuniculos, bellique  
 tormenta ab ea parte, quæ universam  
 dominabatur urbem, admoveri præci-  
 pit, murosque undique tormentis qua-  
 tit: Jamjam vigesimam diem circa mu-  
 ros hujus urbis hærebat Amurathes,  
 cujus æque ac Mustaphæ Vezirii in con-  
 firmandis Janissarorum animis adversus  
 obsessorum eruptiones magis ac magis  
 funestas intenta discurrebat sedulitas:  
 unde aucto oppugnantium animo simul  
 tres urbis partes continua verberatione  
 concuti jubet, tandemque disjectis mœ-  
 nibus, ac tentato quadruplici totius  
 exercitus assultu urbem quarta irru-  
 ptione ipso Dominicæ Nativitatis festo  
 post quadraginta dierum obsidionem  
 expugnavit, atque universos ejus pro-  
 pugnatōres, civesque trucidari jussit:  
 Ex Persis viginti quatuor millia in ge-  
 nua prostrati positis armis vitæ gratiam  
 petierunt, impetraruntque, quos ta-  
 men



Sæc. XVII. A. C. 1638. men paulo post nocte insequente una-  
 omnes accensis facibus a Janissariis ju-  
 gulari præcepit, nonnisi viginti septem  
 ex Nobilioribus in triumpho pompam  
 reservatis. Deficiente tandem occi-  
 dendi rabie etiam victorum avaritia in  
 capta urbe erat satianda: quocirca  
 Amurathes trium dierum deprædationi  
 urbem exposuit: Tum vero Janissarii  
 indomitis, impotentibusque furis in  
 miseros incolas, ut aurum ab eis ex-  
 torquerent, tumultuari cœperant, non  
 cædibus, non præcipitiis, non super-  
 stitionis Ottomanicæ fanis, non pala-  
 tiis, minus vero ætati, aut formæ,  
 sexuique parcunt, sed omnem, quam  
 nequidem immanissimæ ferarum om-  
 nium feræ possent attingere, feritatem  
 exercent obvia quæque strage, sangui-  
 ne, vastatione flammaque miscentes.  
 Tam copiosus fundebatur sanguis, ut  
 ipsimet naturæ humanæ omnes venæ  
 excindi crederentur, unice ideo, ut  
 truculento Imperatori victoriæ ac glo-  
 riæ Purpura tingi posset. Cecidere  
 ex ipsis Turcis quadraginta millia, &  
 vulneratorum decem millia, præter a-  
 lia viginti millia, vario calamitatum ge-  
 nere absorpta. Tanto impendio unius  
 urbis expugnatio Turcis steterat. Ad-  
 huc dum Amurathes in Persia hærebat,  
 cum inopinatus successus facile novi  
 belli



belli incendium Venetos inter & Tur- Sæc. XVII.  
 cas suscitare potuisset; Algerienses e- A. C. 1638.  
 nim & Tunetani Piratæ cum sexdecim  
 navigiis Adriaticum Mare infestum red-  
 debant, ædis Lauretanæ divitiis in-  
 hiantes: spe tamen sua frustrati, in  
 Apulia, exscensione facta, Nicoteram  
 ferro flammaque devastarunt. incolis-  
 que in diram servitutem abstractis quas-  
 dam Moniales sacrilega vi compresse-  
 runt, inde in Dalmatiam appulsi, ob-  
 vias quasque naves deprædati sunt,  
 ac innumeris calamitatibus & violen-  
 tiis incriminosos Christianos divexarunt.  
 Tantæ crudelitati reprimendæ impares  
 erant Melitensium, Florentinorum &  
 Hispanorum classes, utpote in varias  
 expeditiones distractæ, ex quibus Me-  
 litenses, & Florentini non ita pridem  
 in Ægei Mari Turcis ingens damnum  
 intulerant: Hac vero suorum clade ir-  
 ritati Bichir Bassa Turcicæ classis Præ-  
 fectus, necnon Constantinopolitanus  
 Gubernator, præfatis Piratis injun-  
 xere, ut nulla mora cum navibus suis  
 Constantinopolin versus vela facerent.  
 Hi autem nondum expleta prædandi  
 libidine, priusquam jussa exequerentur,  
 in Adriaticum mare rursus excurrere,  
 Istanque Insulam, quæ Venetis paret,  
 deprædari statuerunt. Explorato ho-  
 rum consilio Marinus Capellus Reipu-  
 blicæ



**Sæc. XVII.** blicæ Architalassus ex Corcyra, ubi  
**A. C. 1638.** classis sua in anchoris hærebat, solvens  
 Piratas aggredi parabat, hi vero ad  
 Vallonæ portum Turcis obnoxium recessere, per aliquot dies ibidem a Venetis arcte cincti: inde tamen summo mane fugam adorsî, a Marino Capello non sine mutua clade capti fuere. Re comperta mox Ottomanicus Vallonæ Gubernator apud Venetam Rempubli- cam vehementer querebatur, quod Capellus sub quæsito Piratas insequendi obtentu Vallonam Turcici Imperii arcem tormentis quater ausus esset: proin peteret, ut Algerianas naves, utpote Turcico patrocinio tutas, omnino intactas remitteret. Verum insuper habitis hisce querelis Capellus Piratarum naves omnibus, quibus adhuc instructæ erant, cum Turcæ jamjam pretiosiora quæque in arcem reportassent, spoliavit, easque Senatus jussu in Corcyrensi portu submersit, excepta Algerianorum Prætoria, quæ ad perpetuam hujus victoriæ memoriam in armamentario asservabatur. Interim Capellus Ludovicum Contarinum Venetæ Reipublicæ Oratorem Constantinopoli agentem de tota rei successu certio- rem reddidit. Vix jacturæ rumor per urbem increbuerat, cum illico Constantinopolitanus Gubernator fremere, terrores,



rores, minasque jactare, ac ipsemet **Sæc. XVII.**  
 quoque Amurathes Oratorem, cun- **A. C. 1638.**  
 ctosque Venetos in Ottomanico Impe-  
 rio degentes in frustra discerpi juberet;  
 executionem tamen distulit, veritus,  
 ne exorto novo bello copias suas e Per-  
 sia revocare cogeretur: nihilominus  
 Oratorem Venetum Constantinopoli  
 custodiæ mancipari, Piratis vero clas-  
 sem Turcicam, qua Christianos oppri-  
 merent, suppeditari præcepit. Anno  
 tamen sequenti Senatus Venetus hoc  
 dissidium composuit, maluitque du-  
 centa quinquaginta aureorum millia  
 pendere, quam rem dubiæ fortunæ ar-  
 bitrio committere.

§. LXXI.

*Nicolai Drabizii Moravi Prædican-  
 tis deliria.*

Hoc item anno fanaticæ Nicolai Dra-  
 bicii visiones, & vaticinia lucu-  
 lentius apricari cæperant. Erat is  
 Straszviziæ in Moravia natus, rudesque,  
 rudior docere, quod vix ipse didicerat  
 nitebatur, jam decimo sexto ætatis  
 anno Prædicantis munere functus: duo-  
 decimo autem post anno ex Moravia  
 Ferdinandi Cæsaris jussu ejectus, in  
 Hungariam contendit, ubi in Ragotsii  
 Transylvaniae Principis ditione ali-  
 quam

*Jæger. Hist.  
 Eccl. 1. 8.*

*cap. 9.  
 Arnold. Hist.*

*Hæret. t. 2.  
 p. 3. c. 24.*

*fol. 242.  
 Witsius misc.*

*Sacr. 1. 1.  
 tom. 1. c. 24.  
 §. 30.*



Sæc. XVII. quamdiu versatus, abjecta Prædicantis  
A. C. 1638. toga pannorum negotiationi sese dedit:  
 tum vero vitam suam intemperantissimis perpotationibus addicens, in Polono quodam Lutheranorum Præconum conciliabulo intentata anathematis pœna plectebatur: Igitur a Prædicationis munere amotus, ut sibi famam, uxori vero liberisque suis victum compararet, cum mendaciis, confictisque revelationibus, umbris & somniis nundinari statuit. His igitur artibus scelestus hic impostor hoc anno initium fecit, mentitus, sibi in extasin raptò exercitus a Septentrione & ortu evocatos fuisse exhibitos, Deumque sibi revelasse, quod has copias ad opprimendos Lutheranorum hostes adducturus esset: Ut vero suis mendaciis auctoritatem conciliaret, hujus vaticinii intellectum sibi per integros quinque annos fuisse absconditum, ac non nisi post assiduas preces tandem a Deo intellexisse fingebat, quod ipse per Spiritus Sancti virtutem a Deo in instrumentum, per quod in postremis hujus sæculi diebus cuilibet Dei voluntas manifestaretur, selectus fuerit, eapropter ipse vitam suam emendaret, sacrasque literas, quarum lectionem hucusque neglexisset, assidue pervolveret: quo facto se a Deo crebris revelationibus fuisse honoratum,

atque



atque in eis dira quæque Domui Au- Sæc. XVII.  
 striacæ prædicta, eamque, eoquod Pro- A. C. 1638.  
 testantes infectata esset, penitus ex-  
 asiam, Friderici vero Palatini familiam  
 restitutum iri, jamque finale decretum  
 de Papa (quem Lutheranus Drabizii  
 Deus *Antichristum* vocare haud obli-  
 scabatur) evertendo, atque Ecclesia re-  
 formanda executioni dandum commi-  
 nificebatur: Præterea Ragotsium, ne ar-  
 ma cum illis, quos Deus contra Do-  
 mum Austriacam emisisset, jungere di-  
 tus differret, non modo datis literis  
 hortatus est, sed insuper ex ficto Dei  
 mandato eundem in Moraviam contra  
 Cæsareos tendentem duris verbis ob-  
 iurgavit, eidem exponens, ipsum di-  
 vinitus esse electum in Hungariæ Re-  
 gem, ea conditione, ut Austriacæ, &  
 Papali dominationi finem imponeret,  
 Deum vero ipsi semper adfuturum, mala  
 contra inducturum, deque domo ejus  
 excisurum etiam mingentem ad parie-  
 tem, si viperinam illam progeniem in-  
 sequi renuerit: Ragotsium vero, quia  
 divinum hoc consilium sequi noluerit,  
 mortuum fuisse, ejus tamen Filio Si-  
 gismundo hoc diadema esse reservatum,  
 mentiebatur impudens hic Somniator:  
 nec his contentus, insuper fingebat, no-  
 vum quoque Sueciæ Regem, eoquod  
 sectæ hostes insequi neglexisset, fuisse  
 Hist. Eccles. Tom. LX, Q inter-



Sæc. XVII. A. C. 1638. interfectum, se vero a Deo esse iustum, ut potentiores Principes, scilicet Turcarum Imperatorem & Orientales gentes ad eradicandam idololatriam (ita nempe fidem Catholicam divina profusus moderatione vocabat) evocaret, eo quod Deus adhucdum in proposito pendendi *bestiam* (scilicet, Pontificem Romanum) perstaret, initiumque in Hungaria facturus esset.

Non minus blasphema ac sacrilega erat temeritas, qua anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio die vigesima tertia Januarii se exulum Præconum partim Hungarorum partim Polonorum comitia haberi, in somniis vidisse, Deumque sibi hæc dixisse commentus est: „Tempus meum „jam advenit, ego meam, vestramque „causam vindicabo, reducam vos in „patriam vestram, prout vobis prædixi; ab ortu enim & meridie vocavi „illos, qui injuriam meis Ministris illaque Fratres, Servos meos, quos in „somnia vidisti, adhortor, ut & ipsi „clament, & non taceant; impleta sunt „enim Pharaonis peccata: ast clametis, „sicut Ægyptii in cinere & cilicio: „dicite jejunium, illudque fidelius, non „ad speciem, sicut Prædecessores vestri, servate; non enim absconditum est oculis „meis,



iustum, qualiter vos elapsis temporibus Sæc. XVII.  
 et Tur. jejunaveritis . . . Equidem ante du- A. C. 1638.  
 ces gen- centos annos sonitus tubæ meæ info-  
 m (ita- nuit, lucisque meæ splendor quos-  
 a pro- dam homines in aliquibus terræ an-  
 ret, eo- gulis illustravit, qui Sectatores suos  
 cito per- habuere, quibus cognita est voluntas  
 em Ro- mea, sed quid profuit, cum adhuc  
 in Hun- belia babylonica, ejusque sequaces  
 acrillega veneno suarum adinventionum, &  
 sti mil- idololatricis doctrinis suis omnia infi-  
 no ter- ciant & commaculent? ast non am-  
 e exu- plius feram, ut rationalis creatura mea  
 arorum adeo irrationabiliter tractetur, sed so-  
 eri, in- nus verbi mei, veraque Evangelii do-  
 hæc di- ctrina per Viros, quos mihi jam elegi,  
 neum in omnem terram exhibit . . . O Re-  
 ramque ges terræ, revertimini ad scepra ve-  
 vos in- tra, regnate absque dominatu super  
 is præ- arrogantem spiritualem potentiam,  
 vocavi- quæ non Sacra, sed profana vobis,  
 ris illa- quos tamen legitime institui, domi-  
 tuos- natur, vosque spoliat; quippe falsi hi  
 quos in Ecclesiastici a capite vestro abstule-  
 & ipsi runt vestrum honorem, quem tamen  
 eta sunt eis nec dedi, nec eo in terris unquam  
 ametis, usus sum . . . accendite ergo lucem  
 cio: pu- meæ doctrinæ, Evangelii, ac legis  
 us, non meæ: jamjam infudi calicem meum,  
 tri, fer- ut iræ meæ fæces bibant illi, qui in-  
 st oculis noxium sanguinem filiorum Abel Ser-  
 „meis, vi mei, qui simplicitatem & veritatem  
 Q 2 „di-



Sæc. XVII. „dilexit, biberunt . . . Revertimini  
 A. C. 1638. „ad me, Populi terræ; prope enim  
 „est, ut omnia impleantur, quæ meum,  
 „aliorumque os locutum est, colligam  
 „in agro meo Zizania &c. id hucusque  
 „præpedierunt seductores illi, qui sine  
 „me dominati sunt gregibus, quorum  
 „vox non erat vox jubilans in Sion, sed  
 „vox foetidi tonitruï, quo iusserunt oves  
 „&c. ast non ultra audiam balatus ido-  
 „lolatricæ & falsæ Religionis: periere  
 „enim illæ oves meæ, quia sine me  
 „æternæ magnitudinis Pastore erant:  
 „quocirca, maledicti homicidæ veri ac  
 „fidelis gregis mei! necesse est, ut tru-  
 „cidemini, & eradicemini de terra. . .  
 „Unde dissensiones inter Saxoniz &  
 „Palatini Electores, & Sueciæ ac Da-  
 „niæ Reges ortum habuere, nisi ex  
 „invidia, quam vos Prædicantes exci-  
 „tastis, & auxistis? &c. Non sine  
 „stomacho & horrore cetera nefarii hu-  
 „jus Impostoris deliria percipi possunt;  
 „& quamvis pauca hæc ex fanatici hu-  
 „jus commentis adduxisse, Ecclesiæ ni-  
 „hil omnino intersit, plurimum tamen  
 „interest, hoc exemplo rursus erudiri,  
 „quanta audacia ejusmodi Prædicantes  
 „cum ipso Deo, ejusque Verbo in sectæ  
 „sux patrociniū ludere, horrendoque  
 „Sacræ Scripturæ abusu, Divinique No-  
 „minis profanatione populum ad sedi-  
 „tiones



tionem contra Cæsarem, Augustissimam Sæc. XVII.  
 Domum Austriacam, ceterosque Prin- A.C. 1638.  
 cipes Catholicos concitare, & blas-  
 phemis, sacrilegisque dolis, falsisque  
 ratiociniis auctoritatem suæ sectæ con-  
 ciliare, atque in fraudis suæ fulcimen-  
 tum ipsum Deum evocare præsum-  
 mant, quin tamen unquam inter eos  
 desinat, qui ejusmodi Impostores tan-  
 quam veros Dei Ministros commendent,  
 ac protegant, sicut & non modo Co-  
 menius, Arnoldus, & anonymus qui-  
 dam in suo tractatu *de modernis Prophe-*  
*tiis*, alique non pauci, Drabizii deliria  
 approbarunt, sed etiam impudentissi-  
 mum hunc hominem postea unanimi  
 Ecclesiastici, ut vocant, Ministerii con-  
 sensu Ecclesiæ suæ restituerunt.

Æquius vero Leopoldus Imperator  
 tam enormiter læsum Dei honorem pro-  
 merito Drabizii supplicio die decima  
 septima Julii anno hujus sæculi septua-  
 gesimo primo vindicabat; cum enim hic  
 eodem anno Possonii in Hungaria captus  
 esset, pronuntiata in eum sententia per  
 carnificem amputata primum dextera,  
 eruta postmodum lingua, demum ca-  
 pite plexus unacum sacrilego revela-  
 tionum suorum libro, qui *lux in tenebris*  
 inscriptus ab eo Amstellodami typis vul-  
 gatus est, sub patibulo flammis tra-  
 debatur.

Q 3

Hujus



Sæc. XVII

A C 1638

Hujus vero sententiæ summa hæc  
erat: „Notum sit omnibus, quod Ne-  
„colaus Drabicius conculcatis omnibus  
„Divinis, humanisque legibus malitio-  
„sa, ac pessima intentione se a Deo in-  
„Prophetam fuisse vocatum jactarit, ac  
„propterea non modo privatos, Nobi-  
„les, sed ipsum etiam Cæsarem, Hun-  
„gariæ & Hispaniæ Reges, ac S. R. I.  
„Electores, sacrilego ore ludificari, at-  
„que Augustissimum Domum Austria-  
„cam convitiari præsumpserit. Inso-  
„per etiam Cæsarem velut Pharaonem  
„perfidum tyrannum, rebellem, &  
„sanguisugam depingere, eumque non  
„ex Divina dispositione ac voluntate,  
„sed indigne electum ac coronatum  
„fuisse, proin pro mortua bestia haben-  
„dum, necnon Augustissimam Domum  
„Austriacam nonnisi Achabi Domum,  
„Domum maledictam, perfidam, ty-  
„rannicam, & venenatam progeniem,  
„appellitare ausus sit: & quod pejus  
„est, in ipsum Deum, a quo se scelera-  
„tissima hæc consilia percepisse mentie-  
„batur, sacrilegum os ponere, hacque  
„ratione Deum tot criminum, & sacri-  
„legiorum Authorem facere, idque non  
„modo verbis divulgare, sed etiam ju-  
„bente Rege Regum (ut agebat) &  
„concedentibus, ac permittentibus Re-  
„gibus profanis rursus typis edere præ-  
„sum-



na hæc  
 uod Ne  
 omibus  
 malitio-  
 Deo in  
 carit, ac  
 Nobi  
 Hun-  
 S. R. J.  
 cari, at-  
 Austria-  
 Inso-  
 rationem,  
 m, &  
 ue non  
 untate,  
 onatum  
 i habent  
 Domum  
 omum,  
 m, ty-  
 gentem,  
 i pejus  
 scelera-  
 mentie-  
 acque  
 & sacri-  
 que non  
 iam ju-  
 rat) &  
 bus Re-  
 re præ-  
 „sum-

amperit, nilque intentatum inaufum-  
 que reliquerit, ut sacrilega & hor-  
 enda sua commenta omnibus gentibus  
 & populis, qui sub cælo sunt, mani-  
 fecta fierent, hancque ob rem ea Am-  
 sterdami typis edi, & per Angliam,  
 Hollandiam, Franciam, Hungariam,  
 Poloniam, Transylvaniam, & Otto-  
 manicum Imperium divulgari jusserit.  
 Quoniam vero Drabizius hisce scelera-  
 tissimis ausibus non sine scandalo, ac  
 plurimum Christianorum periculo, vili-  
 pensata Christiana Religione & seposita  
 fidelitate Cæsari, ac Hungariæ Regi  
 debita plurimos ad defectionem, re-  
 bellionem, ac seditionem concitavit,  
 idque sibi a Christo Domino inspiratum  
 fuisse, sacrilego ore coram ipso tribu-  
 mali Cæsareo non modo effutire, sed  
 insuper in hujus confirmationem te-  
 merarie animam & vitam oppignorare  
 ausus est, atque ad intestinas exter-  
 que conspirationes contra Cæsarem,  
 & Hungariæ Regem, necnon in to-  
 tius Christianæ Reipublicæ damnum  
 & periculum, totalemque boni publici,  
 & Christianæ fidei ruinam juratos Uni-  
 versæ Christianitatis hostes, Turcas,  
 Tartaros & Judæos, omnesque sedi-  
 tiosos tanquam rebellis nefarius con-  
 tra Cæsaream Majestatem excitavit,  
 ac præterea ipsam Divinam Majesta-

Q 4

„tem

Sæc. XVII.  
 A. C. 1628.



Sæc. XVII. „tem sacrilego ore allatavit, asserendo,  
 A. C. 1638. „quod Deus omnium suorum convitio-  
 „rum, ac nefariorum criminum Author  
 „existit: hinc Divinæ Cæsareæque  
 „Majestatis læsæ reus &c. (\*)

## §. LXXII.

*Cyrilli Lucaris Patriarchæ Constan-  
 tinopolitani supplicium, necnon  
 Synodus contra ejus errores  
 celebrata.*

Dupin. Hist. d' Eccl. t. 4. Frequens jamjam occurrebat mentio  
 de Cyrilli Lucaris olim Patriarchæ  
 Constantinopolitani fati, ejusque apo-  
 stasia: nunc vero postremam, quam in  
 magno Orbis Orientalis teatro tenuit,  
 scenam proferre superest. Hic igitur  
 fanaticus Patriarcha Græco-Calvinia-  
 nus, postquam anno hujus sæculi vi-  
 gesimo primo die quinta Novembris  
 quorundam suffragio Patriarcha fuerat  
 electus, sequenti anno tanquam læsæ  
 Maje-

(\*) Stupenda est Godefridi Arnoldi Perle-  
 bergensis Prædicantis Lutherani temeritas,  
 qua in sua Hæresum Historia Vol. 2. part. 3.  
 c. 24. n. 8. hanc crisin æquissimæ huic senten-  
 tiæ addere præsumpsit: Ob dieser Schluß aber  
 nicht wider alle Bothen Gottes, die zu allen Zei-  
 ten von der Welt übel belohnet worden, geht,  
 mag man selbst ermessen.



Majestatis reus Vezirii jussu captus, fo- Sæc. XVII.  
 lioque suo deturbatus, Rhodum dela- A. C. 1638.  
 tus est, Gregorio Amasiano Episcopo  
 Catholico, ac postea Anthimo Hadria-  
 nopolitano Antistite in ejus locum sub-  
 rogatis. Verum Rowæi Anglici Ora-  
 toris patrocinio suffultus Cyrillus, eo-  
 dem adhuc anno rursus Sedi suæ resti-  
 tutus est, a qua tamen postmodum se-  
 ries adhuc dum ejectus, toties quoque  
 hanc dignitatem pecuniis recuperavit.  
 Demum Amurathe bellicæ expeditioni  
 contra Persas intento, Cyrillus ab Bai-  
 rano Bassa accusatus, quod Cosaccos  
 ad diripendam Azekam urbem instigaf-  
 set, ab Urbis Constantinopolitanæ Præ-  
 fecto in carcerem conjectus est, ad  
 fauces Bosphori (a) abstractus, ubi die (a) *Castrum*  
 vigesima septima Junii hoc anno non *septem Tur-*  
 pro Christi nomine, sed ob insatiabilem *rum.*  
 ambitionem strangulatus, corpore ex  
 alta turri in mare præcipitato periit.  
 Hunc Pseudo-Patriarcham, infernique  
 Athletam Calvinistæ tanquam sanctum  
 & Martyrem venerantur, ejusque cor-  
 pus ad littus projectum honorifica se-  
 pultura coluerunt, mox tamen Turcici  
 Gubernatoris jussu tumulo extractum  
 & denuo in mare projectum, iterumque  
 ex aquis receptum clam in quadam In-  
 sula ejus Amici terræ mandarunt.  
 Successerat simoniaco huic Patriarchæ  
 Q 5 alter



Sæc. XVII. alter Cyrillus Contarius Berrhoensis Episcopus, capitalis quidem Cyrilli hostis, A. C. 1628 eadem tamen Simonix labe infectus.

Hic Constantinopoli eodem hoc anno convocatis Alexandrino & Jerosolymitano Patriarchis, aliisque viginti tribus Episcopis Synodum celebrabat, in qua Cyrillum Lucarem, necnon confessionis suæ articulos damnabat. Hujus Synodi decreta primum Lauretiano sequenti in Vindiciis Sylvestri a Petra sancta, postmodum a Nihusio cum ipsa Cyrilli Confessione Græce & Latine juxta exemplar Græcum, quod a Leone Allatio acceperat, edita fuere: Præcipua autem, quæ hæc Synodus in Cyrilli Confessione damnaverit, erant sequentia I. quod Ecclesiam errare posse, affirmarit II. absolutam prædestinationem statuerit, nullamque ex operibus salutem sperandam dixerit. III. Christum unicum Mediatorem esse docens, tacite Sanctorum intercessionem rejecerit. IV. Homini bene agendi libertatem denegarit. V. Duo tantum Sacramenta agnoverit. VI. Panem & Vinum in Corpus & Sanguinem in Eucharistia transubstantiari negarit. VII. Fidelibus pie defunctis eleemosynas & Ecclesix preces nihil prodesse docuerit. VIII. Imaginum Sacrarum venerationem aspernatus fuerit. Hujus Synodi decre-



decretum præfatus Leo Allatius integrum in sua perpetua, ut vocat, *Ecclesia Orientalis, & Occidentalis consensione* edidit, indeque Ecclesiam Græcam a Lutheri & Calvini erroribus semper discrepasse, cum Catholico-Romana autem etiam post schisma potissimam partem consentire ostendit. Ceterum probe observandum venit, quod hæc Synodus Constantinopolitana Cyrillo Lucari nominatim anathema dixerit, quod iudicium tamen Synodus Jerosolymitana anno hujus sæculi septuagesimo secundo contra eundem habita approbavit quidem, ea tamen conditione limitatum, *si hæreticus Calvinista re ipsa fuerit, neque respuerit.*

## §. LXXIII.

*Continuati Puritanorum tumultus in Scotia.*

Postquam Puritani, ceterique Regem ejusque Regimen exosi adversus novam Liturgiam, aliorumque rituum innovationes, initam inter se conventionem promulgare ausi fuerant, aucta per ipsam Regis indulgentiam rebellionem, cuncta fidelitatis sacramenta, quæ legitimo Regi suo præstiterant, proprio arbitrio, die prima Martii ejurarunt, in perfidiæ suæ excusationem obtendentes,

Pufendorf.

Hist. Gen.

t. 4. p. 78.

Salmon Hist.

d' Angl. t. 1.

pag. 208.

Rapin Thoir.

Hist. d' Angl.

lib. 19.



Sæc. XVII. A. C. 1638. tes, quod inconsulta Ecclesia, ac generali Synodo regimen Episcopale a Jacobo I. Rege fuisset inuestum, atque Episcoporum suffragiis Rex in Senatu cuncta ad suum arbitrium disposuisset, necnon in Glascuana Synodo anno hujus sæculi decimo habita corruptis suffragantium animis Generalia comitia, subrogato supremo tribunali seu *Regia Commissione* Regni libertatibus aduersa, abrogarit, & insuper inconsulto, imo & invito universo ferme Regno, & Ecclesia, Senatu & populo non minus violenter, quam subdole Ecclesiæ Regimen penitus immutarit. atque auctoritate contra subditorum privilegia, sibi arrogata eis Liturgiam, & detestandos Canones obruderit. Quocirca a Rege petebant, ut abrogatis omnibus hisce innovationibus Religionem pristinae puritati restitueret. Postmodum conventionem nuper initam, ac juramento firmatam velut legitimam venditare nitebantur, asserentes, quod insuperhabitis eorum precibus, violatisque populi privilegiis ad eam fuissent coacti, cum tamen in Scotia utpote Regno Monarchico, Regum jura a populi juribus haud separari possent, proinde ita Regi obedire tenerentur, ut tamen vicissim Rex populi libertates factas servare obstringeretur: denique hac sua con-



conventionem Regem nequaquam suis Sæc. XVII.  
 juribus exuere, sed duntaxat prohibere A. C. 1638.  
 intenderent, ne sua jura latius; quam  
 legibus concessum extenderet: Ad tan-  
 tam verborum petulantiam exuto semel  
 sacramento, subditos contra Regem  
 suum incitabat fanaticus sectæ furor,  
 & factiosæ multitudinis potentia; de-  
 ficientibus enim a Rege potissimis Pu-  
 ritanis indies magno numero novi ac-  
 cesserant conjurati, conciliante præser-  
 tim societates, mentium & inquietu-  
 dinis similitudine.

Nihilominus Carolus Rex seditiosos  
 adhuc æquitatis rationumque pondere  
 ad obsequium revocare nitebatur, eis-  
 dem exponens, quod sub falso violati  
 juris obtentu sese rebellionis reos effi-  
 cerent, ac conventioni suæ Regni juri-  
 bus adversæ subscribendo, auctoritatem  
 nullis legibus concessam, imo potius  
 contrariam sibi arrogarent, nec de pes-  
 sumdatis populi legibus querendi an-  
 sam haberent, cum nequaquam de do-  
 ctrina, sed duntaxat Ecclesiæ disciplina  
 ageretur, Episcopatus autem in Scotiæ  
 Ecclesia a tempore omnem memoriam  
 excedente stabilitus, & nonnisi intro-  
 ducta Lutheri reformatione labefacta-  
 tus fuerit, e contrario autem Presby-  
 terorum Regimen duntaxat Generalium  
 comitiarum, quorum sine Senatus as-  
 sensu



Sæc. XVII. fensu nulla vis esset, auctoritate inva-  
A. C. 1638. luerit: ab anno autem millesimo quin-  
gentesimo sexagesimo primo usque ad  
annum nonagesimum secundum nun-  
quam ejusmodi comitia a Senatu fue-  
runt approbata, & si postmodum ap-  
probata fuissent, Senatus utpote uni-  
versam repræsentans Nationem priora  
Senatus decreta irritare potuerit: „si  
„autem, addebat Rex, juxta Puritanos,  
„Senatus anno præfato Episcopatum  
„abrogare, jure potuit, cur eidem Se-  
„natui anno Christi millesimo sexcen-  
„tesimo duodecimo Presbyterianum Re-  
„gimen abolendi jus denegatur? Sive  
„ro comitiis generalibus absolutam in  
„Religionis negotia auctoritatem ven-  
„dicant, hæc ipsa auctoritas vel est ei  
„naturalis, vel recens acquisita? non  
„primum; nam ante reformationem  
„ejusmodi comitia ex solis Prædican-  
„tibus, exclusis Episcopis conflata igno-  
„rabantur, si vero fuit recens acquisita,  
„ergo illam hæc comitia primum a Na-  
„tione, id est a Rege & Senatu acqui-  
„vere, proin Senatui subjecta sunt, præ-  
„cipue, cum nullum exstet decretum  
„irrevocabile, quo unquam tam ampla  
„auctoritas hisce comitiis a Senatu fuisset  
„attributa. Immerito etiam Puri-  
„tani quererentur de nova Liturgia, per-  
„inde acsi per eam sensim ad Papismum  
„indu-



inducerentur, cum illa ab Episcopis, Sæc. XVII.  
 qui pro tuenda Protestantium Reli- A. C. 1638.  
 gione martyrium subiere, fuisset con-  
 cinnata, & ipsemet Jacobus Rex illam  
 in Scotiæ Regnum invehere, jamjam  
 optasset, utpote ad populi proventum,  
 & decentiorem Dei cultum peroppor-  
 tunam, & destructivam illius corru-  
 ptelæ, qua antea ex Prædicantibus  
 quilibet pro suo arbitrio precatiuncu-  
 las non sine crebris absurditatibus con-  
 sarcinarit „

Flocci habebantur hæ Regis ratio-  
 nes, quocirca Hamiltonum Marchio-  
 nem natione Scotum, die trigesima  
 Maij in Scotiam eo fine ablegabat,  
 ut populum ad Regis obsequium redu-  
 ceret. Hunc vero Puritani non modo  
 remissius exceperunt, sed insuper navim  
 armis onustam, quam Rex pro mu-  
 nienda Edinensi arce in Scotiam trans-  
 miserat, intercipere parabant; a Regiis  
 tamen præpediti, arcis fores, ne ar-  
 ma inferri possent, obsederunt, seque  
 armis, quæ duobus navigiis advecta  
 erant, munierunt. Hanc tamen inju-  
 riam Hamiltonus adhuc dissimulandam  
 ratus, convocatis Puritanis die octava  
 Julii hæc proposuit I. in Regis obse-  
 quium redirent II. suæ conventioni nun-  
 tium mitterent. III. Et qua ratione sibi a  
 Rege satisfieri vellent, indicarent: ad  
 hæc



Sæc. XVII. hæc illi reponerent, se nunquam a Re-  
 A. C. 1638. gis obsequio defecisse, suæ autem con-  
 ventioni, non minus firmiter, quam  
 suo Baptismo institutos, ac denique  
 generalia se petere comitia. Percepta  
 hac responsione Marchio, ut seditiosos  
 proposita Regis indulgentia placaret,  
 Regium diploma in foro promulgari  
 iussit, quo Carolus Rex pollicebatur,  
 quod Protestantium sectam semper tueri  
 velit, dummodo Scoti in Regis obse-  
 „quium redirent, & Liturgiam recipere-  
 „rent, quam tamen sicut & Canones  
 „non alia ratione, quam *legibus consona*  
 „& ab omnibus Religionis, legumque  
 „Regni innovationibus experte obler-  
 „vari velit, ac propterea cuncta Sena-  
 „tus decreta hac de re, necnon circa  
 „supremam commissionem facta irritet,  
 „cunctaque *ex Senatus sui consilio* dispo-  
 „nere, nil legibus adversum admittere,  
 „sed ad firmandam Religionem in hunc  
 „usque diem adoptatam, & ad stabi-  
 „liendum Ecclesiæ Regimen proxime  
 „Parlamentum vel generalem Synodum  
 „indicere decreverit., Vix hoc diplo-  
 „ma in Edinensi foro fuerat promulga-  
 „tum, cum illico conjurati in eodem foro  
 „declarationem, responsi loco, affige-  
 „rent, cujus summa hæc est: „Unico  
 „hoc diplomate ad nutum revocabili  
 „haud satis securitati nostræ cautum est:  
 „sine



sine ambagibus comitia generalia & Parliamentum, quin tamen Rex illud convocet, petimus, simulque reclamamus, quod Rex querelas nostras nonnisi frivolos timores, nos vero rebelles appellitet, Episcopis contrario innovationes in usum deducendi libertatem relinquat, ac *per rationem legibus consonam* nonnisi novas hasce leges, dissidiorum fomites intelligat, nec supremam Commissionem abolere, sed duntaxat eam *juxta Senatus sui consilium* instituere pollicitus sit, proin nova tribunalia Ecclesiastica sine Parliamenti & Synodorum approbatione erigendi jus sibi, suoque Senatui arroget. Nihilominus Rex Hamiltono, qui Sectariis favere credebatur, revocato, ipsemet in Scotiam die decima nona Augusti contendit, spe fretus, sua praesentia rebelles facilius in obsequium reverfuros: ast hi ab eo temporis articulo Liturgiæ & Canonum abrogationi importunius insistebant.

## §. LXXIV.

*Glascuana Synodus a Puritanis habita.*

Comperta rebellium pervicacia Spots-Rusworth  
 wodus Archiepiscopus, Episcopo-Vol. II.  
*Hist. Eccles. Tom. LX.* R rum-



Sæc. XVII. rumque potissimi e Scotia in Angliam  
 A. C. 1638. aufugerunt, ipse quoque Hamiltonus  
 Regem de legationis suæ successu certio-  
 tiorem redditurus, Londinum contendi-  
 dit, inde vero Regia Parlamentum,  
 & Synodum seu comitia celebrandi fa-  
 cultate instructus, vindicata innocen-  
 tia sua die secunda Octobris Edinum  
 reversus est. Præprimis vero a Puri-  
 tanis sciscitabatur, quosnam ad hæc  
 comitia advocare intenderent, & quod-  
 nam argumentum ibidem agitari e-  
 sent? Verum Puritani ejusmodi amba-  
 gibus restringi, iniquo ferentes animo  
 declarabant, quod si Rex *generalia* con-  
 vocare comitia recusaret, ipsimet ea  
 convocare possent. Nihilominus Ha-  
 miltonus eis binas hæc præscripsit  
 condiciones I. ut nullus laicus, nec al-  
 ius quisunque præter cujuslibet Pres-  
 byterii Ministros in eligendis Ministris  
 ad comitia deputandis jure suffragii  
 gaudeat. II. Comitia nihil nisi per  
 viam consultationis circa Parlamenti  
 decreta decidant. Verum displicere  
 feditiosis hæc conditiones; haud enim  
 permittere voluere, ut in negotiis Re-  
 ligionem spectantibus Prædicantes po-  
 tissimas haberent partes, eoquod Rex  
 illos partim metu, partim promissis &  
 beneficiis ad suas partes facile pertra-  
 here possent, uti in nupera Synodo  
 Gla-



Glascuana factum dictitabant: Insuper **Sæc. XVII.**  
 postulabant, ut Deputati non solum a **A. C. 1638.**  
 Ministris, sed etiam a Senioribus lai-  
 cis, quos ipsis Ministris majore nume-  
 ro interesse voluerunt, eligerentur: Ea-  
 propter Puritani invito Rege Laicos  
 Seniores, & Ministros sibi addictos ad  
 Synodum deputarunt, unde factum,  
 ut ipsi illis, qui e Regis parte erant,  
 longe prævalerent, cunctaque in futu-  
 ris comitiis ad sua vota dirigerent, Rex  
 vero eorum ausibus resistendo impar  
 esset. Præterea die tertia Novembris  
 Puritani Scotiæ Episcopis in Angliam  
 super profugis denuntiabant, ut in Cleri-  
 comitiis tanquam criminum rei sese si-  
 berent. Interim Hamiltonus Regis  
 nomine decretum promulgari jussit, in  
 quo declarabat, quod Rex Liturgiam,  
 Canonum librum, supremam Commis-  
 sionem & quinque Pertenses articulos  
 revocet, ac deinceps Episcopi genera-  
 lium Synodorum judicio subjaceant,  
 omnes tamen Scotiæ subditi fidei con-  
 fessionem anno Christi millesimo quin-  
 gentesimo octogesimo editam unacum  
 annexo juramento, suo chirographo  
 firmarent. Facta hac promulgatione  
 ad diem vigesimam primam Novem-  
 bris Synodum seu comitia generalia  
 hoc anno, & sequenti anno Parleme-  
 ntum Edini die decima quinta Maij ce-  
 lebran-

R 2



Sæc. XVII. lebrandum indixit. Quamvis igitur  
A. C. 1638. Rex omnibus rebellium postulatis annuisset, hi tamen ex ipsa hac indulgentia petulantiores effecti, contra hoc decretum palam reclamabant, caussati, quod vi juramenti a Rege annexi Religionem, non anno millesimo quingentesimo octogesimo receptam sed recent præscriptam, proin innovationes post præfatum annum introductas profiteri juberentur.

Nihilominus præstituta die Synodo datur initium; confluunt maximo numero illi, qui Regiæ parti adversabantur: pertractantur quoque illa capita, quæ jam antea a rebellibus ad eorum vota fuere decisa: Cum ergo Hamiltonus probe cognosceret, quod hi factiosi Regem ludere, cunctaque ab eo decreta, prout ipsis libuerit, prævalentibus eorum suffragiis nulla & irrita declarare intenderent, hinc in Sessione prima Episcoporum nomine *Derivatorias*, ut vocant, literas, quibus hæc comitia omnino nulla essent, palam recitari jussit. Id facere renuunt Puritani, eoquod Moderatore nondum electo nec Synodus inchoata censeretur: Reclamat Hamiltonus, suamque obtestationem ad acta referri petit: insuperhabita tamen ejus repugnantia eligitur in Synodi Moderatorem ex Prædicantibus



igitur  
 atis an  
 dulgen  
 hoc de  
 caufati  
 exi Re  
 uingent  
 d recent  
 nes post  
 orofitei  
 Synodo  
 no nu  
 rlabari  
 capita  
 eorum  
 Hamil  
 i hi fa  
 e ab eo  
 prava  
 & irrita  
 Sessio  
 declinat  
 us hæc  
 lam re  
 Purit  
 dum e  
 feretur  
 ne obte  
 in super  
 eligitur  
 edicant  
 tibus

ibus Scotis Henderfonus; rursus Ha-  
 miltonus hujus electioni obsistens, pa-  
 lam declarat, quod hæc electio nec  
 Regis prærogativæ, nec ullis legibus  
 aut consuetudinibus derogare posset:  
 facta hac contestatione rursus declina-  
 torias Episcoporum literas prælegi po-  
 stulat: quoniam vero in illis validæ  
 continerentur rationes, quibus Depu-  
 tatorum electiones fuisse nullas, lucu-  
 lenter demonstrabatur, hinc Puritani  
 has literas prælegi denuo recusarunt,  
 quas tandem nonnisi post quintam Ha-  
 miltoni obtestationem, cunctasque De-  
 putatorum electiones a seipsis approba-  
 tas, sexta celebratæ Synodi die, quæ  
 erat vigesima septima Novembris, re-  
 citari promiserunt, illas tamen unani-  
 mi voce reprobarunt. Cum ergo hi  
 seditiosi Episcopos dijudicandi jus sibi  
 arrogarent, hinc Hamiltonus Regis no-  
 mine & auctoritate Synodum velut il-  
 legitimam dissolvit, & quidem I. eo-  
 quod Laicis jus suffragii concessissent,  
 II. Deputatos Præcones a Laicis eligi  
 permisissent. III. Deputatos Regiis par-  
 tibus addictos frivolis de causis reje-  
 cissent, ex Clericis autem potissimi, ex  
 quibus Synodus constat, Regiam au-  
 thoritatem contempsissent, & denique  
 IV. quia Episcopos non modo in jus vo-  
 cassent, sed illos etiam ab ejusmodi

Sæc. XVII.  
 A. C. 1638.

*Salmon hist.  
 d' Angl. t. 1.  
 pag. 210.  
 Jæger. Hist.  
 Eccl. lib. 10.  
 cap. 6.*

R 3                      Judi-



Sæc. XVII. Judicibus, qui se juratos illorum hostes  
A. C. 1638. declararunt, judicari petiissent. Atta-  
 men Prædicantes ipsis Proceribus &  
 populorum Legatis audaciores, cum  
 Episcopatum penitus eradicare, firmum  
 fixumque haberent, insuper habito Re-  
 gis sui interdicto Synodum profecti  
 sunt, palam declarantes, quod nemo,  
 cujuscunque dignitatis esset, Synodum  
 interrumpere posset, quin Christi Do-  
 mini voluntatem, & Ecclesiæ liberta-  
 tes violet. Demum vero in sua teme-  
 ritate eo prolapsi sunt, ut *supremi capi-*  
*tis* auctoritatem, quam tamen Rex sibi  
 soli ab Henrici VIII. schismate vendi-  
 cabat, in Religionis negotio usurparent,  
 proprioque nutu acta in Parliamentis  
 stabilita irritare præsumerent: postquam  
 enim Rex hanc Synodum dissolvi præ-  
 ceperat, ipsi non modo contra hanc  
 dissolutionem reclamationem, sed etiam  
 sex Synodos ab anno hujus sæculi de-  
 cimo, usque ad annum decimum octa-  
 vum, celebratas, necnon juramenta a  
 Præsulibus præscripta, & subscriptio-  
 nes Confessionis fidei per Regem, ejus-  
 que Senatum propositæ nullas & irri-  
 tas declararunt. Insuper Liturgiam,  
 Canonum Codicem, supremam Com-  
 missionem, seu tribunal Ecclesiasticum  
 a Rege erectum, necnon quatuordecim  
 Episcopos, Capitula, Archidiaconos &



& Diaconos Prædicantes condemna- Sæc. XVII.  
 runt, atque anathemati subjecerunt. A. C. 1648.  
 Econtra vero Presbyteros, Synodos  
 Provinciales, Ministros, & Seniores  
 suæ restituerunt jurisdictioni, exclusis  
 illis, qui conventioni non subscripserunt,  
 vel Regiæ parti adhæsere, quos no-  
 minatim a suis amoverunt officiis. Quo-  
 niam vero fidei confessioni anno supra  
 millesimum quingentesimo octogesimo  
 unacum juramento, quod Rex anne-  
 xuit, jam antea subscripsissent, ut omni  
 modo Regis voluntati oblisterent, de-  
 clararunt, quod hæc ipsa confessio *vir-*  
*tualiter* Episcopalis Regiminis abolitio-  
 nem contineat; quamvis ne ullo qui-  
 dem verbo Episcopatus mentio in illa  
 fuisset facta: præceperunt insuper, ut  
 omnes conventioni unacum hac decla-  
 ratione subscriberent, nullus vero con-  
 tra hanc conventionem, vel Synodum  
 calamo aut lingua insurgeret, vel hu-  
 jus Synodi acta sine Secretarii licentia  
 typis ederet. Verum adversus ridicu-  
 lam hanc declarationem Hamiltonus  
 Regis nomine, alia mox promulgata  
 declaratione, demonstrabat, quod an-  
 no millesimo quingentesimo octogesimo  
 Episcopatus viguerit, proin hujus anni  
 Confessionem adoptantes, Episcopatum  
 abjurasse, haud censendi essent: hanc  
 tamen Regiam declarationem Puritani  
 R 4 Præ-



**Sæc. XVII.** Præcones rursus refellere nitebantur, ac denique malitia prorsus execranda ad honestandam suam rebellionem, conciliandamque suo fanatismo auctoritatem Divini Nominis honorem profanare non dubitarunt; quippe Edini scelestam quamdam sollicitarunt mulierculam, quæ se frequens cum Deo Patre commercium habere mentita, in vulgus spargeret, quod Deus Puritanorum causam fecisset suam.

## §. LXXV.

*Antonii Zapatae Cardinalis obitus.*

*Ciacon. in  
vit. Clem.  
VIII.*

**H**oc item anno ex Purpuratis, tres naturæ debitum solverunt, ex quibus prior Antonius Zapata Nobilis Hispanus die sexta Maij in patria sua obiit, annos natus octoginta sex. Hic ætate juvenis, sed meritis maturus, Gadicensis primo, postea Ginenfis, & paulo post Pampilonensis Episcopus, demum vero Burgenfis Archipræsul nominabatur. Eadem fortunæ velocitate ad Philippum II. Hispaniarum Regis preces ad Romanam Purpuram vocatus, se prævalidum Ecclesiæ Defensorem exhibuit; inter omnes enim Sacri Collegii Patres Religionis studio, pietatis fervore, & Sacrarum literarum intelligentia eminebat; præterea illius dextera non nisi chari-



charitatis opera in pauperes, & Eccle-  
 sias continue distillabat, præcipue vero  
 pestilentia Pampillonensem urbem de-  
 populante Antonius, præter vinum,  
 aliæque necessitatis levamina, qualibet  
 hebdomada quingentos tritici modios  
 in pauperes distribuit, ipseque Xeno-  
 dochia visitavit, largas in ægrotos ef-  
 fundens eleemosynas: imo miseris sub-  
 venire non destitit, donec vivere desiit.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1638.

§. LXXVI.

*Hyppoliti Aldobrandini Cardinalis  
 mors.*

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno de-  
 cessere, erat Hyppolitus Aldobran-  
 dinus, patria Romanus, Clementis  
 VIII. Pro-Nepos, qui post Patruum sui  
 Petri Aldobrandini Cardinalis obitum  
 Purpura decoratus, doctrina & pru-  
 dentia, necnon singulari in rebus ge-  
 rendis solertia sese non minus Hispanis  
 gratum, quam Ecclesiæ utilem reddi-  
 dit: cum vero ad Neptis suæ nuptias  
 invitatus, Neapolin contenderet, inde  
 Romam reversus in lentam incidit fe-  
 brim, qua brevi consumptus, die vige-  
 sima secunda Julii ætatis suæ quadra-  
 gesimo septimo postremus Aldobran-  
 dinæ familiæ furculus obiit, sepultus

*Ughel. in  
 Ital. Sacr.*

R 5

in



Sæc. XVII in Sacello familiæ suæ apud S. Mariam  
A. C. 1638 super Minervam.

## §. LXXVII.

*Lælius Biscia Cardinalis mortuus.*

*Vittor. in  
add. ad.  
Ciacon.*

Postremus erat Lælius Biscia itidem Romanus, qui jurisprudentiæ scientia clarus, defuncto Patre suo Caustidico, primum Camerae Pontificiæ Clericus, postea Decanus, ac repentino fortunæ impulsu Cardinalis Decanus ab Urbano VIII. renuntiatus est. Fuit non modo pietate, sed & doctrina eminentis, magnificus in pauperes & Ecclesias, necnon singularis Literatorum fautor; tandem vero post trium dierum infirmitatem Romæ die vigesima nona Novembris supremum egit diem, annos natus sexaginta quinque.

## §. LXXVIII.

*Cornelii Jansenii Xprensivensis Episcopi  
vita, & obitus.*

*Leydecker.  
Hist. Jans.  
Vid. supra  
l. 174. §. 86.  
tom. 49.  
pag. 396.  
Dupin. Nou-  
vell. Bibl. des  
Aut. p. 181.*

Sectæ Jansenianæ, cujus fata hoc sæculo non levem Historiæ Ecclesiasticæ partem efficiunt, nomen dedit Cornelius Jansenius, longe alius ab illo, qui ejusdem nominis Episcopus Gandavensis Anno prioris sæculi septuagesimo sexto die undecima Aprilis obiit. Ille



Sæc. XVII.  
A.C. 1638.

Ille autem Jansenius, de quo differimus, non post hujus discessum anno die vigesima Octobris in Acquoy ignobili Leerdamensis Comitatus oppido primam lucem aspexit, parentibus oppido Catholicis; unde P. Bourgius erravit, & Hazardus itidem Jesuita, dum Jansenium a Guesiis seu Calvinistis velut ab infecta stirpe progerminatum temere retulerat, a Jansenii Nepotibus in Tribunali de calumnia convictus læsæ parti satisfacere conatus est. Nec tamen diffitemur, quod Jansenius, postquam humaniores literas Ultrajecti didicerat, & Lovanii in Philosophicis Doctoratus palmam emeruerat, Jacobo Jansonio Lovaniensi Theologo longe celebratissimo, Baii tamen erroribus adducto sese discipulum tradiderit, eumque parentis loco coluerit, a cujus disciplina, utrum Baii dogmatumque ejus amor & veneratio in Jansenium derivata fuerit, dubium adhuc: certum tamen est, quod exinde uti singularis doctrinæ Augustinianæ amor, ita & ingens in Jesuitas seu Molinistas odium ex falsa persuasione, quod Christi gratiam cum Pelagio, oppugnarent, in eum fuerit instillatum. Emenso demum studii Theologici curriculo Jansenius in Franciam contendit, ubi intimam cum Joanne Vergerio Abbate Sancyrano

ami-



Sæc. XVII amicitiam contraxit, hæsitque aliquot  
A. C. 1638. annis partim Lutetiæ Parisiorum, par-  
 tim Baionæ, tandem vero Lovanium  
 reversus, novo S. Pulcheriæ Collegio  
 præficiēbatur, ac recusata Philosophiæ  
 cathedra Theologiæ Doctor anno Christi  
 millesimo sexcentesimo decimo nono  
 die vigesima quarta Octobris creatus,  
 undecimo post anno Sacras literas Hi-  
 spani Regis jussu publice interpretatus  
 est. Tum vero, indefessum Sanctorum  
 Patrum, ac præcipue Divi Augustini  
 operum lectioni applicuit animum,  
 ipseque factus est, quod decies & am-  
 plius universa hujus S. Patris opera,  
 libros vero contra Pelagianos facile  
 trigies a capite ad calcem summa at-  
 tentione pervolvisset. Dum adhuc Lo-  
 vanii inclaresceret, bis ab Academia  
 in Hispanias ablegatus, apud Philip-  
 pum IV. Regem de Jesuitis (ut ait No-  
 rissus Cardinalis) vehementer, nec sine  
 prospero successu querebatur, eo quod  
 S. Augustini doctrinam peterent, atque  
 impugnarent, literasque publice do-  
 cendi munus sibi arrogare molirentur:  
 Inde Lovanium reversus, peropportu-  
 nam propugnandæ Religionis occasio-  
 nem nanciscebatur; postquam enim Fri-  
 dericus Nassovius Princeps capta Sylva-  
 Ducensi urbe, Catholicis Ecclesiis Pa-  
 rochiales eripuerat, & bona Eccle-  
 siastica

*Vind. Aug.*  
*in Præf.*  
*pag. I.*



saistica contra deditiois leges Calvinistis adjudicaverat, Prædicantes vero die Octobris vigesima edito publico quoscunque ex Catholicis ad certamen provocaverant, Jansenius ad arrogans hoc Prædicantium edictum levi brachio respondit, edito scripto, cui titulus: *Alexipharmacum Civibus Sylva - Ducensibus propinatum adversus Ministrorum suorum fascinum.* In hoc scripto veterem eorum crambem, necnon falsa sectæ principia funditus evertit, Religionis vero Catholicæ veritatem, ex eo, quod Ecclesia Catholica a Christi ævo, non autem Calviniani Ministelli suam missionem, & docendi auctoritatem testatam reddere possent, tanto rationum pondere propugnabat, ut Voetio, Swalmio, Udemanno, & Everwino Prædicantibus, qua effugerent, nulla alia patuerit porta, nisi quod dicerent, iniquam fuisse Jansenii cum Calvinistis disputandi methodum, eoquod relictis Scripturarum fontibus summorum Pontificum successionem ab Apostolorum tempore usque in hunc diem continuatam & Calvinii reformationem sine missione suo arbitrio inchoatam demonstrarit, perinde acsi hæc ipsa perpetua successio ipsis S. Literis luculentissime non inniteretur. Postea Jansenius Sylvaducenses Prædicantes ad publicam pro-

Sæc. XVII.  
A. C. 1638.



Sæc. XVII. provocabat disputationem, quam ta-  
A. C. 1638. men illi acceptare minime auli, decla-  
 rarunt, quod ipsi Lovanienses Docto-  
 res non provocassent, proin illos ad  
 disputationem admittere nollent, cum  
 tamen antea *omnes & singulos universum-  
 que Orbem* provocassent: quoniam vero  
 ob Jansenii scriptum non pauci de ve-  
 ritate suæ sectæ dubitare inciperent,  
 hinc illud Voetius refellere nitebatur,  
 edito libello, cui titulus: *Philonium Ro-  
 manum Correctum*: eodem tamen anno  
 Jansenius mox infaustum hunc Prædi-  
 cantis partum suffocavit, injecta *Nota-  
 rum Spongia*, qua maculas perperam  
 in Voetii notis asperfas absterlit, ac  
 ipsismet fatentibus adversariis, erudite  
 & facunde causam suam egit: nihilo-  
 minus, ne Calvinus causa cecidisse  
 videretur, Voetius captato per inte-  
 grum quinquenium respirandi spatio,  
 tandem librum, cui titulus: *Desperata  
 Papatus causa* edidit, suppetias post  
 triennium eidem ferente Martino Schoo-  
 ckio, qui *desperatissimam causam Papatus*  
 scripsit, neuter tamen Jansenii rationes  
 elidit, sed nonnisi calumnias centies ac  
 centies jamjam confutatas recoxit:  
 utrumque vero librum Libertus Fro-  
 mondus Lovaniensis Doctor ac Jansenii  
 in Sacræ Scripturæ Cathedra Succes-  
 sor egregie confutavit. Tandem vero  
 Janse-



Janfenius anno Christi millesimo sex-  
centesimo trigesimo quinto die vigesima  
octava Octobris, qua natus erat, Ypren-  
fis Episcopus nominabatur, anno au-  
tem sequenti eodem die consecratus,  
demum hoc anno die sexta Maij febrī  
in pestem declinante correptus, e vi-  
vis excessit, postquam totius vitæ suæ  
noxas Sacerdoti asseruerat, ac supre-  
mis morientium Sacramentis rite con-  
firmatus erat.

## §. LXXIX.

*Janfenii opera typis edita.*

Quantumvis Molinistæ Janfenium ab  
eo temporis articulo, quo sese eo-  
rum opinionibus opposuisse credebatur,  
nec pietate, nec eruditione conspicuum,  
imo nequidem *Philosophicæ sapientiæ*  
guarum depinxissent, nihilominus com-  
munia saniorum suffragia, Græcæ &  
Hebraicæ linguæ peritia, laurea Do-  
ctoratus Theologici a Parisiensibus ob-  
lata, & a Lovaniensibus concessa, præ-  
cipue vero quædam ejusdem scripta lon-  
ge celebratissima profundam ejus in  
Theologicis, Exegeticis aliisque disci-  
plinis scientiam produunt. Scripsit autem  
I. orationem de interioris hominis re-  
formatione, II. Tetrateucheom, seu  
commentarium in quatuor Evangelia  
III. com-



Sæc. XVII. Ill. commentaria in quinque libros Moy-  
 A. C. 1638. sis IV. in Proverbia, Ecclesiasten, & li-  
 bros Sapientiæ, & in Prophetam Sopho-  
 niam Analec̃ta, quæ tamen posthuma  
 in Eruditorum Scriniis asservantur.  
 V. Alexipharmacum &c. VI. Spon-  
 giam notarum, quibus Alexipharma-  
 cum aspersit Voetius. VII. Denique  
 Martem Gallicum sub nomine Alexandri  
 Patricii Armachani. Porro Jansenius in-  
 quisitissimo ferens animo, quod Molinistæ  
 Deum libero hominis arbitrio subijce-  
 rent, hinc eorum doctrinam impugna-  
 turus, ut puram S. Augustini doctri-  
 nam de gratiæ efficacia a scholis, ut  
 credebat, passim eliminatam postlimi-  
 nio revocaret, impigro viginti duorum  
 annorum labore, summaque animi con-  
 tentione hujus sancti Patris opera e-  
 volvit, cunctaque ad suum scopum con-  
 sona ex illis decerpit, atque in adver-  
 saria per classes distribuit, integrum-  
 que volumen, cui nomen esse voluit,  
*Augustinus Jansenii* conscripsit: quod ta-  
 men Jansenius hoc opus suum non nisi  
 post celebratum Conciliabulum Burgofonta-  
 num, proin intra 5. Martii & 4. No-  
 vembris anni 1621. digesserit, æque  
 confictum est, ac ipsum hoc Concilium  
 Burgofontanum. Nec tamen diffite-  
 mur, quod Jansenius jam tum de fiste-  
 matis sui veritate subdubitarit, atque  
 ideo



ideo, cum sibimet Pii V. & Gregorii XIII. Sæc. XVII.  
 Bullas contra Michaellem Bajum obji- A. C. 1638.  
 ceret, hæreo fateor, aiebat, sed quid ad  
 doctrinam S. Augustini? Insuper acres sibi  
 a Molinistis impendentes procellas ani-  
 mo præfagebat, prout literis ad Ab-  
 batem Sancyranum datis significaverat,  
 „asserens, eo magis se teneri, quo in  
 hoc opere longius progredereetur, doctri-  
 nam, quam meditareetur, stuporem  
 plerisque incussuram: ac futurum fa-  
 cile, ut tanquam delirus ac somnia-  
 tor insignis audiat: credere tamen se,  
 rem tantam a Deo speciali consilio pro-  
 moveri: magna nihilominus prudentia  
 ac circumspectione opus esse, ma-  
 gnoque potentum favore: cætus quo-  
 que religiosos, si in eandem senten-  
 tiam adduci possent, magno præsidio  
 fore: „ Constans quoque apud Iprenses  
 traditio viget, Jansenium morti vi- *Danes Gen. temp. not.*  
 cium cuidam Sanctimoniali præcepit *p. 317.*  
 se, ut afferret sibi hæc sua scripta, in  
 ignem, ut credunt, conjicienda: ea  
 vero non fuisse reperta, Jansenium au-  
 tem paulopost extinctum: ut res se  
 habuerit, id certum est, quod Janse-  
 nius vix dimidia ante obitum hora te-  
 stamenti sui tabulis hæc verba inseri  
 jussit: „Ego Cornelius Dei & Apo-  
 stolicæ Sedis gratia Episcopus Iprensis  
 de mea libera voluntate do & dono  
*Hist. Eccles. Tom. LX.* S om-

Moy-  
 & li-  
 opho-  
 huma-  
 antur.  
 Spon-  
 arma-  
 nique  
 andri  
 s ini-  
 nita  
 bjice-  
 gna-  
 petri-  
 s, ut  
 tlimi-  
 orum  
 con-  
 ra e-  
 con-  
 dver-  
 rum-  
 oluit,  
 od ta-  
 onni-  
 outa-  
 No-  
 æque  
 ilium  
 ffite-  
 fite-  
 tque  
 ideo



Sæc. XVII. „omnia mea Scripta ad explicationem  
A. C. 1638 „S. Augustini spectantia Capellano meo

„Reginaldo Lamæo, partim quia ma-  
„gno labore ea scripsit & dictavit, par-  
„tim quia sine originali, copia corrigi  
„non potest. Hac tamen mente hanc  
„donationem facio, ut cum Doctiss.  
„Viris, Magnifico Liberto Fromondo,  
„& Reverendo Domino Henrico Cale-  
„no, Canonico Mechliniensi, conferat,  
„& disponat de editione quam fidelis-  
„sime: Sentio enim difficulter aliquid  
„mutari posse. Si tamen Romana Se-  
„des aliquid mutari velit, sum obe-  
„diens filius, & illius Ecclesiæ, in qua  
„semper vixi, usque ad hunc lectum  
„mortis obediens sum. Ita mea po-  
„strema voluntas est, actum 6. Maij

*Prem. c. 29.* „1638. „ Hujusmodi verba submissio-  
*Et in Epil.* nis plena in ipsomet suo Augustino se-  
*in cap. 22.* mel atque iterum repetuntur, indubium-  
*Luc.* que est, quod Jansenius tam in suis  
thesibus, quas die nona Octobris anno  
hujus sæculi decimo septimo absque  
Præside Lovanii propugnauerat, quam  
in suis Commentariis in Sede Aposto-  
lica auctoritatem agnoverit falli nesciam  
in rebus ad fidem moresque spectanti-  
bus: unde corrui Molinistarum cri-  
minatio, qua ad augendum odium,  
& arcessendam ex impacto Pontificie  
auctoritatis contemptu hæreseos pro-  
babili-



Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

habilitatem sparserunt, Jansenium jam  
 tum (scilicet dum Marci Antonii de  
 Dominis libros confutare, ab Aposto-  
 lico Nuntio monebatur) consilia de con-  
 vellenda Pontificum, qui Baium damna-  
 verant, auctoritate animo voverit. Op-  
 tandum potius fuisset, ut Jansenii Secta-  
 tores illius erga Sedem Apostolicam ob-  
 sequium fuissent imitati, & Molinistæ  
 privato suo in eum odio minus indul-  
 gissent; tum enim fors tota controver-  
 sia in Janseniani libri damnatione ste-  
 tisset, ejusque doctrina, si hæretica  
 haberetur, jam in Baio damnata fuis-  
 set credita, nec in novam hæresin ex-  
 crevissent; proin Ecclesia jam pridem  
 liberata fuisset atrocibus illis conten-  
 tionibus, funestisque diffidiis, quibus  
 non sine maximo animarum dispendio  
 in hanc usque diem agitur.

Ceterum vix vitæ suæ finem fece-  
 rat Jansenius, cum illico Reginaldus  
 Lamæus defuncti Episcopi Sacellanus,  
 Henricus Calenus Archipresbyter Bru-  
 xellensis, necnon Libertus Fromondus  
 edendo Jansenii Augustino manum ad-  
 moverent: Horum igitur opera anno  
 hujus sæculi quadragesimo hic liber  
 literis Zegeri Lovaniensis Typographi  
 cum Cælaris Regisque Hispani privi-  
 legio, Ferdinando Cardinali Hispano



**Sæc. XVII.** Belgarum Gubernatori nuncupatus pro  
 A. C. 1638. diit, adjecta hac Jacobi Pontani Regii  
 librorum Censoris approbatione: *Hoc  
 opere per Reverendissimum Dominum Corneli-  
 um Jansenium Episcopum Ipresensem de  
 hæresi Pelagiana, ac statu naturæ inno-  
 centis, lapsæ, puræ, reparatæ, singula-  
 ri, miraque eruditione concinnato, arca-  
 nissima divinæ providentiæ circa creaturam  
 rationalem dispositio panditur, liberique ar-  
 bitrii natura, & gratiæ vires explicantur,  
 ubique conformiter ad D. Augustini Do-  
 ctrinam: cujus principiis Author sic inha-  
 ret, ut non tam suum, quam ipsius Augu-  
 stini sensum exprimat, explanetque: quam  
 ob rem opus hoc prælo ac publica luce di-  
 gnissimum censeo, fructusque eximios soli-  
 darum Virtutum orbi christiano allatu-  
 rum confido. Ubi ergo hic liber tot  
 Principum auctoritate, & Censoris Regii  
 approbatione munitus, publicam  
 aspexerat lucem, consuetis Molinista-  
 rum commentis annumeranda est Hi-  
 storia de clandestina hujus libri editio-  
 ne: Referunt enim illi, quod præfati  
 Viri Typographum auro corruptum ac  
 jurejurando adactum eo deduxerint,  
 ut summo silentio hujus libri typum  
 absolveret; qua autem ratione ante  
 ipsam editionem hoc mysterium fuerit  
 detectum, rursus variant Molinistæ,  
 narrant quidam, Jesuitis Lovaniensibus  
 cal-*



callida dexteritate P. Viskerkii, qui Sæc. XVII.  
 unum ex typographi operariis ad affe- A. C. 1638.  
 renda sibi omnia folia subornaverat, in-  
 notuisse, hoc opus propediem in lucem  
 proditurum. Alii evolutionem hujus  
 mysterii cum minore malignitate recen-  
 sent, ajuntque, quod eo tempore, quo  
 Jesuitæ Jubilæum suæ Societatis cele-  
 brarent, præsens fuisset non nemo ar-  
 cani conscius, qui inter epulas & po-  
 cula, quæ solent ora resolvere, hæc  
 verba protulerit: *præparantur vobis cibi,*  
*quibus brevi festa convivium agere possitis:*  
 Unde Patribus suspicio, maligna in  
 Societatem consilia agitari. „Interim,  
 inquit Molinistæ, Adrianus Crom-  
 mius, Collegii Jesuitici Præfectus, Ze-  
 gerum, quocum familiaria sæpius col-  
 loquia habebat, convenit, atque ut  
 solebat, typographiam tentat ingredi.  
 Verum obseratas fores reperit. Unde  
 suspicionis incrementum. Nec tamen  
 detegi poterat arcanum, nisi id ventus  
 revelasset. Etenim typographus im-  
 pressas chartas aëri curaverat siccan-  
 das exponi; factum vero est, ut spi-  
 rans aura unum alterumve folium dif-  
 flaret. Id repertum mox a vicinis at-  
 que ad Jesuitas delatum, qui ex ungue  
 Leonem agnoscebant. Ergo Crom-  
 mius haud jam miratus, se clausam  
 typographiæ Januam invenisse, illico  
 S 3 „ad



Sæc. XVII. „ad Internuntium Richardum Stravium,  
A. C. 1638. „Cameracensem Archidiaconum, de-  
 „fert, quas accepisset, paginas, simul-  
 „que precatur, ut sua autoritate sup-  
 „primi cæteras fatageret, quando his  
 „continerentur dogmata, a Pio V. &  
 „Gregorio XIII. prohibita. Ille rem ad  
 „Academiæ Rectorem refert, qui suum  
 „non esse respondit, impedire librum, quo  
 „minus excuderetur, quem Censuram ju-  
 „dicia approbassent. „ Frustrato igitur  
 Internuntii conatu hic liber primo Lo-  
 vanii prodit, & paulo post Parisiis cum  
 adjecto sex Sorbonæ Doctorum suffra-  
 gio alteris typis excusus; mox etiam  
 a Ministris Calvinianis Hollandiæ, Ja-  
 bobo Ariglandyo rem dirigente, in pa-  
 triam linguam translatus; a Jacobo au-  
 tem Voetio gregi suo eximias inter lau-  
 des commendatus est, suffragante ce-  
 lebri Grotio, cujus ea Sententia fuit,  
 si Catholici probarent Doctrinam Jan-  
 senii, brevi duas Ecclesias in unam  
 conflatum iri. Non multum lapsus est  
 temporis, cum & Rotomagi nova libri  
 Iprensis Episcopi editio comparuit.

Cetera hujus libri fata recensere  
 mus in Historiæ nostræ progressu.



## §. LXXX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1638.*Diversæ Urbani VIII. Pontificis  
Constitutiones.**Bullar.  
Magn.  
Const. Urb.  
VIII.*

Jam anno priori Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini de Fratibus Discalceatis ejusdem Ordinis apud S. Rituum Congregationem querebatur, quod hi Imagines S. Augustini, Nicolai Tolentini, aliorumque hujus Ordinis Sanctos in habitu, quo Discalceati utuntur, passim imprimi, aut depingi fecerint, inde vera non sine ejusdem Ordinis præjudicio plurium contentionum occasio data fuerit, hinc eadem S. Congregatio die decima nona Decembris ejusmodi imagines aboleri præcepit, summus vero Pontifex die vigesima tertia Januarii hoc S. Congregationis decretum confirmavit. Paulopost Fratres Minores Conventuales apud summum Pontificem exposuere, quod quidam Parochi, ut sepulturam in Regularium Ecclesiis eligendi libertatem præpedirent, immodicas ab hæredibus exactiones fecerint: hinc summus Pontifex habita desuper inquisitione, die undecima Martii locorum Ordinariis præcepit, ut de opportuno providerent remedio, ac confestim decernerent, ne

S 4

Pa-



Sæc. XVII. A. C. 1638. Parochi plus percipiant in Sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum Templis. Quoniam vero Cardinalis Barberinus Papæ Nepos non ita pridem Romæ cubiculum S. Catharinæ Senensis cum suis parietibus & picturis ad Ecclesiam S. Mariæ super Minervam transferri, & prope Sacristiam collocari curavit, ea propter Papa, ut hoc Sacellum Sacris muneribus decoraret, die vigesima secunda Maij præter plenariam indulgentiam pro visitantibus præfatum Sacellum in ejus die festo concessit, ut Sacerdos in Ara dicti Sacelli pro anima defuncti celebrans, eam liberet a penis per modum suffragii: excommunicationem autem intentavit Pontifex foeminis, quæ præfatum Sacellum, præterquam in die festo S. Catharinæ ingrediuntur: Denique die vigesima nona Julii idem Pontifex, ne libri ex Bibliotheca PP. Capuccinorum extraherentur, inhibuit, Superioribus tamen concessit, ut inutiles libros cum aliis commutare valeant.

§. LXXXI.

*Variae S. Congregationum decisiones.*

Inter



Inter diversa Sacrarum Congregatio-  
 num decreta, nonnisi pauca addu-  
 cere lubet, & primo quidem Sacra Ri-  
 tum Congregatio die sexta Februarii  
 præcepit, ur deinceps in Calendariis  
 locorum fiat nota, *ad libitum*, quando  
 Officia non sunt de præcepto: Die au-  
 tem decima tertia Julii S. Congregatio  
 Immunitatis declarabat, quod absolu-  
 tio a censuris ex causa violatæ immu-  
 nitatis Ecclesiasticæ sit reservata sum-  
 mo Pontifici: declaratum quoque die  
 vigesima quarta Septembris, quod si  
 Vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in  
 diem Corporis Christi, non sit eo die  
 jejunandum, nec abstinendum a car-  
 nibus, sed anticipandum sit Jejunium  
 die antecedenti, scilicet feria quarta.

## §. LXXXII.

*Propositiones ex libro Claudii Segue-  
 notii decerptæ atque a Facultate  
 Parisina damnatæ.*

Die tertia Maij Petrus Chapellanus *Abregé*  
 Facultatis Theologicæ Parisiensis *Chronol. de*  
 Syndicus Sorbonæ Doctoribus expo- *Hist. Eccl.*  
 sit, quod Claudius Seguenot Pater *Siecl. XVII.*  
 Oratorii novissime S. Augustini tracta- *Argent.*  
 tum de *Virginitate*, Gallice reddiderit, *Coll. Jud.*  
 notisque oppido suspectis auxerit: Re-  
 cepta mox Facultas sex selegit Do-  
 ctiores,

S 5



Sæc. XVII. A. C. 1638  
 doctores, qui hunc librum sedulo exami-  
 narent. Hi ergo in proximis Sorbonæ  
 comitiis die prima Julii retulere, li-  
 brum hunc periculose & damnandæ  
 lectionis esse, tam in Scholiis & No-  
 tis, quam in ipsa Versione operis S.  
 Augustini, in qua parum fidelem se  
 præstiterit Author, nonnulla de suo  
 adjiciens contra mentem Beatissimi Pa-  
 tris, & ejus verborum emphases de-  
 genere permutatione extenuans, ac  
 aliorum detorquens, & illius Senten-  
 tias depravans. Horum itaque sele-  
 ctorum Magistrorum relatione audita,  
 & re a Facultatis Decano prima  
 mensis Junii die ejusdem anni proposi-  
 ta, & postquam in tribus Congrega-  
 tionibus diu, & mature deliberatum  
 esset, censuit Facultas, præfatum librum  
 damnandum, prout de facto damnavit,  
 utpote continentem multas propositio-  
 nes, novas, falsas, scandalosas, pia-  
 rum aurium offensivas, ab insigniori-  
 bus pietatis Christianæ operibus aver-  
 sivas, quietis animarum perturbativas,  
 communi & omnino tutæ praxi Eccle-  
 siæ contrarias, erroneas, & hæresin  
 redolentes. Postea ex Censuris ita ge-  
 neraliter expositis nonnullas selegit se-  
 quentibus propositionibus specialiter  
 applicandas.

Propo-



*Propositio I.* „Si quædam nupta omnibus carnibus renuntiaret, & conjugio uteretur, tanquam non uteretur, æqualemque cordis & animæ puritatem conservaret in conjugio, sicut Virgines extra illud, hæc abs dubio haberet meritum Virginitatis, & non tantum æque sancta & perfecta, sed etiam æque pura & casta foret, sicut Virgines.

Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

*Censura.* Hæc doctrina, qua dicitur, eos, qui utuntur conjugio tanquam non utantur, habere meritum Virginum, & cælestem vitam agentium, & esse non solum æque Sanctos, & æque perfectos, verum etiam æque puros, æque castos, hæresin sapit.

*Propositio II.* „Votum perfectioni Christianæ, & voto in Baptismate emissio nihil nisi actionem externam, in qua perfectio non consistit, superaddit. . . . Vota sunt utilia imperfectis, & sunt instabilitati humanæ propria remedia, & hæc est vera causa Professionis Religiosæ. . . . Votum, quando certam actionem externam præscribit, inducit necessitatem servilem, & tollit animæ libertatem. . . . Obedientia non est consilium. . . . Paupertas voluntaria est ab hominibus, necessaria a Deo.”

*Censura.* Hæc doctrina, qua adstruitur in præjudicium votorum Monasticorum, & depres-



Sæc. XVII. *depressionem status Regularium, præsertim A. C. 1638. qua àsseritur, vota nihil addere perfectionis; esse tantum imperfectorum, sæpe esse impedimenta alio vocantis Dei; abusive vocari consecrationes, obedientiam non esse opus consilii, & paupertatem voluntariam ex voto excludi a paupertate Evangelica, non tantum est destructiva sancti Regularium status, & aversiva a proposito laudabilis vitæ cenobiticæ, verum etiam falsa, scandalosa, temeraria, & erronea.*

*Propositio III. „Consilium, quamprimum est particulariter cuidam inspiratum mox degenerat in præceptum.“*

*Censura. Hæc doctrina, qua docetur opera consilii, ubi inspirata sunt & applicata per inspirationem huic vel illi Personæ, esse obligatoria, & transire in præceptum, est falsa, periculosa, conscientiarum perturbativa, & erronea.*

*Propositio IV. „Generatio in statu innocentie fuit sanctissima & perfectissima actio, per quam homo fuit sanctificatus, sicut nunc per Sacramenta.“*

*Censura. Hæc doctrina, qua dicitur, æqualitatem efficientie futuram inter actum generandi, qui exerceretur in statu innocentie, & inter Sacramentorum nostrorum efficientiam, est scandalosa, temeraria, & Sacramentis novæ legis contumeliosa.*

Pro-



Propositio V. „Aureolæ nulla fit men-  
tio in S.Literis.,

Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

Censura. Quæ Author asserit de Aureolis Sanctorum, quas dicit novitium inventum theologorum, & sine fundamento in Scriptura, sunt falsa, temeraria, Scholasticam veterum theologorum injuriosa.

Propositio VI. „Vera Contritio non procedit a timore servili, sed charitate perfecta . . . si vera contritio omnino est necessaria ad gratiam Sacramenti, & si hæc charitas hominem Deo reconciliat ante receptionem Sacramenti, superflua erit absolutio . . . qui diceret, absolutionem Confessarii esse duntaxat declaratoriam, Synodo non adversatur.,

Censura. Quæ Author tradit de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate, absoluta necessitate, ad recipiendum Sacramentum penitentiae; & quæ addit, & approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, declaravit quoque facultas, & censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi, & omnino praxi Ecclesie contrarias, efficaciam Sacramenti penitentiae imminutivas, & insuper temerarias ac erroneas.

Propositio VII. „Poenitentia Sacramentalis deberet esse publica, nec perfecte dispositus est, qui sua peccata



Sæc. XVII. „cata toti Ecclesiæ detegere, paratus  
A. C. 1638. „non est.,

*Censura. Hæc doctrina, qua Author statuit, ex ordine & natura rei requiri, quod sit publica Confessio, est nova, falsa & periculosa.*

Præter hæc censuris notata, alia quamplurima erant sparsim in toto contextu Libri reprobanda, quæ omnia Sacra Theologiæ Facultas Parisiensis damnavit, & Librum tot nævis, & erroribus respersum censoria hac animadversione notavit, dignumque censuit, cujus lectione omnes Catholici interdicanur.

Fertur tamen hunc librum nonnisi mutuato Seguenoti nomine fuisse editum, reipsa vero compositum a Vergerio Abbate San-Cyrano, qui hoc ipso anno die decima quarta Maij, eoquod Jansenii systema de gratia amplexus fuisset, in Vincennensi carcere Richelii Cardinalis jussu inclusus est, nec inde nisi post ejusdem Cardinalis obitum die decima sexta Februarii anno hujus sæculi quadragesimo tertio liberatus.



Sæc. XVII.  
A. C. 1638.

## §. LXXXIII.

*Facultatis Theologicæ judicium circa  
Theses & epistolam nuncupato-  
riam Patris Joannis Fabri.*

Eodem hoc anno Pater Joannes le *Argentre*  
Fevre seu Faber Ordinis Fratrum *l. c. p. 27.*

Minorum Theologus sacrarumque li-  
terarum Professor Parisiensis Theses  
quasdam Gabrieli de Bovo Nannetensi  
Episcopo nuncupabat, adjecta hac epi-  
stola: *Multis titulis Præsul Illustrissime,*  
*hoc munusculum tibi debebatur, sed eo præ-*  
*cipue, quod ejus sit arboris fructus, quæ in*  
*tu solo nata est, crevit, & adolevit. Cum*  
*enim ex ea sim Diœcesi oriundus, quæ te*  
*pastorem colit, & Patrem; peregrina sane*  
*Vota, si alteri, quam tibi nuncupassem,*  
*atque adeo idololatram veluti quispiam me*  
*existimasset, quod Dignitatem tuam ea ob-*  
*latione aliquid Splendoris & Gloriæ adeptu-*  
*ram putarem: ea enim virtus, quæ te Re-*  
*gem studiosissimo charissimum, & Regnoutu-*  
*lissimum, populis denique omnibus clarissi-*  
*imum jampridem fecit & Illustrem, eo est*  
*avecta, ut hominum voces & suffragia sa-*  
*cile negligat, ut palam videatur; sed quo*  
*de te, sicut de Deo sentiam, qui hominum*  
*sacrificia quantumvis inutilia sibi recipit:*  
*nec illorum Vota dedignatur, sed potius*  
*ardentissime exigit, quia illi debentur. Sic*  
*mare*



Sæc. XVII. A. C. 1638. *mare vel ipsos rivulos æque ac Nilum, aut Gangem vastissimo sinu excipit, non quod ab illis aliquid incrementi accipiat, sed quia juri suo renuntiare non potest. Hoc igitur qualecunque gratitudinis monumentum, & meæ in te observantiæ tesseram exhibere nitor, eo solum, ut id præstem, quod sine injuria omittere non possum. Nec muneris exiguitatem erubesco; semper enim exiguis videri matui, quam ingratus. Quamquam nec ita exiguum munus existimem, quod sua fronte Sanctissimum & difficillimum Religionis nostræ mysterium præfert, estque ejus Theologicæ facultatis Actus. CUIUS ORACULA NON MINUS DIVINA, QUAM PONTIFICIA; ÆQUE CERTA, UT ITA DIXERIM, SEMPER FUERUNT, AC ILLA, QUÆ IN CONCILIIS PRONUNTIARI SOLENT. Quippe eadem est Doctrina, idem Sensus. Quod si munus non ex ipso, sed ex voluntate & dantis affectu meiri velis, audeo dicere, nunquam majus recepisti. Si igitur gratum habeas, & me ea, qua hætenus complexus es benevolentia prosequaris, lætus & hilaris certamen subeo.*

In hac vero epistola Alphonfus le Moyne nonnulla animadversione digna reperiri, Patrem vero Fabrum duntaxat literas pro lectura Sacrorum Bibliorum, non autem pro lectura Sententiarum obtulisse, die sexta Novembris

Facul.



Facultati denunciabat: quocirca die Sæc. XVII.  
 primo Decembris Facultas Theologica A. C. 1638.  
 Parisiensis censuit, supprimendam esse  
 epistolam, Theses vero asservandas,  
 donec præfatus Pater literas obedien-  
 tiales pro Lectura Sententiarum ab Or-  
 dinis sui Generali, ut moris est, ob-  
 tenuisset.

## §. LXXXIV.

*Scriptorum Religione Catholicorum  
obitus.*

Præter Jansenium Ipresem Episco-  
 pum ex Catholicis occurrunt non-  
 nulli Scriptores Ecclesiastici hoc anno  
 defuncti, & quidem primo memoriam  
 facimus Hanibalis de Afflictis Rhegien-  
 sis Archiepiscopi, qui præter eruditas  
 epistolas, Synodi Rhegiensis acta edi-  
 dit, ac die prima Aprilis annos natus  
 septuaginta octo decessit. Alter erat  
 Balthasar Ræz Ord. Trinitariorum, qui  
 præter conciones, Commentaria in Deu-  
 teronomium, cantica Moyfis, Ezechiaë,  
 & Isaiaë, & Epistolam D. Jacobi posteris  
 reliquit, obiitque Ulyssipone die de-  
 cima tertia Mensis Martii. III. Chri-  
 stophorus Bessoldus, de cujus reditu  
 ad Catholicam fidem jam supra me-  
 meminimus: Hic Jureconsultus S. Cæsareæ  
 Majestati, & Electori Bavaro a Con-  
 siliis

*Montig.*  
*Bibl.*  
*Sic.*  
*Anton. Bibl.*  
*Hispan.*  
*Mir. Aubert.*  
*Bibl. Eccl. 1*  
*Alegamb.*  
*Bibl. Script.*  
*S. J.*  
*V. d. supra*  
*Lib. 199.*  
*S. 14. t. 60.*



Sæc. XVII. filiis prius per viginti quinque annos  
A. C. 1638. Tubingæ, Ingolstadii autem per bien-  
 nium Jurisprudentiam publice profite-  
 batur, eumque Urbanus VIII. Papa  
 Bononiam & Cæsar Viennam expeti-  
 verunt, mors tamen die decima quinta  
 Septembris interceptit annos natum sex-  
 xaginta & unum. Edidit motiva, qui-  
 bus permotus Lutheri dogmata ejura-  
 verat, exstant quoque plusquam qua-  
 draginta ejusdem opera Juridica, quæ  
 a Melchiore Fischlin in supplementis  
 ad memorias Wirtenbergenfium Theo-  
 logorum enumerantur. IV. Zacharias  
 Salutiensis Capuccinus, acerrimus hæ-  
 reticorum oppugnator; scripsit duos  
 Annalium Ordinis sui tomos, Ortho-  
 doxas Consultationes, pluraque alia:  
 obiit Genuæ septuagenarius die trige-  
 sima prima Martii. V. Jeremias Dre-  
 xelius Jesuita, qui plurima opuscula  
 Ascetica duobus tomis comprehensa ad  
 posteros transmisit. VI. Ignatius Ar-  
 mandus ex eadem Societate, cujus  
 opera Jesuitas ab Henrico IV. in Gal-  
 lias revocatos, jam supra memoravi-  
 mus: Edidit Paraphrasin in Psalmos,  
 orationem ad eundem Regem pro So-  
 cietatis innocentia, ejusque in Galliam  
 restitutione, necnon epistolam contra  
 Chamierum Calvinianum Prædica-  
 tem. VII. Didacus Collado in Indiis  
 Orien-



Orientalibus Missionarius ex Ord. FF. Sæc. XVII. Prædicatorum, qui opera Hispani Regis ab Urbano VIII. Papa obtinuit, ut Gregorii XIII. diploma, quo nonnisi Jesuitis ad Sinarum & Japonum missiones excurrere datumerat, revocari, ac ceteris omnibus Religiosis ibidem Evangelium prædicandi licentiam obtinuit. Scripsit varia pro addiscendo idioma Japonico, præter Historiam Ecclesiasticam de fatis Christianorum in Japonia ab anno 1602. usque ad 1641. VIII. Ildephonsus a Jesu Maria Carmelita Excalceatus: edidit animadversiones pro legibus rite intelligendis, pericula & remedia perfectionis Religiosæ, doctrinam Religiosorum, manuale Prælatorum, & compendium Diplomatum: necnon tractatus de Regularium, Monialium & Prælatorum Regimine, ac de Religionum damnis, ubi Generalatus nonnisi triennio durat, præter plura alia ejusmodi opuscula.

§. LXXXV.

*Patris Josephi Capuccini obitus.*

Præter hos obfatorum varietatem singulari memoria dignus habetur P. Josephus ex Ord. FF. Capuccinorum. Hic ex nobilissima stirpe Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo

*Abregé de Hist. Eccl. tom. 10. Richard vie du P. Joseph. Vitt. Sivi Merc.*



Sæc. XVII. gesimo septimo ortus, Græcæ, hebraicæ, Teutonicæ, Anglicæ, Hispanæ &

*Vie du Card. Richel.* Italicæ linguæ peritia, necnon Mathematicis disciplinis ingenium suum mire excoluit: anno autem ætatis suæ vigesimo tertio Ordinem Fratrum Capucinatorum Parisiis professus, varia Ordinis sui munia non sine laude obibat. suaque opera Salmurii, Pictavii & Augeriaci non modo tribus Conventibus, sed præcipue austerioris vitæ studio non tantum Provinciam suam, sed & aliorum Ordinum Conventus celeberrimos reddebat: Flagrabat insuper immoto propagandæ Religionis studio, quo incitatus rebelles Hugonotas præcipue Ruppellenfes armis coercentes Regi suasit, eorumque hærelin ore & calamo impugnavit: Christianos quoque Principes ad Sacram expeditionem contra Turcas incitaturus, Romam ad summum Pontificem, indeque in Hispanias ablegatus est, hancque in rem Carolum Niverniam Ducem ad instituendum S. Militiæ Ordinem induxit, plurimosque Viros Apostolicos non modo in Franciam, sed & in Græciam, Armeniam, Natoliam, Palæstinam, Persiam, aliasque regiones remotissimas Urbani VIII. Pontificis auctoritate decrevit. Erat intima familiaritate junctus Richelio Cardinali, quocum in publi-



publicis negotiis, belli expeditionibus, Sæc. XVII.  
 etque negotiationibus præcipuam A. C. 1638.  
 habebat partem, & quamvis Regis in-  
 dignationem ob pacem cum Cæsare Ra-  
 tisonæ conclusam incurrisset, atque  
 in suum Monasterium ab aula exulare  
 passus esset, brevi tamen cum Richelio  
 supremo Regis Ministro Regni curas  
 participari visus est; unde passim supremus  
 Richelii Minister vocabatur, imo ipsum  
 quoque Regem in variis expeditioni-  
 bus comitatus, eundem ad feriendum  
 cum Suecis fœdus impulit, tanti a Rege  
 habitus, ut illum Purpura donari, Rex  
 a Papa peteret, quod tamen occultis  
 Richelii, qui eum Consultorem, quam  
 collegam habere maluit, artibus im-  
 pediebatur. Ceterum quantumvis Jo-  
 sephus totus exteris curis immeritus  
 videretur, assidue tamen piis vacabat  
 operibus, ac Sanctimonialibus, quarum  
 Congregationem sub titulo B. Virginis  
 de Calvario ipse instituerat, salutari-  
 bus præceptis moderabatur, cumque  
 Regem in bello contra Sabaudia Ducem  
 comitatus esset, illarum Regimen  
 Abbati San-Cyrano, quem tum ma-  
 ximi habebat, commisit, quamprimum  
 vero ab expeditione sua redux e-  
 rat, has Moniales sibi minus propensas  
 expertus, Abbatem hunc Richelio Car-  
 dinali exosum reddere satagebat: Tan-  
 dem



**Sæc. XVII.** dem vero hic Capuccinus hoc anno  
**A. C. 1638.** apoplexia tactus die decima octava  
 Decembris decessit. Edidit tractatum  
 de militia Christiana, de methodo au-  
 diendi Sacrum, & Synaxin sancte re-  
 cipiendi, & de oratione mentali, item  
 instructionem ad Principes, quantum  
 eorum interfit bellica expeditio contra  
 Turcas, Statum deplorandum Christia-  
 nitatis, dispositiones ad bellum contra  
 Turcas, exercitia pietatis & devotio-  
 nis, Defensionem Regis & Ministrorum,  
 ac denique Cleonvillæ monita ad Pro-  
 vincias: Verum non modo hæc scripta,  
 sed præcipue Patris Josephi vitam &  
 gesta quidam malevoli dente maledico  
 carpsere: ita nempe nequidem bene  
 gesta, si Status conditioni non conve-  
 niunt, ab æmnlorum calumniis sat  
 tuta sunt.

## §. LXXXVI.

*Scriptores A catholici hoc anno denati.*

*Arnold.*  
*Hist. Heret.*  
*Vol. I.*  
*part. 2. l. 17.*  
*cap. 6.*  
*Vid. supra*  
*l. 193. §. 132.*  
*tom. 57.*  
*Spener. Hist.*  
*Piet. p. 17.*

**I**nter Scriptores Protestantes, qui hoc  
 anno obiire, primum locum sibi ven-  
 dicat Lucas Osiander Junior Cancellar-  
 rius Tubingensis, qui Joannem Arn-  
 dium, cujus supra meminimus, tot  
 convitiis, tamque maledico ore infe-  
 ctabatur, ut Bessoldum inde graviter  
 offensum ad Ecclesiam Romanam re-  
 diisse,



diisse, Spenerus testatus sit: de cetero Sæc. XVII.  
A.C. 1638.  
 Olander tam jejunos, steriles, ac Di-  
 mini Verbi inops erat Prædicans, ut  
 quadam die miles e suggestu dicentem  
 fricto pugione aggressus sit, dicens,  
*quare Verbum Dei non prædicas?* Nihilo-  
 minus a suis tanquam apprime doctus,  
 & Religionis studio ardens Theologus,  
 acerrimusque Calvinistarum, aliorum-  
 que Novatorum hostis celebratur. Edi-  
 dit Enchiridion controversiarum cum  
 Calvinianis, Schwenkfeldianis, Ana-  
 baptistis & Pontificiis, defensionem ve-  
 ritatis de omnipræsentia, tractatus de  
 communicatione idiomatum, de Regi-  
 mine Ecclesiastico, de induratione, de  
 corruptelis Vaticanorum, & præter  
 librum contra Arndium plura alia im-  
 potentis animi monstra. II. Georgius *Vid. supra*  
 Zemannus, ejusdem farinae Præco, *lib. 197.*  
 cujus petulantiam a Cæsare digna pœ- *S. 12. t. 59.*  
 na mulctatam supra retulimus, scripsit *pag. 44.*  
 commentaria in epistolas D. Pauli, Pa- *Freher*  
 patum A catholicum, Carnificinam Esa- *Theatr. Vir.*  
 viticam, Gretseri triumphatum, Ath- *erud. part. 1.*  
 letam stramentitium, aliaque ejusdem *Secl. 3.*  
 generis inter quisquilias reponenda.  
 III. Jacobus Huldricus posteris reliquit  
 vindicias pro Bibliorum translatione  
 Tigurina, de religione antiqua S. Feli-  
 cis & S. Regulæ, Historiam Tigurino-  
 rum Protomartyrum, libros de Eccle-  
 sia



Sæc. XVII. A. C. 1638. 1  
 fia Electorum Dei, de Religione Ecclesiarum Græcarum, & de certitudine salutis, præter vindicias capituli decimi septimi Confessionis Helveticæ. IV. Lucas Bacmeister conscripsit commentaria in Threnos Jeremiæ, septem Psalmos Pœnitentiales, & disputationem contra decreta Concilii Tridentini, tractatum de lege, necnon dilucidationem quæstionis, an Ecclesia Lutherana indigeat reformatione? præter propriam Calvinistarum confessionem, quod quis in Lutherana Religione salvari possit. V. Joannes Rasenius commentaria in N. T. præter Polemica & Theologica typis vulgavit. VI. Guilielmus Nigrinus elucubravît tractatum de legis adimplerione contra Bellarminum, Papiſticum S. Scripturæ contemptum, disputationes de variis argumentis, & assertionem loci cujusdam a Fevardentio citati. VII. Joannes Mallius scripsit Regimen pestilentiae menstruum, explicationem Psalmi I. & Postillam Evangeliorum. VIII. Joannes Schreitter edidit Pentadecadem citharæ Davidicæ, disputationes, & epistolam consolatoriam ad Bohemæ Evangelicos. IX. Josephus Mede publici juris fecit clavem Apocalypticam, Diatriben in varia S. Scripturæ loca, tractatum de Hebdomadibus Danielis, de Apostasia  
 ulti-



ultimorum temporum, & de Prophetia Sæc. XVII.  
 Petri præter Dissertationes Ecclesiasti- A. C. 1638.  
 cas. X. Andreas Baur scripsit tracta-  
 tum de vera, reali, & substantiali præ-  
 sentia Christi in actione Cœnæ præter  
 tractatum de lege morali.

## §. LXXXVII.

*Principum atque Illustrum obitus.*

Eodem anno, quo faustissimo sydere *Mem. Hist.*  
 Ferdinando Cæsari Maximilianus *Houff. t. 2.*  
 Thomas, Maximiliano autem Bavarie *Flor. Hist.*  
 Electori Maximilianus Philippus Hiero- *pag. 272.*  
 nymus, ac demum Philippo IV. Hispan- *Brachel. hist.*  
 narum Regi filia erat nata, immatura *temp. l. 5.*  
 morte, & maximo Procerum luctu  
 Taurini in Pedemontio sublatu lest  
 die quarta Octobris Franciscus Hy-  
 acinthus Sabaudie Princeps octo  
 fere annorum puer, uno duntaxat  
 fratre vita superstite Carolo Emanuele  
 quadrienni. Supremam quoque diem  
 clausit exeunte Mense Junio Petrus du  
 Vair Vincienfis Episcopus, in hoc haud  
 parum commendandus, quod pinquo-  
 res Episcopatus sibi sæpe oblatos sem-  
 per recusarit, asserens, non licere, Spon-  
 sam, eoquod pauper sit, dimittere, &  
 ditioem accipere. Obiit per idem  
 tempus in Polonia Thomas Zamoy-  
 skius supremus Regni Cancellarius, &  
 T 5 Joan-



Sæc. XVII. A.C. 1639 Joannes Wezyckius Gnesnensis Archiepiscopus, cui Joannes Lipsius Episcopus Culmenfis suffectus est. Præterea inter celebratissimos Belliduces Crequius Franciæ Marefcallus, dum Bremam in Italia contra Hispanos tueri parat, vitam & urbem die decima septima Martii globo trajectus amisit: pari etiam fato Rheinfeldæ ex vulneribus suis die decima quinta Aprilis decessit Rohanæus Dux, quem sectæ suæ tuendæ fanaticus, & ambitio ad iteratam rebellionem contra Regem suum induxit, extrema vero Hugonotarum suorum clades eundem ad Regis sui obsequium redire compulit, in quo utrum rebus Calvinianis prospere fluentibus constans perstitisset, incertum; quid enim apud Sectariam gentem ab stirpe fallacem coacta servitus roboris & fidei habet? Majorem immotæ fidei, invictæque fortitudinis famam omnibus retro bellis in Cæsaris exercitu sibi comparabat Balthasar Marradius Eques Melitensis, qui hoc anno Pragæ obiit.

§. LXXXVIII.

*Pacis negotiationes variis artibus elusæ.*

*Adam. Adami rel. Hist. Pac. Westph. pag. 20.* Habebantur hoc item anno variæ pacis consultationes, quarum tamen successus



successum, dum Cæsar toto studio promove- Sæc. XVII.  
 vere satagit, alii variis artibus, obtenti- A. C. 1639.  
 busque præpedire adlaborabant: Nemo  
 omnium quidem erat, qui tam barba- *Adlxr. An-*  
 ram humani cruoris effusionem, & Ger- *nal. Boic.*  
 mania devastationem se abominari, *l. 24. n. 2.*  
 verbis non testaretur, belloque finem *Barre Hist.*  
 mox imponendum, se optare jactita- *t. 9. p. 713.*  
 ret: pauci vero, qui pro communi caus-  
 sa leve utilitatis privatæ dispendium  
 subire, parati essent; alii res spesque  
 suas ex turbido promovere intenti,  
 pacis amorem verbis quidem ostenta-  
 bant, totis tamen viribus bellum para-  
 bant: Galli præcipue Coloniam ad pa-  
 cis negotiationem accedere renuunt,  
 eoquod Cæsar Galliæ Fœderatis publi-  
 cæ securitatis literas dare denegasset.  
 Has concedit Cæsar Suecis Batavisque:  
 petunt insuper proscriptis ejusmodi li-  
 teras concedi, & ex earum repulsa cul-  
 pam dilatæ pacificationis in Cæsarem  
 conjiciunt: consentit etiam Cæsar, ut  
 hisce petitæ darentur literæ: nihilo-  
 minus queruntur Galli, in ipsis hisce  
 literis varios deprehendi defectus, eas  
 non ad omnes, sed duntaxat nondum  
 reconciliatos extendi fœderatos, illas  
 non recta a Cæsare, sed duntaxat a Le-  
 gatis Cæsareis fuisse expeditas: Bata-  
 vis, aliisque & præcipue Vinariensi  
 Duci, necnon Cassalensi Viduæ usita-  
 tos



**Sæc. XVII.** **A. C. 1639.** tos denegari honorum titulos: nec his quoque satisfacere reuebat Cæsar: quin tamen Gallis Hamburgi congregatis novi deessent eludendæ pacis obtentus: querebantur de ipso Rustorffio Caroli Palatini Comitis Legato, quod Principi suo pares cum Europæ, ac præsertim Daniæ & Sueciæ regibus honores tribui peteret, & in literis ad Ludovicum XIII. Franciæ Regem datis, eundem omisso *Majestatis* titulo nonnisi *Regiam Dignitatem* appellarit, Principem vero *Serenitatem* vocari, suosque Oratores tecto capite ad alloquium admitti petierit. Insuper Galli & Batavi de Angliæ Rege minus contenti oblatam pacis negotiationem respuebant, illi Salvium Angliæ Legatum nonnisi amplis verbis ludificabant, hi vero neutrarum partium studium obtendebant: Sperabatur Casselenis Hassia in Cæsaris gratiam reditura, sed Amalia Guilielmi Landgravii Vidua Gallico ære corrupta Dorstenæ foedus cum Gallis die vigesima secunda Augusti iniit: Agebatur etiam de Septemvirorum conventu, Norimbergæ celebrando, ast hunc quoque in annum frequentem differre oportuit. Tantopere igitur Gallo-Sueci ab iactato sinceræ pacis proposito aberant, ut ad novos belli apparatus, novaque contra Cæsarem



farem foedera nonnisi temporis indu-  
 cias quærere viderentur, cum interea  
 Imperator pacis studiosissimus, non sine  
 Cæsareæ suæ auctoritatis, fortunæque  
 dispendio cuncta pacis obstacula remo-  
 vere adlaboraret. Hanc in rem Ama-  
 liæ Landgravii Viduæ administrationem  
 Hassiæ, & Filii sui tutelam, quam Im-  
 perator Georgio Hassio - Darmstadiensii  
 Landgravio concesserat, restituit, ne  
 inde Galli, Anglique Hassos in Cæsa-  
 rem concitandi obtentum haberent:  
 Illa vero, quamvis cum Ferdinando  
 Imperatore die vigesima quinta Julii  
 Moguntia pacem iniisset, nihilominus  
 ut Cæsarem a firmanda hac pace  
 absterret, omnibus Imperii Ordinibus  
 plenam profitendæ fectæ libertatem  
 concedi, ab eodem petiit, qua a re-  
 religiosissimo Cæsare denegata,  
 Cæsarem hostiliter invadendi ob-  
 tentum sibi suppeditari gavisa, cum  
 Gallis novum iniit foedus, quo pollice-  
 batur, quod septem peditum, & tria  
 equitum millia ad bellum contra Cæ-  
 sarem suppeditare, nec unquam incon-  
 sulto Galliarum Rege cum Imperatore,  
 eique adhærentibus pacisci, nec libe-  
 rum Religionis Catholicæ exercitium,  
 nec non bonorum Ecclesiasticorum pos-  
 sessionem in omnibus ditionibus per  
 Landgravium ab anno hujus sæculi de-  
 cimo

Sæc. XVII.

A. C. 1639.

Dumont t. 6.

part. 1.

fol. 176.



Sæc. XVII. cimo octavo occupatis, Ecclesiasticis  
A. C. 1639. concedere velit: Denique spondere ju-  
 bebatur, se ad pacem per summam  
 Pontificem conciliandam suos ablega-  
 turam Deputatos: vicissim vero Gallia-  
 rum Rex Viduæ pecunias & arma pol-  
 licebatur: Verum Vidua acceptis hæc  
 pecuniis pactorum executionem dextere  
 eluserat. Interea vero Urbanus VIII.  
 Papa nec Legationibus, nec monitis,  
 literis, precibusque deerat, ut saltem  
 Catholicos ad belli inducias permove-  
 ret, hi tamen obtendebant, ejusmodi  
 inducias non nisi ad restaurandas vires  
 Gallis Suecisque profuturas, præcipue  
 cum Galli publico foederis articulo ca-  
 vissent, se ad solum Pontificis nutum *pro*  
*Suecorum consensu* ad pacificationem cum  
 Catholicis ineundam nunquam de-  
 scensuros.

## §. LXXXIX.

*Vinariensis Dux in Burgundiam ir-  
 rumpens.*

*Bougeant  
 Hist. Bell.  
 tric. tom. I.  
 part. I. l. 5.  
 Jäger. Hist.  
 Eccl. l. 9. c. 1.*

Hæc dum Colonia & Hamburgi ge-  
 rebantur, Bernardus Vinariensis  
 Dux, capto nuper Brisacco in Burgun-  
 diæ Comitatum irrupit, rapidoque vi-  
 storiarum cursu Pontarlinum, plures-  
 que urbes expugnavit, incolis ubique  
 nullo non feritatis, calamitatumque  
 gene-



genere a feroci milite suo tot victoriis Sæc. XVII.  
 in omnem licentiam efferato excarnifi- A. C. 1639.  
 catis, vexatisque. Ab eo temporis  
 momento Dux haud obscure ostende-  
 rat, quod non tam Gallis Suecisque,  
 quam gloriæ suæ augmento litare in-  
 tentus, ex perdomitis ditibus sibi  
 Principatum erigere meditaretur, sique  
 Burgundicum Comitatum Alsatiamque  
 Brisacco, potentissimo Rheni propugna-  
 culo, & Germaniæ clavi adnectere pos-  
 set, relictis foederatorum partibus in  
 Cæsaris gratiam redire paratus esset.  
 Inde vero irritabatur æmulatio Gallo-  
 rum, qui pariter sibi solis Brisaccum  
 vendicare moliebantur, hanc urbem  
 validius Gallico auro, quam Vinarien-  
 sis Ducis ingenio ac virtute expugna-  
 tam fuisse rati. Eapropter Guebrian-  
 tius Comes Galliarum Regis jussu ma-  
 gna præmiorum spe oblatisque cum  
 Cardinalis Richelii Cognata nuptiis Du-  
 cem in Gallias invitabat, eo autem moras  
 nesciente, ut mentem suam circa Brisaci  
 cessionem promeret, Comes illum im-  
 portunius urgebat, cui tamen Vinarien-  
 sis hæc respondit: *qui a me armis parta  
 repetit, honorem meum mihi eripit*: mox vero  
 Parisios Erlachium Helvetium decre-  
 vit, qui valetudinis, ac negotiorum  
 caussam, absentiae suæ apud Regem  
 prætexeret. Hic autem auro a Cardi-  
 nale



Sæc. XVII. A. C. 1639. nale Richelio corruptus, Brisaccum, si  
 Dux e vivis excesserit, Gallis ceden-  
 dum clam pollicitus est: Hanc tamen  
 cessionem Duce adhuc vita superflite,  
 fieri, plurimum Gallici Regis intererat,  
 præcipue cum rumor esset, quod Dux  
 Rohanæi Ducis viduam ducere vellet,  
 proin depressas Hugonotarum res re-  
 stauraturus timeretur: Placuit ergo  
 Regi, Ducem, quem promissis haud  
 poterat, subtractis pecuniarum subsidiis  
 ad sua vota pertrahere: instat quidem  
 nomine Reginæ Sueciæ Hugo Grotius  
 Orator, petens, ut milites & pecuniæ  
 ad bellum in Cæsareas ditones infe-  
 rendum Vinariensi suppeditarentur:  
 Rex vero ad has preces surdus, ma-  
 gnâ auri vim in Helvetios & Argenti-  
 nenses profudit, ibidemque validum  
 conduxit militem, ne Vinariensis suum  
 exercitum augere posset. Fertur quo-  
 que, summum Pontificem Regi suasisse,  
 ut Vinariensem ab Alfatæ, Burgun-  
 diæ & Brisacci possessione arceret, ne  
 Protestantium res tam in Galliis, quam  
 in Imperio per hujus Ducis potentiam  
 firmarentur.

§. XC.

*Bernardus Vinariensis Dux mortuus.*

Non-



Nondum Vinariensis Dux protenden-  
 di Dominatus spem abjecerat; vix  
 enim Tharum urbem a Guebriantio Co-  
 mite incassum obsideri compererat, cum  
 illico admotis copiis suis, mœnibusque  
 assidua verberatione dejectis obsessos ad  
 deditionem compelleret, non sine ma-  
 xima Cæsaris consternatione, qui ho-  
 stem tam potentem suis ditionibus im-  
 minere veritus, misso ad Ducem Sigi-  
 mundo Heusnero, illum, incassum li-  
 cet, ad suas partes pertrahere festinabat:  
 Quoniam vero Vinariensis palam Gal-  
 lorum invidiam in caput suum arcessere  
 reformidaret, Cæsaris pollicitationibus  
 cedere renuit, totaque pene Burgun-  
 dia jamjam armis suis subacta, inde  
 Rhenum repetere statuit, in Bavariam  
 irrupturus. Postquam vero Huningam  
 die decima quinta Julii pervenerat,  
 morbo correptus Neoburgum in Allatia  
 delatus est, ubi morbo indies ingra-  
 vescente die decima octava ejusdem  
 Mensis annos natus triginta quinque  
 decessit, postquam testamenti tabulis  
 bello parta suis Fratribus, iis vero ea  
 occupare recusantibus Ludovico XIII.  
 Galliarum Regi, exercitus vero sui cu-  
 ram quatuor supremis militiæ Tribuuis  
 reliquerat: Vulgatum illico est, illum  
 veneno fuisse sublatum, & Pufendor-  
 fiius haud hæsitanter affirmat, Gallos  
 Hist. Eccles. Tom. LX, U toxi-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1639.

Barre hist.  
 d'Allemagne  
 l. c. Brachel  
 Hist. temp.  
 lib. 5.  
 Lotich. rer.  
 Germ. t. 2.  
 l. 20. c. 4.

Pufendorff.  
 Hist. de  
 Sued. tom. 2.  
 pag. 314.



Sæc. XVII. toxicatâ offâ Ducis mortem accelerasse:  
 A. C. 1639. ast hunc Scriptorem vel immodico in

Gallos odio abreptum, vel vulgi ru-  
 more deceptum credimus; vix enim  
 magni nominis Princeps inopino extra  
 aciem moritur sine veneni suspicione,  
 vulgusque amat insignium Heroum  
 morti prognosticis præcludere, quod ta-  
 men plerumque nonnisi suspensiones tem-  
 merarias, vel ridiculas superstitiones  
 sapit: utut autem res se habuerit, id  
 omnino certum est, quod paucis ante  
 Ducis obitum horis nigræ per totam  
 corpus maculæ eruperint, (licet pestis  
 & veneni maculæ post mortem parum  
 inter se discrepent) imo & Medici in  
 exenterati hepate & pulmone quædam  
 pestilentiæ vestigia apparuisse testati  
 fuerint: Insuper, si tamen Jægero  
 fides, chirurgi manus, cum leviter a  
 cultello esset perstricta, quo Corpus de-  
 mortui secabatur, statim ita intume-  
 scebat, ut intra undecimum diem idem  
 funesta accidente gangræna extingue-  
 retur. Nec ipse Dux decumbens de  
 veneno dubitaverat, nec fœdum sce-  
 lus, haud dubie a Gallis patratum, a  
 pastore Lutherano concionem funebrem  
 habente dissimulatum fuit. Venerant  
 quoque Basileam Literæ, testæ manu  
 scriptæ, sciscitantes, num Vinariensis  
 mortuus esset, cum de morbo ipsius  
 non.



pondum in illum locum, unde literæ Sæc. XVII.  
scriptæ, perferri potuisset nuntius., A. C. 1639.

His tamen Pufendorffius, ne Au-  
striacæ Domus honori a Protestantibus  
vel unica occasione parceretur, hæc sub-  
iungit: *sed & apud CÆSAREOS pri-*  
*dem rumor ac spes fuerat, Ducem non*  
*diu victoris suis supervicturum. Nec ma-*  
*gis moderatum est præfati Authoris*  
*epiphonema, dum ait: Tam diu nempe*  
*grata erat fortitudo optimi Ducis Gallis,*  
*quamdiu commoda erat ac proficua; at*  
*vero ubi majus ex ejus morte lucrum sperari*  
*poterat, infami ad omnem posteritatem fac-*  
*cinore e vivis, non ab hostibus, sed ab in-*  
*gratissimis amicis sublatus est.*

*Pufendorff.*  
*comm. de*  
*rel. Suec.*  
*lib. II. §. 39.*

## §. XCI.

*Carolus Ludovicus Comes Palatinus*  
*a Gallis captus.*

Post Vinariensis obitum mox inter *Barre l. c.*  
quatuor Tribunos, quibus Dux *pag. 726*  
exercitus sui curam commisit, di- *Massen. An-*  
scordia & æmulatio gliscere cæperat: *nal. Trevir.*  
unde hi præter paucas urbes ad *lib. 25.*  
Rhenum *Nani Hist.*  
interceptas tota æstate nullam majo- *Venet. t. I.*  
ris momenti rem gessere: præterea *pag. 525.*  
partarum ditionum exercitusque impe- *lib. II.*  
rium sibi competere contendebant Gal-  
liæ Rex, necnon Carolus Ludovicus  
Friderici Palatini Filius. Hic quoque  
ditio-

U 2



Sæc. XVII. ditiones suas recuperandi spe allectus,  
 A. C. 1639 suos Oratores ad Vinarienses Tribunos

cum eis de exercitus Præfectura acturos ablegavit: ipse vero in Angliam ac inde in Germaniam profecturus per Franciam iter aggressus est: at Molinas adventans, Richelii Cardinalis jussu ibidem detentus, ad arcem Vincennensem captus deducitur, prope cubiculum, in quo Casimirus Poloni Regis Filius pariter a Gallis nuper interceptus hæsit, inclusus. Hujus violentiæ causa obtendebatur transgressio cujusdam edicti Regii, quo Principes exteri absque Regis venia Regnum pertransire vetarentur: cum autem ejusmodi lex antea nemini cognita esset, Daniæ Rex additis etiam belli minis Palatini libertatem apud Avoxium Franciæ Oratorem postulavit, quam hic quoque pollicebatur, dummodo Anglus arma Gallis, Suecisque jungere vellet: verum Dano sine conditione libertatem urgente, Sueciæ Regina per Hugonem Grotium hunc Principem liberari petiit, datis etiam die decima nona Decembris ad Ludovicum hæc literis: *Ad justam commiserationem haud immerito ducimur, quod indignationem aliquam Serenitatis Vestræ fortassis incurrerit Princeps, cujus beneficio & ope ad restitutionem in pristinum statum & libertatem,*

maxi-



maxima cum fructus & affectus spe pro-  
 noceri potuisset. Nobis sane & eo nomine  
 commendandus, quod socius nobis fœderis  
 extitit in Germania, & inter ceteros Ger-  
 manicæ Princeps sit, qui præcipuum locum  
 & causam obtendit. Ac, quod ad præ-  
 sentis negotium spectat, in consultationibus  
 ac consiliis ad Serenitatem Vestram pluri-  
 mum respexit, veteris observantiæ memor,  
 sua Prædecessores in illa Electorali domo  
 Regno Gallicæ promptissimis officiis addicti  
 fuisse. Quorum intuitu id beneficii in Re-  
 gnam Viduam, & Principem Electorem,  
 quoque totam istam domum conferat, quo  
 detentus Princeps benigne, ac primo quoque  
 tempore dimittatur.

Verum hæc Principum preces adeo  
 non apud Gallos valere, ut Palatinus  
 asperius, quam bello capti, aliquam-  
 diu haberetur, unico duntaxat famulo  
 eidem concesso, omnique scribendi aut  
 literas recipiendi facultate adempta:  
 Ambo etiam Caroli Fratres Mauritius  
 & Eduardus, qui tum Parisiis sub fide  
 publica equitare, & arma tractare di-  
 dicerant, intra parietes privatos sese  
 continere iussi sunt. Interim Palatinæ  
 Domus Fautores clanculum principio,  
 mox valentius & pene cum clamosa se-  
 ditione in Gallos invehebantur: „Nunc  
 tandem, inquiebant, sat luculenter  
 patet, hanc vim Palatino illatam fuisse



Sæc. XVII. „in Bavari Ducis gratiam, cui, ut pri-  
A. C. 1639 „mum Imperii Electoratum asserent,  
 „omnes Catholici Principes conspirant:  
 „non minus Francia, quam Domus Au-  
 „striaca in Protestantium ruinam flagrat:  
 „nunc tempus urget, ut tandem aperia-  
 „mus oculos; nisi enim cuncti Princi-  
 „pes Protestantes pro communi caussa  
 „insurgant, Cæsar, Hispaniæ, & Fran-  
 „ciæ Reges, ceterique Principes Ca-  
 „tholici a Papa animati, certæ ruinæ  
 „nos involvent., Verum Richelius  
 Cardinalis hosce rumores pari asper-  
 nabatur facilitate, qua Hispanorum  
 querelas, quibus tanquam studiosissi-  
 mus Protestantium Fautor contra Ca-  
 tholicos apud Papam postulabatur, flocci  
 habere, jam assuetus erat. Tandem  
 vero, postquam Vinarienses Tribuni  
 auro Gallico deliniti ad partes Regis  
 Franciæ, dicto eidem sacramento, tran-  
 sferant, proin Rex præter hæc copias  
 Brisacum, Friburgum ceteraque Alfa-  
 tiæ & Burgundiæ loca sibi vendicave-  
 rat, Palatinus Comes ex sua Vincen-  
 nensi custodia Parisios ad Angliæ Le-  
 gatum deducebatur, ea tamen lege,  
 ne sine Regis venia Parisiis excederet,  
 scriptoque fateretur, se nunquam in-  
 vito Rege Vinariensis exercitus Præ-  
 fecturam ambiisse: Adimpletis igitur  
 hisce conditionibus Carolus Palatinus,  
 post-



postquam Galli relictis eidem stipulis <sup>Sæc. XVII.</sup> <sup>A. C. 1639</sup>  
 iam suas mesuissent segetes, Mense Ju-  
 lio anni sequentis, liber dimissus est,  
 qui omni ope destitutus, dein ad Sue-  
 cos contendit, quos tamen suarum ma-  
 gis rerum, quam alienarum studiosos  
 experiri cogebatur: Galli autem Bri-  
 sacco potiti, haud ultra promissorum,  
 quæ Vinariensibus Tribunis fecerunt,  
 memores erant, huncque exercitum,  
 ne ullo unquam tempore Gallis Bava-  
 risque formidandus esset, toto studio  
 imminuere nitebantur.

## §. XCII.

*Suecorum res in Imperio.*

Interim Suecorum res in Imperio non <sup>Le Blanc.</sup>  
 sine magno rei Catholicæ dispendio <sup>Hist. de Ba-</sup>  
 majora adhuc ceperunt incrementa; <sup>vier. t. 4.</sup>  
 Bannerius enim, postquam Saxoniz Infe- <sup>Adl. An-</sup>  
 rioris Ordines, ut neutri parti adhære- <sup>nal. Bois.</sup>  
 rent, induxerat, Laueburgico Duce <sup>tom. 3.</sup>  
 haud invito, Albin trajecit, indeque  
 in Saxoniam & Thuringiam effusus,  
 in ipsos Franconiz fines irrupit. Tum  
 vero Marchiam Brandeburgicam ra-  
 pido victoriarum cursu emensus, Land-  
 spergam, Francofurtum, Berlinum,  
 Brandenburgum, pluresque alias haud  
 ignobiles urbes partim Præfectorum  
 perfidia, partim vi, astu, ac deditioe

U 4

intra



Sæc. XVII. intra tridui spatium subegit, cæsisque  
A. C. 1639. Cæsareis, captoque Salisio eorum Du-  
 ctore in Superiorem Saxoniam movit,  
 ubi Halam, aliasque civitates & mu-  
 nimenta occupavit. Inconstantis ta-  
 men fortunæ ludibrio exponebatur Ban-  
 nerius apud Fribergam Saxoniz ur-  
 bem, a cujus obsidione non sine ma-  
 gna fuorum clade repellebatur: brevi  
 tamen hanc ignominiam vindicabat,  
 dum profligatis Marazini Cæsarei Du-  
 cis copiis in Silesiam, Bohemiamque  
 irrupit, totque victoriis ferox, victri-  
 cem exercitum ad ipsa Pragæ mœnia  
 admovit, missoque tibicine deditionem  
 fieri postulavit: cum vero Schlickius  
 Comes Urbis Gubernator cuncta ad va-  
 lidam defensionem parasset, Bannerius  
 de successu desperans, mutato obsidio-  
 nis consilio per universam Bohemiam  
 populatione, cædibus & incendiis gra-  
 fabatur, funesta ubique Suevicæ inhu-  
 manitatis monumenta relinquens: Ce-  
 terum, ne latius progredierentur, sub-  
 inde Melchior Comes Hatzfeldius, ob-  
 jectis Cæsareis legionibus impedivit:  
 Cæsar interim summi Pontificis opem  
 implorabat, hic tamen Venetorum  
 bellum cum Turcis obtendens, sese  
 excusabat, hinc Ferdinandus alieni  
 auxilii spe destitutus, omni qua potuit  
 celeritate, triginta millium agmen con-  
 traxit.



traxit, ac Leopoldum Guilielmum Ar-  
 chiducem Fratrem suum, eoquod Ga-  
 llius excusata valetudine missionem  
 petiisset, supremum militiæ Præfectum  
 dixit, eumque cum recenti hoc milite  
 in Bohemiam decrevit: Priusquam ve-  
 ro hyemis intemperies bellicis hujus  
 anni expeditionibus finem imponeret,  
 Stephanus Palfius cum parva Hunga-  
 rorum manu incautius in Suecos irrum-  
 pens, septem vulneribus confossus in-  
 terficitur, cujus tamen corpus Hun-  
 gari victoribus extrema vi extorserunt.

§. XCIII.

*Belli Continuatio inter Hispanos, &  
 Gallos.*

Interim haud segnus Hispano - Cæsa-  
 rei in Belgio contra Gallos, Bata-  
 vosque bellum prosequerentur; post-  
 quam enim Arausionensis Princeps  
 Geldriam incassum obsederat, & Fu-  
 querius Franciæ Marchio Theonisvil-  
 lam cingere parabat, Octavius Picco-  
 lominæus die septima Junii cum Cæ-  
 sareo agmine tanto impetu in Gallos  
 effundebatur, ut cæsis hostium sex  
 millibus, amissoque toto belli apparatu,  
 & quod utraque jactura gravius erat,  
 amissa gloriæ fama, ipsum Marchio-  
 nem cum plurimis tribunis captum ab-  
 duxerunt.

*Calmet Hist. Univ. l. 151. num. 158. Ferrer. contin. Hist. Hisp. cap. 2. tom. 12. Lotich. rer. Germ. t. 2. l. 10. c. 5.*

U 5

duce-



Sæc. XVII. duceret. Hanc cladem ulturus Melle-  
A. C. 1639. ræus Bellidux, Hesdinium munitissi-  
 mam Atrebatensis Regionis urbem ob-  
 fedit, ipsoque Galliarum Rege præfente  
 illam die vigesima nona Junii non sine  
 Hispanorum clade, deditione cepit: qua-  
 propter in eodem, quo amplior muri  
 ruina patebat, loco a Rege in Franciæ  
 Marefcallum nominatus est, ut illustris  
 esset ex victoriæ loco beneficium: sub  
 idem ferme tempus cives Cariani, quam  
 urbem Castillionæus ante biennium  
 ceperat, seditione mota præfidiarios  
 Gallos unaomnes trucidarunt, quam  
 tamen urbem idem Castillionæus hoc  
 anno armata vi recuperavit, Regisque  
 jussu mænia solo æquari præcepit: in  
 Occitania vero Condæus Princeps Sal-  
 fulas urbem expugnavit; Hispanis au-  
 tem eandem rursus obsidentibus, tertio  
 post Mense velocius hæc Urbs a Gallis  
 perdita, quam capta, tantumque in  
 eam præsidium immisum videbatur,  
 ut statim inde ejiceretur.

## §. XCIV.

*Novum bellum in Sabaudia.**Navi Mem.**Venet. lib. II.**pag. 515.**Calmet l. c.**Jager. Hist.**Fœd. lib 9.**Ferrer. l. c.**pag. 325.*

**T**urbabat inter hæc Regionem Inal-  
 pinam domestica Sabaudicæ Princi-  
 pum dissensio, quæ paulopost in aper-  
 tas belli flammæ erupit; postquam e-  
 nim



nim Franciscus Hyacinthus defuncti Sæc. XVII.  
Victoris Amadæi Sabaudæ Ducis Fi- A. C. 1639.  
lius satis cesserat, Carolus Emanuel in  
Successorem nominabatur, id ægerri-  
me ferentibus Amadæi Fratribus, Mau-  
ritio Cardinale, & Thoma, quos Cæ-  
sar Caroli Tutores constituerat. Igitur  
Thomas Hispano milite firmatus, Tau-  
rinum urbem occupat; Cogitur Chri-  
stina Ducissa Vidua unacum Filio suo  
in arcem profugere, a Gallis, Ductore  
Valleta Cardinale, strenue defensa:  
Paulopost Franciæ Regis jussu Henri-  
cus Lotharingus Comes Harcurtius  
cum valido agmine in Sabaudiam mo-  
vit, captisque pluribus oppidis & arci-  
bus Thomam Principem a Clavissii ex-  
pugnatione præpedivit, Leganesium  
vero Governatorem Hispanum ad sol-  
vendam Cafalis obsidionem compulit:  
inde vero promotis castris Taurinum  
cinxit, hancque Metropolin anno se-  
quenti captam Viduæ, ejusque Filio  
Carolo Emanueli restituit: Ceterum  
summus Pontifex omnem movit lapi-  
dem, ut inter Sabaudos hosce Princi-  
pes pristinam revocaret amicitiam;  
hancque in rem Mediolanum & Pede-  
montium ablegabat Antonium Feral-  
lium, ut saltem inducias inter bellige-  
rantes fieri procuraret, quæ quidem  
ad octo hebdomades fuerunt initæ, mi-  
nus



Sæc. XVII nus autem integra fide observata,  
 A. C. 1639 belli flammæ acrius sufflarunt.

§. XCV.

*Varice molestiæ summo Pontifici  
 causatæ.*

*Nani Hist.  
 Venet. l. II.  
 Vid. supra  
 lib.  
 Palat. vita  
 Urb. VIII.*

Compositis diffidiis anno priori inter  
 Urbanum Papam, & Venetorum  
 Rempublicam exortis, non modo Ora-  
 tori Pontificio alloqui copia reddeba-  
 tur, sed etiam Reipublicæ subditi, qui  
 ad Episcopatus nominabantur, Aposto-  
 lica desuper diplomata Roma recipere  
 permitti sunt: Inde vero nova, levis  
 tamen, orta est contentio, cum Sena-  
 tus Venetus suos Prælatos non nisi a  
 Cardinalibus natione Venetis ad Epi-  
 scopatus in Patrum Senatu proponi pe-  
 teret: tandem vero res ita composita,  
 ut unacum Cardinalibus Venetis Car-  
 dinales Palatini necnon summi Pontifi-  
 cis Frater ac Nepos hoc munere fun-  
 gerentur. Paulopost Reipublicæ Ora-  
 tor imminens a Turcarum armis peri-  
 culum gravibus oppido verbis Urbano  
 Papæ exposuit, ejusque opem implo-  
 ravit: nec irritò plane successu; quippe  
 Pontifex nulla mora in suis terris non  
 modo quatuor armatorum millia con-  
 scribi jussit, sed insuper Principes Ca-  
 tholicos ad pacem inclinaturus, suos  
 Nun-



Nuntios quaquaversum emisit: Verum Sæc. XVII.  
 Urban; sollicitudo aut omnino irrita, A. C. 1639.  
 aut saltem minus accepta existit, in-  
 dignationis causa & obtentu inde pe-  
 tito, quod dum Cæsar Reinaldum Esten-  
 sem Principem, Galliarum Rex vero  
 Julium Mazarinum, & Hispaniæ Rex  
 Perretum Abbatem ad Purpuram no-  
 minassent, Pontifex horum nominatio-  
 nem minus ratam habens, promotio-  
 nem distulisset, caussatus, hos non esse  
 indigenas, sed exteros: hoc autem  
 Pontificis responso minime contenti  
 Reges, primo preces, ac postea minas  
 interposuere, suis inhibentes subditis,  
 ne hi oblatam quoque Purpuram ac-  
 ceptarent, nisi inter illos supra nomi-  
 nati Præsules comprehenderentur. Præ-  
 ceteris vero Galli importunius urge-  
 bant promotionem Mazarini, eo quod  
 hic, dum in Galliis Nuntium agebat,  
 artissima familiaritate Cardinali Ri-  
 chelio junctus, Gallorum res tanto ar-  
 dore procurasset, ut ex Italo in Gallum  
 transmigrasse diceretur. Hanc Gallo-  
 rum offensionem ex dilata Mazarini  
 Purpura plurimum auxerat inopinatus  
 quidam eventus; cum enim Estræi  
 Gallici Oratoris Oeconomus, eo quod  
 familiarem suum armata vi lictoribus  
 extorsisset, a Romano Senatu in exi-  
 lium fuisset deportatus, Orator suam  
 inde



Sæc. XVII. inde auctoritatem læsam ratus, haud  
 A. C. 1639. ultra Cardinales Romanos ad alloquium  
 admisit, ac ipsemet Ludovicus Rex  
 Scotum Papæ Nuntium Aulâ interdixit,  
 tandem vero castigatis quibusdam ju-  
 stitiæ Ministris, Barberinus Cardinalis  
 solita sua dexteritate funestiores hujus  
 diffidii successus prævertit: Nihilomi-  
 nus exacerbatis jam semel animis Pon-  
 tificem cavillandi multiplices non de-  
 erant obtentus, ac primo quidem Galli  
 vitio vertebant Urbano, quod Antonio  
 Barberino Nepoti suo Franciæ prote-  
 ctionem concedere renuisset; noluit  
 enim Papa, ut Nepotes sui sese Galli-  
 cis aut Hispanis negotiis immiscerent.  
 Altera dissensionis causa erat, quod  
 Papa ad Lotharingiæ beneficia, quam-  
 vis in concordatis non fuissent compre-  
 hensa, nominandi prærogativam Regi  
 denegasset, denique, quod pro Valeta  
 Cardinale Pedemontii, ubi Franciæ  
 Marescallum agebat, mortuo exequias  
 fieri prohibuisset: Præterea Richelius  
 Cardinalis privatam in Pontificem in-  
 dignationem conceperat, eo quod Sedis  
 Apostolicæ per Franciam Legatus non  
 fuisset nominatus, quam tamen lega-  
 tionem, ut rumor erat, ardentè ex-  
 optabat, ut pari potentia, sicut Regno,  
 ita Ecclesiæ dominari potuisset: Hac  
 autem repulsa tantopere erat exacer-  
 batus

*Abrege  
 chron. de  
 l'hist. Eccl.  
 t. 3. p. 450.*



batus Richelius, ut Concilium Natio-  
 nale celebrari meditaretur, in quo in  
 Franciæ Patriarcham eligeretur, & Ec-  
 clesiæ Cathedrales potestatem Episco-  
 pos eligendi ante concordata compe-  
 tentem Regibus reddere compelleren-  
 tur, necnon abolitis concordatis, Par-  
 lamenti decreto vetari curavit, ne co-  
 ram Nuntio informatio fieret de mori-  
 bus eorum, qui ad beneficia nomina-  
 rentur: conabatur insuper Ordines Re-  
 ligiosos veteres sibi subijcere, & jam  
 Cluniacensium, Cisterciensium & Præ-  
 monstratensium supremus Præses erat  
 electus, reclamantibus licet Abbati-  
 bus, & Pontifice Bullam confirmatio-  
 nis denegante: quocirca Richelius ira  
 commotus per Consilii Regii decretum  
 prohibuit expeditiones Romanas, pec-  
 uniasque Romam mitti, petiitque  
 annatas remitti aut saltem imminui.  
 Pariter Castri-Roderici Marchio Hispa-  
 niæ Orator Barberinum Cardinalem  
 Papæ Nepotem ab alloquio excludebat,  
 eoquod hic idem Cardinalis, cum Or-  
 dinis S. Francisci Protector esset, quem-  
 dam Monachum Regi suo minus acce-  
 ptum in Generalem vigore Apostolica-  
 rum literarum assumpsisset: quinimo  
 eo tandem invaluit hujus Oratoris in-  
 dignatio, ut in ipsa Sacra Christi na-  
 scentis nocte d'Oreficum Sansii Princi-  
 pem



Sæc. XVII. pem natione Neapolitanum Romæ pro-  
A. C. 1639. pe Ecclesiam capi, vincumque Nea-  
 polin abduci, & capie plecti iusserit,  
 eoquod cum Gallis clandestina arces  
 in Neapolitano Regno prodendi consilia  
 fovisset, consentientibus licet Barberi-  
 nis, qui, ut ferebatur, Thadæo Barbari-  
 no diadema imponere moliebantur.  
 Ceterum omnes hæ simultates præpe-  
 diebant pacis negotiationem, qua ta-  
 men non modo Italiæ, sed & Germa-  
 niæ cum maximo Rei Catholicæ emo-  
 lumento tranquillitas reddi potuisset.

## §. XCVI.

*Propositiones ex Summa P. Stephani  
 Baunii extractæ, atque a Fa-  
 cultate Parisina damnatæ.*

*Argentre  
 Collect. Jud.  
 t. 3. p. 28.*

Postquam Magister de Fleurij librum  
 quemdam a P. Stephano Baunio  
 Jesuita vulgatum, cui titulus: *Summa  
 peccatorum, quæ a cujuscunque conditionis  
 hominibus committuntur, & quando sint  
 mortalia aut venialia?* Facultati exami-  
 nandum proposuerat: Eadem nomina-  
 tis quatuor Doctoribus, pro more Au-  
 thorem præfati libri prius de suis erro-  
 ribus monendum censuit: Die autem  
 prima Mensis Martii anno hujus sæculi  
 quadragesimo primo Elias du Frene  
 retulit, se præter hunc librum pariter  
 aliud



aliud ejusdem Authoris opus, quod Sæc. XVII.  
*Præcin beneficiorum* inscripsit, sedulo A C. 1639.  
 examinasse, atque in ea quamplurima,  
 quæ potius occasionem peccandi, quam  
 poenitendi præferrent, annotasse: cum  
 ipso autem Baunio se contulisse, eum-  
 que ingenue fuisse fassum, circa ea, quæ  
 in materia usuræ scripsisset, se non  
 scripturum fuisse, si nondum scripsisset, &  
 quantum ad cætera, quia diversis ipse  
 niteretur fundamentis, non posse con-  
 trarium sentire.

Percepta hac declaratione Facultas  
 propositiones ex Baunii Summa ab ipso  
 emendata, ac quinto jam typo re-  
 cusa excerptas prælegi jussit: erant au-  
 tem sequentes:

I. „Alterum Signum est odii erga  
 proximum, tristari de ejus bono, quod  
 quamvis teste S. Augustino, sit pecca-  
 tum charitati contrarium, non est ta-  
 men mortale; bonum enim terrenum  
 adeo leve, exiguique momenti est re-  
 spectu ad cælestia, ut nullius sit con-  
 siderationis coram Deo & Sanctis . . .  
 Nec etiam est mortale, si quis talia  
 habet desideria ex bono motivo. „

II. „Tertium Signum est, nolle ipsum  
 etiam in necessitate juvare, vel cum  
 ipso loqui, vel veniam dare, etsi suam  
 culpam agnoscat, & satisfaciat: cre-  
 do „

*Hist. Eccles. Tom. LX.*

X



Sæc. XVII. „do tamen, quod talis secluso scan-  
 A. C. 1639. „dalo non peccet mortaliter.,

III. „Stuprum non est, sed fornicatio, si Virgo voluntarie & sponte patitur, nec tunc in conscientia stuprator eam dotare tenetur, etsi intervenerint validissimæ preces & persuasiones, nec illam ducere tenetur, quia nullam ei injuriam intulit.,

IV. „Uxor vel Filii in jus vocati, ut quæ defuncto clam subtraxerint, manifestent, in conscientia non tenentur declarare, quia non sunt juridice interrogati: ne vero mentiantur, prudens Confessarius eis suadeat, ut in mente aliud cogitent, juxta quod suam responsionem & juramentum a Judice impositum eludere, & suam innocentiam testari valeant.,

V. „An aliquis teneatur reparare damna a tertio nobis instigantibus illata, v. g. rogat quis militem, ut inimici mei domum comburat? respondet deo, etsi miles non restituat, nec peccatus tenetur restituere: non enim tenetur restituere, qui justitiam non violavit, quæ non violatur ab eo, qui favorem ab aliquo præstari petit; illum enim hic præstare, vel denegare libere potuisset; si ergo hic non restituit, nec ad restitutionem adstringi poterit ille, ad cujus preces innocens fuit damnificatus. VI.



VI. „Ut Confessarii aliique decidere Sæc. XVII.  
 „valeant, quantum usuræ liceat petere, A. C. 1639.  
 „attendere debent ad Personas, sum-  
 „mam mutuo datam, & ad periculum;  
 „quo majus enim est periculum, sum-  
 „ma major, & personæ minus solven-  
 „do pares, eo plus ab illis exigi licet. „

Præter hæc propositiones Sorbo-  
 næ Doctores ex Baunii libro adhuc al-  
 ias septem decerpserunt, in quibus usu-  
 ra tanquam licita venditur: sequen-  
 tes insuper assertiones notabant Sorbo-  
 nici Doctores.

I. Irreprehensibilis est actio, si ea nita-  
 tur auctoritati unius hominis pii & docti,  
 qui nec Deum nec proximum per eam of-  
 fendi affirmat; talis enim reddit probabile  
 id, quod dicit.

II. Non peccatur, nisi venialiter, si  
 Persona, cui detrahitur, de se vilis est.

III. Gregorius VIII. eximit subditos  
 ab Obedientia sui Domini, si hic est excom-  
 municatus, nec hic sine peccato potest exer-  
 cere suum munus, nec publice pro bono po-  
 puli facere aliquam functionem.

IV. Religiosi privilegiati possunt a casti-  
 bus ipsi Episcopo reservatis in praxi absol-  
 vere, nec etiam Cardinalium declarationes  
 contraria ultra Montes obligant.

V. Episcopi &c. in materia criminis ne-  
 queunt Judicibus Laicis communicare de-  
 positiones in eorum manibus factas.



Sæc. XVII. A. C. 1639. Omnes hæc propositiones Facul-  
tas Theologica Parisiensis censuit ad  
inducendam morum licentiam & cor-  
ruptionem esse natas, simulque con-  
trarias Sacris literis, quarum singulis  
textus S. Scripturæ opposuit Facultas,  
cum vero ad Societatis preces Regiæ Cu-  
riæ Cancellarius prohibuisset, ne censura  
in Baunii librum evulgaretur, hinc Fa-  
cultas Stephanum Tonnelierum S. Eu-  
stachii Parochum, aliosque quatuor  
Sorbonæ Doctores deputabat, qui ei-  
dem Cancellario exhiberent indicem  
Authorum, quibus abusus esset Bau-  
nius, ut suam doctrinam stabiliret:  
postea Facultas Richelium Cardinalem  
de facta hac Cancellarii prohibitione  
certiorem reddidit, transmissa ad eun-  
dem hac epistola.

„Sapiens ille filius Sirach scite &  
„eleganter scripsit; hoc passionem ma-  
„gnam esse omnibus hominibus, & ju-  
„gum grave super filios Adam; jugum  
„istud, si placet, in præfenti proposito  
„intelligere de proluxa novorum libro-  
„rum sarcina, quibus obruimur, quo-  
„rum volumina quasi falces volantes  
„demetunt pulchritudinem agri eccle-  
„siastici, & vastant decorem Carmeli.  
„Equidem verius spinæ sunt, tribuli  
„sunt, quos maledicta in opere nostro  
„terra germinat, & quibus eruncandis  
„infu-



insudat quotidie Facultas: at tu, <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 Eminentissime Cardinalis facies, si A. C. 1639.  
 placet, idem, quod Columna illa ignis  
 Hebræorum, quæ & angues & spinas  
 deserti enecabat & comburebat. Sine  
 istis enim librorum spinis Christianus  
 mundus fuit, eritque. Quasi unus ex  
 istis est Liber F. Stephani Baunii, cu-  
 jus errata, & annotata sensa, & falso  
 citata verba Autorum bonorum, qui-  
 bus imponit, & quos transvertit, pla-  
 ceat audite & accipere a Lescotio ho-  
 mine fideliter tuo, ut censura nostra  
 in comitiis ordinariis jamdiu concepta  
 veniat ad partum, qui certe toti Ec-  
 clesie Dei tam auspiciatus erit, quam  
 a bonis, & doctis omnibus pridem  
 competitus & desideratus: Facultatem  
 obligaverit longissime, & ipsa preces  
 suas ad Deum pro Rege nostro Chri-  
 stianissimo, & pro Sacri capitis tui  
 conservatione incitatus & ardentius  
 profundet.

Habita hujus Epistolæ notitia Can-  
 cellarius Tonneliero Parocho insinua-  
 bat, se nolle impedire, ne Facultas  
 ferat judicium de Doctrina dicti F. Ste-  
 phani, petiisse tamen breve excerptum  
 præcipuorum erratorum, super quo  
 posset ad Regem christianissimum, &  
 ad Eminentissimum D. Cardinalem Du-  
 cem rescribere, antequam negotium  
 X 3 con-



Sæc. XVII. concluderetur a Facultate circa evul-  
 A. C. 1639. gationem censuræ.

Annuit Facultas Cancellarii voto, paulopost tamen quosdam ex iis, qui hunc librum examinabant, ad Richelium Cardinalem decernebat, qui eidem præcipua errorum capita, necnon Scripturæ S. loca, quibus Author abusus esset, exhibuerunt: Nondum desuper Facultas responsum tulerat, eoquod Richelius Parisiis discedere coactus fuisset: hujus absentia froti Societatis fautores libellum *suppositio* quodam nomine ediderunt, in quo multis contumeliis Magistrum Franciscum Hallierum infectati, ipsimet Facultati Parisinæ imposuerunt, quasi ipsa librum Baunii approbasset, cum tamen eadem illum superiori anno censuris notarit, quas etiam evulgasset, nisi a Franciæ Cancellario superledere iussa fuisset, donec Richelius Cardinalis Parisios rediret: postea tamen Sorbona præfatas propositiones damnavit, & Sacra Inquisitio Romana non modo hujus Jesuitæ Summam, sed etiam ejusdem Theologiam moralem & Praxin juris Canonici die vigesima sexta Decembris anni sequentis Romæ ad Indicem librorum prohibitorum rejecit.



Sæc. XVII.  
A. C. 1639.

## §. XCVII.

*Continuata Scotorum rebellio contra  
Carolus I. Regem suum.*

Interim horrenda Seditio, quam Presbyteriani in Scotia sub consueto Religionis & libertatis tuendæ obtentu concitaverant, indies majora cepit incrementa; hi enim palam exuto Regis sui obsequio, quod cunctas a Catholica fide defectiones, novasque sectas consequi semper consuevit, non modo legitimo Regi suo leges præscribere, sed eundem quoque internecinis armis debellare meditabantur: Nil ergo Regi reliquum erat, nisi ut contracto in Anglia exercitu rebelles Scotos ad obsequium compelleret: nec id tamen exigæ molis opus erat; in ipso enim Angliæ Regno Regiis & Episcopalibus numero prævalebant Puritani, qui a Jacobo & Carolo regibus in Scotiæ Ecclesiam novitates fuisse introductas causati, Scotorum seditioni patrocinebantur: cum autem Rex in causæ æquitate totam reponeret fiduciam, nequidem convocato Angliæ Senatu, quem sibi minus propensum noverat, pro veteri more Nobiles ad diem primam Aprilis Eboracum convenire jubet, indictoque militum delectu, eisdem exponit,

X 4

ponit,



**Sæc. XVII.** ponit, quod Angliæ Regnum adversus  
**A. C. 1639.** Scotos, qui illud infestare molirentur,  
 defendere cogeretur. Præterea Episcopos, totumque Angliæ Clerum ad  
 largius solito conferenda pecuniarum  
 subsidia hortatur, imo ipsam etiam Re-  
 ginam Conjugem suam urget, ut Ca-  
 tholicos proposita Regni necessitate ad  
 ferendam opem incitaret, Haud se-  
 gniores in Regis excidium erant Puri-  
 tani Calvinistæ, qui ductore Alexandro  
 Leslæo, Viro militari experientia lon-  
 ge clarissimo, validum contraxere exer-  
 citum, expulsoque Regis præsidio Edi-  
 num primariam Scotiæ urbem suo mi-  
 lite firmarunt. Jamjam die decima Ja-  
 nuarii Hamiltonus Comes re infecta e  
 Scotia in Angliam reversus erat, cum  
 Carolus Rex eidem cum classe sexde-  
 cim navigiis valida Edinum versus, ve-  
 la facere præciperet; interim vero Ma-  
 ria Medicæa Franciæ Regina ob simul-  
 tates inter illam & Ludovicum Filium  
 suum exortas ex Flandria in Hollan-  
 diam, inde vero in Angliam appulsa  
 est, Henricam Filiam suam Caroli Re-  
 gis Conjugem invisura: Hujus tamen  
 præsentia Anglos adeo non terrebat,  
 ut etiam Puritani non modo Londini,  
 sed in omnibus ceteris Provinciis clas-  
 sicum canerent, unoque ferme momen-  
 to omnes male affecti Puritanorum si-  
 gna



gna contra Regem suum maximo nu- Sæc. XVII.  
 mero sequerentur. Vicissim vero Rex A. C. 1639.  
 exercitum viginti ferme armatorum  
 millibus validum die decima nona Maij  
 recensuit, & Hollandum Comitem cum  
 tribus peditum millibus, & mille E-  
 quitibus in Scotiam Kelsum versus ir-  
 rumpere iussit, cui tamen Leslæus  
 cum validiore agmine sese opposuit, ac  
 Kelsum urbem suo milite firmavit.  
 Jamjam in conspectu utraque acies e-  
 rat, cum Dumferlingus Scotorum no-  
 mine ad Regis castra delatus, Depu-  
 tatos, qui de pace agerent, nominari  
 peteret. Annuit Rex, Puritani vero  
 habito conventu die undecima Junii  
 has condiciones præscripserunt. I. Nu-  
 peræ Glasvuanæ Synodi acta a Senatu  
 confirmentur II. omnia negotia Eccle-  
 siastica a Synodis Nationalibus decidan-  
 tur. III. Rex terra marique copias  
 suas revocet, & occupata restituat,  
 horumque motuum Authores puniat.  
 IV. Scotis Religio, eorumque liberta-  
 tes juxta Regni leges Ecclesiasticas &  
 Politicas salvæ servantur: concessis hisce  
 articulis Puritani se ad Regis obsequium  
 reversuros declarabant. Rex vero ad  
 eorum postulata respondit. se ad diem  
 sextam Augusti Synodum generalem  
 Edini celebraturum, moxque milites  
 suos dimissurum, quamprimum ipsi  
 X 5 arma



Sæc. XVII.  
A. C. 1639  
arma posituri essent: tandem die decima septima Junii inter Regios & Puritanos convenit, ut copiis utrinque dimillis, redditisque cunctis, quæ a die prima Novembris fuere mutuo ablata, pax sincera, firmaque esset.

## §. XCVIII.

*Comitiorum Generalium Edini celebratorum acta.*

*Tursel. epit. Hist. p. 290. Salmon. l. c. Nalson t. I. pag. 239.* **M**inus diuturna hæc pax cunctis videbatur, partim, quod mutæ indignationis causæ nondum sublatae, partim quod Puritani, sicut antea Hamiltonum propositis simulatæ concordiaë pactis ab Edinensi portu arcebant, ita nunc Regem quoque ficta obsequii facilitate fallere, pacisque fiducia sopitum armis & ope destituere fatagerent: propterea etiam Puritani suos milites quidem a signis dimisere, ea tamen usi sunt cautela, ut illos in omnem eventum unico nutu rursus conjungere possent: Inde vero Rex probe cognoverat, quod rebellium subditorum pervicaciam frangere haud posset, nisi eorum postulatis etiam cum Regiæ authoritatis dispendio plene cederet: Hinc Synodum seu Generalem conventum Edini Mense Augusto celebrari permisit, in quo de ipsis dissen-

sionum



Sæc. XVII.  
A. C. 1639.

tionum caulis ageretur: Eodem quo-  
 que Mente Londinum advenerat Co-  
 mes Carolus Rossetus Ferrariensis, mis-  
 sus ab Urbano VIII. Papa Nuntius Apo-  
 stolicus ad Henricam Angliæ Reginam  
 Catholicam, quam unacum Rege, to-  
 tæque Curia sibi conciliavit, & eximio  
 Zelo cum pari doctrina & prudentia  
 conjuncto, verbis & scriptis institit, ut  
 Carolus Rex Catholicam fidem profite-  
 retur, pollicitus eidem a summo Pon-  
 tifice auxilia sat valida contra Purita-  
 nos seu Calvinistas rebelles: Verum ob  
 perfidæ hujus gentis insidias, acerbio-  
 nis tumultus metum, necnon Sectario-  
 rum tumultuantium furorem hic Nun-  
 tius primo delitescere, tum clam ex  
 Regno profugere coactus est. Nec fe-  
 liciore successu Edini generalia habe-  
 bantur comitia; quamvis enim Tra-  
 querius Comes a Rege Deputatus dextre  
 præpedieret, ne rebelles Glascuanæ Sy-  
 nodi, quam invito Rege prosequerentur,  
 acta confirmari peterent, nihilominus  
 prævalente eorum numero Rex consen-  
 tire cogebatur, ut Liturgia, Canones,  
 consecratio, Ordinatio, & Magistratus  
 ad formam Inquisitionis Hispaniæ intro-  
 ductus, necnon quinque Pertheses  
 articuli, Episcopale Regimen, & Sy-  
 nodi ab anno hujus sæculi sexto usque  
 ad annum decimum octavum celebratæ  
 abole-



**Sæc. XVII** abolerentur. Nec his contenti, ut Regi  
**A. C. 1639.** majorem adhuc caussarent molestiam,  
 insuper omnes jurato compulerunt, ut  
 cōventioni, in qua *quatenus quinque  
 Perthensium articulorum, Episcopalis Re-  
 giminis abolitio, & Ecclesiasticorum a ci-  
 vilibus muniis exclusio contineretur*, subscri-  
 berent. Eo etiam temeritatis prolapsi  
 sunt hi rebelles, ut a Rege peterent,  
 quatenus cuncta in his comitiis contra  
 Regis voluntatem decreta in proximo  
 Parlamento confirmari juberet; ipsi  
 vero inconsulto Rege ad *Mensem Ju-  
 lium* sequentis anni novam Synodum  
 generalem Aberdoniæ celebrandam  
 indixere.

Dissolutis hisce comitiis, mox die  
 decima Septembris Senatus, seu Par-  
 lamentum habebatur, quod tamen,  
 cum ex Viris regiæ auctoritati infensis  
 constaret, nil intentatum, inausumque  
 reliquit, ut Regis consilia penitus e-  
 verteret, & pro rebellium causa di-  
 fertius quam unquam, conductitia abs-  
 dubio facundia, peroraret: Invaluerat  
 in Scotia lex trecentorum omnino an-  
 norum usu firmata, vi cujus quadra-  
 ginta Viri, atque inter eos octo Eccle-  
 siastici ante primam Parlamenti Sessio-  
 nem eligerentur: cum vero hujus Par-  
 lamenti Senatores, Episcopalem Or-  
 dinem penitus abolere, fixum decre-  
 tumque



tumque haberent, hinc veterem hunc Sæc. XVII.  
 eligendi modum præprimis exclusis om- A. C. 1639.  
 nibus Episcopis, immutarunt, hac ra-  
 tione Regis consilium elufuri, qui qua-  
 tuordecim Præcones vel Abbates Epi-  
 scopis subrogandos nominare intende-  
 rat: Cedere tamen cogebatur Rex, in  
 cujus odium insuper decrevere, ut  
 deinceps nullus alienigena, nequidem  
 natione Anglus sine Parlamenti con-  
 sensu Gubernator, Judex &c. a Rege  
 nominari posset: cum ergo Carolus Rex  
 suam auctoritatem hisce decretis gravi-  
 ter lædi cerneret, suo Deputato nego-  
 tium dedit, ut hoc Parlamentum dis-  
 solveret, hos vero, qui illud contra  
 Regis mandatum prorogare, ausi fo-  
 rent, perduellionis reos esse declara-  
 ret. Enimvero rebelles conventui suo  
 finem imposuere, non tam obsequendi  
 studio, quam Regi petulantius decla-  
 randi animo, quod ejus Deputatus Co-  
 mes Traquerius „absque ipsiusmet  
 „Parlamenti consensu, illud dissolvendi  
 „facultatem nullam haberet; proin-  
 „si funesti exin tumultus & mala  
 „sint oritura, ea nequaquam Parlamen-  
 „to imputanda, utpote quod pro Ec-  
 „clesiæ & Regni conservatione remedia  
 „magis opportuna contra impendentes  
 „calamitates, & turbas opponere co-  
 „geretur. „ Percepta hac declaratione  
 Rex



Sæc. XVII. Rex Traquerium e Scotia Londinum  
 A. C. 1639. evocabat, ut totam rei gestæ seriem  
 coram sanctiore Regis Senatu referret, ubi comperta rebellium pertinacia Senatores Aulici Scotos armorum vi ad obsequium esse compellendos, unanimi suffragio decrevere: Maluit tamen Rex populi sui obsequium tentata clementiæ via, propriæque suæ autoritatis imminutione prius emere, quam ex Regiæ Majestatis Zelo subditorum sanguinem profundere: eapropter, priusquam ad arma descenderet, Edinensibus concessit, ut Londinum Deputatos ablegarent, qui post initam pacificationem attentata purgarent. Advenere quatuor ab Edinensibus ablegati, qui de excusanda temeritate adeo non erant solliciti, ut potius aucta pervicacia, cuncta in comitiis decreta a Parlamento rata haberi, sibi que Tarquerii relationem coram Rege factam scriptotenus tradi, seque coram quibusdam tam Angliæ quam Scotiæ Senatoribus audiri postularent. Igitur ad eorum vota Rex ex Anglico Senatu quosdam nominabat, coram quibus Scoti suas rationes exponerent. Verum hi regios hosce Senatores rejiciunt, causati, se ad Regem, non vero ad Angliæ Senatium, cui nulla in Scotos jurisdictio competeret, missos esse. Ut ergo Rex omnem



omnem cavillandi occasionem remove-  
ret, ipſus eorum vindicias, quas Low-  
donus fuſiore oratione expoſuerat, ex-  
cepit; cum vero hi inſuper cum Rege  
ſuo paciſci præſumerent, Angliæ Sena-  
tus eiſdem repoſuit, illos duntaxat eo  
ſue fuiſſe miſſos, ut de ſuis auſibus  
rationem redderent, non vero ut cum  
Rege ſuo paciſcerentur. Non deerant  
tamen ex iſtis Angliſ, qui Scotiæ De-  
putatos ad novum bellum Regi inferen-  
dum incitarent: quinimo iidemmet hi  
Deputati Franciæ Regem datis literis,  
ut Scotiam invaderet, ſollicitabant:  
quocirca Carolus horum perſidiam e-  
doctus, illos perduellionis convicit, ac  
decima tertia Septembris die Lowdo-  
pum, & Clobvillam Londinenſi Turri  
includi juſſit: die autem decima quinta  
Decembris Laudo Archiepiſcopo, &  
Wentwortho Nobili inſtigantibus, no-  
vum in Anglia Parlamentum con-  
vocavit.

## §. XCIX.

*Judicialis Inquiſitio in ſcripta Joan-  
nis de Verger San-Cyrani Ab-  
batis Pariſiſ facta.*

Postquam Sai - Cyranus Abbas de *Abbelly. vita*  
perniciſis doctrinis ſuſpectus ex *S. Vincent.*  
Regis mandato Vincenneniſi arci anno  
priori



Sæc. XVII. priori die decima quinta Maij fuerat  
A. C. 1639. inclusus, mox intercepta sunt omnia  
 illius scripta, & epistolæ, quas inter  
 præter plurimas ad Arnaldum Andillyum, & Jansenium, & ab his ad illum  
 datas, deprehensæ quoque fuerunt literæ ad S. Vincentium a Paulo Parisiis  
 die vigesima Novembris ante biennium exaratæ, in quibus sanctum hunc  
 Congregationis Missionis Fundatorem de habitis inter se colloquiis interpellans,  
 de sua tam huic sancto, quam ejus Congregationi obsequia præstandi voluntate,  
 de suis opinionibus plurium Præsulorum suffragio approbatis, necnon de quibusdam præfatae  
 Congregationis exercitiis Deo minus gratis, necnon de pluribus aliis mentionem  
 insperit, ob quæ Vincentii testimonium ad San-Cyranum erroris convincendum  
 expe-tebatur; habebatur enim de ejus doctrina quæstio, productisque testibus,  
 ac quæstionibus ex juris forma habitis Prierensis Abbas, Tardifus alias  
 intima familiaritate San-Cyrano junctus, necnon Antonius Vigerius Patrum  
 de doctrina Christiana Præses, & Pormorantus Abbas, Victonius Regis Sacellanus,  
 & Cauletus Apamientis Episcopus, pluresque alii de periculosa San-cyrani  
 doctrina ore & calamo propugnata testimonium reddidere. Præ-  
 terea



terea Episcopus Lingoniensis, & S. Vincentius a Paulo, necnon Pater Gontrenus in testes etiam vocabantur, qui tamen tribunali ac Judici profano sefultere renuentes, sua chirographa, atque in iis exarata testimonia Richelio Cardinali tradidere.

Quod vero S. Vincentius in jus vocatus fuisset, non modo præfata San-Cyrani epistola ad eum data, sed maxime nota familiaritas, quam ei cum illo intercessisse, compertum erat, iudicibus ansam præbuit; postquam enim San-Cyranus Lovanio Parisios venerat, Vincentius hunc Virum, cujus eruditio, ac probitas existimata tum in ore & sermone omnium versabatur, sibi suæque novellæ Congregationi oppido proficuum fore autumabat, quocirca simulata ejus austeritate, & Ecclesiæ reformandæ Zelo deceptus, eundem frequentius invisit, & quamvis semper ipsius personam coluisset, errores tamen, quos postea detexerat, acriter infectatus est: eodem tamen tempore, quo hic sanctus velut Apis argumentosa salubrium consiliorum mel suxerat, San-Cyranus frequentioris colloqui ope, sensim errorum venena, insperlis sanctissimis quibusque doctrinis occultata instillare, atque in ejus Congregationem propagare tam dextre adlaborabat, ut

*Hist. Eccles. Tom. LX.*      Y      intel-

Sæc. XVII.  
A. C. 1639.



Sæc. XVII. intellectus minus perspicax, & volun-  
A. C. 1639. tas in bono minus obfirmata, ac erat

Vincentii, ægre latens toxicum detexisset: Cum ergo Vincentio Abbatis hujus opiniones indies magis suspectæ, ac noxiæ viderentur, quadam die studiose de quodam Calvini errore sermonem cum illo habuit, mox vero attonitus hæsit ad temerarias voces, quibus Abbas adversas partes amplexus, hujus Hæresiarchæ errorem tuebatur: Cumque opponeret Vincentius, hanc Calvini Doctrinam ab Ecclesia damnatam esse; ille contra respondit, Calvinum non adeo malam causam sibi tuendam sumpsisse, at male sustinuisse: postmodum hæc verba subjunxit: *bene sensit, male locutus est.*

In alio congressu, cum San-Cyranus incaluisse disputando, & summa vehementia Doctrinam defenderet a Concilio Tridentino inter falsas & hæreticas relatam, Vincentius tum maxime ratus, se charitatis lege teneri, ut hominem redargueret, *mi Domine, ajebat, nimia tua opinandi libido est, quæ extra orbitam raperis. Quid? petisne, ut Doctori privato erroribus obnoxio, qualis tu es, plus fidei, & authoritatis tribuam, quam Ecclesiæ, quæ Veritatis Columna est? Ista me docet hoc, tu defendis, quod illi est contrarium. Quæso mi Domine, quo*



pacto audes tuum unius iudicium præferre Sæc. XVII.  
 iudicio tot præstantissimorum Virorum, ac A. C. 1639.  
 Præfulum in Concilio Tridentino congrega-  
 torum, qui rem hanc communi voce, &  
 sensu definierunt? ne verbum mihi amplius  
 de hoc Concilio, reposuit Abbas: erat  
 Concilium Papæ, & Scholasticorum, in  
 quo omnia factionibus, coitionibus, & sus-  
 fragiorum prensationibus agebantur. Sub  
 aliud tempus Vincentius, cum in tem-  
 plo B. Virginis ad aram fecisset, ad eun-  
 dem Abbatem accesserat invisendi gra-  
 tia: reperit tamen eum suo inclusum  
 cubiculo, ex quo aliquanto post tem-  
 pore prodeuntem Vincentius subridens,  
 usitata sua suavitate, & comitate in  
 hæc verba alloquitur: *fatere Domine;*  
*nunquid in Commentarios interea retulisti*  
*quædam aliquem animi sensum, quem tibi in*  
*oratione matutina suggessit Deus?* Ad  
 quod Abbas: *ingenue confiteor tibi, ma-*  
*gna mihi lumina largitum esse Deum, &*  
*adhuc largiri: is docuit me, nullam am-*  
*plius in terris existere Ecclesiam; & cum*  
*videret Vincentium ex hoc Sermone*  
*subito stupore defixum, nulla, repetiit,*  
*nulla amplius in terris existit Ecclesia: Au-*  
*thore Deo didici, plura, quam quinque*  
*aut sex sæcula jam fluxisse: ex quo illa*  
*collapsa, & inter ruinas suas sepulta est.*  
*Antehac Ecclesia ingentis fluvii speciem ge-*  
*rebat, qui ab ipso fonte arcessitus puris,*  
 X 2 *& lim-*



Sæc. XVII. *Et limpidis aquis fluebat: at modo id, quod  
A. C. 1639. nobis videtur Ecclesia esse, non nisi limus,  
Et cœnum est. Alveus tam nobilis fluvii  
idem etiamnum est, sed non sunt eadem aquæ.*

Quid? excepit Vincentius, majorem tu fidem habes privatis tuis opinionibus, quam verbis Jesu Christi, cujus certissimum illud effatum ac promissum est, edificaturum se Ecclesiam suam supra petram, nec unquam portas inferi adversus illam prævalituras esse? Ecclesia est ipsius sponsa: non illam repudiabit unquam; Spiritus Sanctus, eidem semper adest, & errare non sinit. At Abbas, verum quidem est, subjecit, Jesum Christum Ecclesiam suam ædificasse supra petram, sed est tempus ædificandi, & est tempus destruendi. Erat illa Christi sponsa; sed modo prostituta est, & adultera: propterea eam Christus respuit, & abjecit, vultque, ut ei substituatur alia, quæ integram sibi fidem præstet. Ad hæc cum reponeret Vincentius, nimium sane Abbatem recedere a cultu & observantia, quam deberet veritati; illud quoque addidit, oporteret omnino, ut penitus ingenio suo dissideret, neque de his rebus proprio spiritui, qui tam peruersis opinionibus imbutus esset, unquam acquiesceret. Demum post aliquot concertationes a se invicem discessere. Hæc referunt Molinistæ.

Ab eo temporis momento Vincentius cum San- Cyrano caute admodum,  
& po-



& potius miserationis affectu, quam indignationis impetu accensus agebat; suum tamen amicum in novæ hæresis abyssum præcipitem ruere, veritus, non modo veteris amicitiae jure, sed Christianæ charitatis lege adactus, ultimum remedium opponere statuit, eundem gravibus oppido verbis hortatus, ut suum Judicium Ecclesiæ submitteret, Sacri Concilii Tridentini decretis obsequeretur, erroneasque opiniones, quas propugnare videretur, ex animo damnaret; illas vero Ecclesiæ doctrinis recta adversari, invicte demonstratum ibat Vincentius. Ægerrime hæc monita ferebat San-Cyranus, desuper in præfata epistola de Vincentio questus, quod quatuor ejusmodi admonitionibus quintam addere haud contentus, vexationes contra se motas augere, atque in sui ruinam ceteris sese jungere voluerit.

## §. C.

*S. Vincentii testimonium in causa Abbatissæ San - Cyrani.*

Die trigesima prima Martii Vincentius coram Lescoto Theologiæ Doctore, ac postea Carnutenfi Episcopo Richelii Cardinalis Deputato ex mandato Joannis Francisci Gondii Parisien-

Y 3

sis



Sæc. XVII. A. C. 1639. sis Episcopi comparuit, ac præfatio de  
 veritate dicenda juramento ad quæstio-  
 nes sibi propositas circa San- Cyran-  
 Abbatis opiniones, de quibus fuerat  
 accusatus, hæc respondit.

I. „Ego Vincentius a Paulo, Con-  
 „gregationis Sacerdotum Missionis Su-  
 „perior circiter quinquaginta annos na-  
 „tus fateor, quod epistola mihi a Le-  
 „scoto exhibita, non alia sit, quam  
 „quæ a San- Cyrano ad me die vigesi-  
 „ma Novembris anno Christi millesimo  
 „sexcentesimo trigesimo septimo Pari-  
 „siis data est. Fateor quoque, San- Cy-  
 „ranum mihi per quindecim circiter an-  
 „nos cognitum fuisse, hocque tempore  
 „me sæpius familiariter eidem collo-  
 „tum, illumque tanquam Virum in  
 „paucis probum coluisse, exeunte au-  
 „tem anno præfato, me in Mense Octobri  
 „ad ipsius ædes accessisse, eundemque  
 „de rumore contra eum sparso ob quas-  
 „dam opiniones, & praxes, Ecclesie in-  
 „stitutis adversas a se propugnatas ad-  
 „monuisse, de numero autem harum  
 „opinionum haud ultra memoriam ha-  
 „beo, præter alias tamen infra scriptas  
 „recordor, ipsum dixisse, *quod aliquibus*  
 „*Personis per tres aut quatuor Menses pa-*  
 „*nitentiam injungat, priusquam illis abso-*  
 „*lutionem impertiatur.* Hoc monitum  
 „meum sat pacate excepit, sui tamen



„responsi desuper dati exactam haud  
 „ultra memoriam habeo: Hæc duntaxat  
 „inter San-Cyranum & me, nullo alio  
 „præsente, gesta sunt.,”

II. „Mihî videtur, Abbatem, Oli-  
 „verium, Cauletum, & Prierensem  
 „Abbatem ad me dixisse, quod San-  
 „Cyranus præfatam doctrinam teneat,  
 „præter plura alia, quorum amplius  
 „non recordor, Cauletum quoque mihi  
 „dixisse, quod cum San-Cyrano collo-  
 „cutus, ipsum absonis quibusdam opi-  
 „nionibus infectum crediderit, dumque  
 „a me peteret, utrum consultum judi-  
 „cem, si se eidem instituendum trade-  
 „ret, respondi Cauleto, quod ob præ-  
 „fatas opiniones, quibus offensus fuif-  
 „set, sese ejusdem directioni nequaquam  
 „committeret, nescio autem, an ad-  
 „diderim, quod nequidem ejus fuere-  
 „tur commercio: pariter ignoro, quo  
 „tempore, aut per quem præfatam epi-  
 „stolam receperim.,”

III. „Nunquam San-Cyranus mihi  
 „aperuit, quid ipsi in nostra Congre-  
 „gatione displicuerit, aut quosnam de-  
 „fectus, prout in prædicta sua epistola  
 „insinuat, deprehenderit.,”

IV. „Haud recordor, me unquam  
 „nostræ Congregationis Sacerdotibus  
 „inhibuisse, ne cum San-Cyrano ver-  
 „sarentur.,”

Y 4

V, Ne-



**Sæc. XVII.** V. „Nescio, quorsum ea spectent in  
A. C. 1639 „ejus epistola; dum nostræ Congrega-  
 „tionis initia, eoquod sit in eo loco,  
 „ubi nunc est, stabilita, reprobet, nec  
 „etiam intelligo illam contradictionem  
 „publicam, quam contra nos excita-  
 „tam, eamque in causa fuisse scribit,  
 „quod mentem suam merito mutaverit  
 „ille, cui nostram fundationem in ac-  
 „ceptis referre tenemur: nisi forte lo-  
 „quatur de lite, quam Monachis ad  
 „S. Victorem intentavimus, in qua lite  
 „San - Cyranus nobis adstitit. Nec e-  
 „tiam scio, qualis fuerit illa vexatio,  
 „sibi intentata, & in qua se a me dere-  
 „lictum scribit, nec qualis fuerit iste  
 „motus, vel triplex cabala contra  
 „ipsum facta. „

VI. „Pariter mihi incognitum est il-  
 „lud beneficium, quod nostræ Congre-  
 „gationi impendere voluisset, nisi per  
 „me fuisset præpeditus, nisi forte per  
 „illud intelligat, quod ego suæ senten-  
 „tiæ circa nostram Congregationem ac-  
 „quiescere noluerim: Jam autem nul-  
 „lum consilium mihi suggestit circa  
 „Congregationis directionem. „

VII. „A die, quo San - Cyranus Pa-  
 „risios reversus est, unica vice illum  
 „in ædibus suis inuisi, ubi de rebus in  
 „sua epistola contentis nihil collocaui  
 „sumus, nisi quod eidem grates repen-  
 „derim,



„derim, eoquod sese exonerarit erga <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 „me, intellexi autem, quod in præfata <sup>A.C. 1639.</sup>  
 „epistola indignationem suam contra  
 „me deposuerit: nec memini, quod cui-  
 „piam dixerim, me hanc epistolam re-  
 „cepisse, vel illam ostendisse, nisi Domi-  
 „no Dozenato..

VIII. „Ideo eam asservavi, ut osten-  
 „dere valeam, quod San- Cyrani opi-  
 „nioni, nec ceteris, de quibus postula-  
 „tur, adhæream, si forte in eum fie-  
 „ret inquisitio, quamprimum vero, aut  
 „biduo post, postquam Lobardemon-  
 „tius ex Cardinalis mandato me de hac  
 „epistola interrogavit, mox illam ad  
 „eundem Cardinalem attuli: falsum ta-  
 „men est, quod Barcosus, aut Singli-  
 „nus ad me venerint, supplicatum, ne  
 „contra San - Cyranum quid sinistri  
 „deponerem..

IX. „Nunquam San - Cyranum ap-  
 „pellavi Magistrum meum: nescio au-  
 „tem, cur prædicta epistola non fuerit  
 „sigillo clausa, recordor tamen, quod  
 „illa chartæ sigillatæ fuerit inclusa, nec  
 „tamen ulla alia epistola eidem com-  
 „pacta..

„Triduo abhinc a Domino Tardifo  
 „percepi, hujus epistolæ exemplum  
 „inter San - Cyrani scripta post ejus  
 „captivitatem intercepta, fuisse reper-  
 „tum, atque ab Antistite Monialium  
 „Picta-



Sæc. XVII. „Pictaviensium de Visitatione B. V.  
A. C. 1679. „exaratum, &, ni fallor, idem Tardi-

„tus dixit, ipsam epistolam mihi per  
 „præfatam Sanctimonialem fuisse trans-

„missam, sed de hoc mihi nihil constat „  
 X. „Ab eadem vero Moniali nullam  
 „aliam recepi epistolam circa San-Cy-  
 „rani opiniones & praxin vel alias ejus-  
 „modi materias, recepi tamen circiter  
 „ante quatuor annos unam vel alteram  
 „circa ipsarum Conventum, ad cujus  
 „fundationem apud Pictaviensem Epi-  
 „scopum San-Cyrani opera usus sum:  
 „& hæc sunt omnia, quæ mihi circa  
 „hanc epistolam constant.”

XI. „Circa reliquas quæstiones mihi  
 „a Lescoto factas, scilicet, an ex ore  
 „San-Cyrani non perceperim, a quinque  
 „aut sex sæculis Ecclesiam a Deo fuisse  
 „destructam, juxta illud Salomonis:  
 „*Tempus est destruendi, ac depravatio-*  
 „nem in ipsum etiam dogma irreplisse,  
 „respondeo, me talia semel ab eo per-  
 „cepisse, sicut & hæc: *videtur, quod*  
 „*hi, qui eam defendunt, contra Dei men-*  
 „tem agant: hæc tamen ab eo prolata  
 „mihi videntur occasione discursus hæ-  
 „biti de Dei Judicio & morum corru-  
 „ptione: hæc quidem ejus propositio  
 „ab initio me offendit; cogitabam ta-  
 „men postea: fors id dixit in eo sensu,  
 „quo dictum fuisset de Clemente VIII.  
 „ipsum



ipsum plorasse, eo quod Ecclesiam in Sæc. XVII. Europa desolatam crederet, cum illa A. C. 1639. interim ad Indos usque se extenderet.

reliqua autem ipsius verba, interpretanda censui per San - Cyrani actiones, quarum potissimæ per totam vitam suam sese ad Ecclesiæ defensionem extendebant, prout testantur ejus scripta, & quæcunque pro animarum salute fecit, & fieri curavit.,

XII. „Ad quæstionem, an ipsum non audiverim dicentem, quod Papa, & Episcoporum potissimi . . . non efficiant Ecclesiam, utpote vocatione, & gratiæ Spiritu orbat: respondeo, quod hæc nunquam ab eo proferri audiverim, nisi quod semel dixerit: *quod plures Episcopi aulæ favore fuerint procreati, nullamque vocationem habeant*: nunquam tamen vidi hominem, qui illo magis Episcopatum coluisset; maximi etiam habuit defunctum Convenensem Episcopum, & Franciscum Salesium, quem Beatum appellabat.,

XIII. „An autem nunquam audiverim dicentem, quod Concilium Tridentinum Ecclesiæ doctrinam immutavit, nec legitimum sit Concilium? respondeo non, dixit tamen, in hoc Concilio fuisse contentiones.,

XIV. „Ad quæstionem, an ipsum dixisse sciam, quod sit abusus, si absolutio



Sæc. XVII. „lutio statim juxta usitatam praxin post  
 A. C. 1639. „confessionem detur, sed prius satisfaci-  
 „endum sit? respondeo; quod non,  
 „ipsum tamen de pœnitentia ante abso-  
 „lutionem, audivi loquentem, sub qui-  
 „bus tamen terminis non recordor, ex  
 „experientia tamen desumi potest ho-  
 „rum verborum sensus, quia Missiones  
 „nobis erexit in suis Parochiis, nobis-  
 „que obtulit sæpius Prioratum, quem  
 „prope Pictavium possidet; cui libet au-  
 „tem notum est, quod nos facere solea-  
 „mus id, quod in hac quæstione con-  
 „tinetur. „

XV. „An non dicentem audiverim,  
 „quod Justus nullam aliam habeat le-  
 „gem, quam interiores gratiæ motus,  
 „ut vivat in libertate Filiorum Dei, &  
 „quod vota sint imperfecta, & libertati  
 „Spiritus Divini adversantia? respon-  
 „deo, me hæc ab eo non percepisse,  
 „quandoque tamen extulit internas gra-  
 „tiæ motiones, allegando D. Pauli verba:  
 „*justo lex non est posita*, quare autem sic  
 „has motiones deprædicarit, & in  
 „quem finem Apostoli verba allegarit,  
 „nescio: quantum ad vota, dubito, an  
 „hæc ipsum dixisse audiverim, scio au-  
 „tem, quod Nepoti Ordinem Fratrum  
 „Capuccinorum in Provincia Tolosana  
 „profitenti adstiterit, ipseque Filium  
 „cu-



Sæc. XVII.  
A. C. 1639.

„cujusdam Amici sui ad Carmelitas  
„excalceatos conduxerit.,

XVI. „Utrum dicentem audiverim,  
„Jesuitas, ceterosque Religiosos recens  
„exortos, qui sese Clericorum functio-  
„nibus ingerunt, esse extirpandos? re-  
„spondeo, quod quasdam Jesuitarum  
„opiniones præcipue circa gratiam ab  
„eo reprehendi perceperim; & ni fal-  
„lor, dicentem audivi, quod si posset  
„Jesuitas, vel eorum quosdam perdere,  
„id faceret, licet etiam ipsum de eo-  
„rum ordine magna dicentem elogia  
„audiverim, insuper mihi videtur, il-  
„lum dixisse, quod Societati malum  
„non velit, imo pro ea, & pro singu-  
„lis vitam suam prodigere paratus  
„sit, dum vero dixit, quod eos, si  
„posset, perderet, credo, quod duntaxat,  
„illis Theologiam tradendi licen-  
„tiam auferri voluisset.,

„Circa plures alias quæstiones v. g.  
„an contritio perfecta sit absolute neces-  
„saria ad pœnitentiam, an duntaxat  
„vere contritis absolutio dari possit, vel  
„quod absolutio non remittat peccata,  
„sed duntaxat jam remissa declaret,  
„scilicet in virtute contritionis, quæ  
„absolutionem præcessit, & præcedere  
„debet, quod venialia non sint materia  
„sufficiens absolutionis Sacramentalis,  
„nec sit necessarium, confiteri nume-  
„rum



Sæc. XVII. „rum peccatorum mortalium nec cir-  
A. C. 1639. „cumstantias speciem mutantes, quod  
 „vera fides non possit distingui a cha-  
 „ritate, quod Ecclesia sexcentis abhinc  
 „annis non sit vera Ecclesia, circa hos  
 „articulos, inquam, pluresque alios ab  
 „Lescoto mihi propositos respondeo,  
 „quod talia a San - Cyrano proferri non  
 „audiverim: Hæc nec plura sunt, quæ  
 „de præfato Abbate scio. Scripsi hæc  
 „cuncta propria manu, & rursus reco-  
 „gnita confirmo, & meo sigillo manio.

*Vincentius a Paulo.*

Tale erat S. Vincentii testimonium  
 de San - Cyrani Abbatis opinionibus,  
 quas idem Sanctus æque ac Janseii,  
 Arnaldi, ceterorumque errores vehe-  
 menter perstrinxit, ac confutavit.

§. CI.

*Fabritii Verospii Cardinalis obitus.*

*Ciacon. in* **E**x Purpuratis hoc anno sex supre-  
*vita Urban.* mum obiire diem, quos inter cete-  
*VIII.* ris prior abreptus est Fabritius Vero-  
*Vid. supra* spius, patria Romanus, qui omnibus  
*l. 191. §. 25.* scientiis Viro Ecclesiastico dignis excul-  
*p. 97. t. 56.* tus, per varios dignitatum gradus ad  
 Perusinam & Umbrientem Præfectu-  
 ram, ac demum ad Purpuram ascen-  
 dit. Præclara semper præstitit Sedi  
 Apo-



Apostolicæ obsequia, præcipue dum dis- Sæc. XVII.  
 sidium inter Papam & Magnum Etru- A. C. 1639.  
 riæ Ducem ob Arni fluvii inundationes  
 exortum mira dexteritate composuit:  
 Eius quoque opera feliciter utebatur  
 Gregorius XV. dum Kleffelium Cardina-  
 lem captum sibi tradi, a Cæsaris fra-  
 tribus petebat, misso Viennam Veros-  
 pino, qui Viennenses Magistratus, in-  
 tentata, ni protinus Kleffelium trade-  
 rent, anathematis pœna eo perduxit,  
 ut captum Cardinalem eidem restitue-  
 rent. Tandem obiit Verospinus Romæ  
 die vigesima septima Januarii anno æta-  
 tis octavo supra sexagesimum, sepultus  
 in SS. Triadis Templo in Monte Pincio.

## §. CII.

*Dominici Ginnesii Cardinalis mors.*

Paulopost eadem legis necessitate vi- Ciacon. in  
 vis valedixit Dominicus Ginnesius vita Clem.  
 in patria Romanus, qui utriusque VIII.  
 Jurisprudentiæ laurea Bononiæ deco-  
 ratas, sub Gregorio XIII. Sixto V. &  
 Clemente VIII. Legationibus, aliisque  
 officiis cum summa laude defungeba-  
 tur. Recusabat sibi a Clemente Papa  
 oblatum Thesaurarii Pontificii munus:  
 Sipontinus tamen Archiepiscopus antea  
 renunciatus, & postmodum Cardina-  
 lium Collegio adscriptus solis virtutibus,  
 meri-



Sæc. XVII. A. C. 1639. meritisque Purpuram debuit, quam ut pretiosiore cælo redderet, omne pauperum genus sublevavit in terris, fuitque in sumptu parcus, atque ab omni luxu alienus, ut eo largiore manu Eleemosynas profundere posset: Aluit affligentis ad hoc redivitibus pauperes studiosos numero duodecim, partemque sui Palatii in Monasterium Sacrarum Virginum Carmelitarum Discalceatarum convertit, annuoque reditu dotavit: Postmodum Episcopus Ostiensis nominatus, Divinum cultum Templo & Xenodochio ibidem extracto, Sacello Veletris ædificato & munificentissime exornato, Ecclesiis in urbe Carpenteractensi, Templo in monte Gargano dotatis, extractoque ac amplissimis proventibus pro octo puellis fundato Monasterio D. Dominici Bononiæ mirifice ampliavit: Postremo plenus dierum ac meritorum, postquam apertissime, & sine ambage certam mortis suæ diem assignaverat, Romæ die tertia decima Martii octogenario major ad cælestem Patriam demigravit, non sine maximo piorum desiderio, & pauperum luctu; sepultus est in Ecclesia S. Lucie a se splendide, atque a fundamentis reædificata. Scripsit commentaria in Psalmos, & annotationes in Pentateuchum.



## §. CIII.

*Beringarius Gypsius Cardinalis  
mortuus.*Sæc. XVII.  
A. C. 1639.

Tertius ex Purpuratis hoc anno vita  
functus erat Beringarius Gypsius  
Bononiensis Nobilis, qui a Patruo suo  
Romam evocatus, relicta forensi Curia  
Sacrae militiae nomen dedit, atque a  
Clemente VIII. utriusque, ut vocant  
Signaturæ Referendarius, Locumte-  
nens Civilis, Vicarius, Apostolicæ Vi-  
sitationis Præses, Episcoporum Exami-  
nator, Sacrae Congregationis Secreta-  
rius, Ariminensis Episcopus, & Nun-  
tius Apostolicus apud Venetos renun-  
tius est, demum, postquam omnes  
serme dignitatum gradus esset emen-  
sus, a Paulo V. Urbis Prætor, ab Ur-  
bano VIII. Ducatus Urbini Præfectus,  
& denique Cardinalis nominabatur.  
Nec tamen otiose Purpuram gesserat;  
quippe Vir vere prudens, doctus, æ-  
que ac pius in omnium fere Congre-  
gationum Senatu primas habuit partes,  
totque publicis, gravibusque negotiis  
expediendis distentus erat, ut Arimi-  
nensi Ecclesiæ suæ nuntium remittere  
cogeretur, ne ex diuturna sua absentia  
vobis suis aliquid detrimenti accede-  
ret. Tandem Romæ die sexta Aprilis

*Ughell. Ital.  
Sac. Vito-  
rell. in add.  
ad Ciac.*

*Hist. Eccles. Tom. LX.*

Z

de-



Sæc. XVII. decessit, tumulatus in splendido Sacello a se constructo in Ecclesia Patrum Carmelitarum Discalceatorum sanctæ Mariæ de Victoria, quibus etiam perpetuo Missæ Sacrificio bis singulis diebus celebrando annuos proventus reliquit.

## §. CIV,

*Desiderii de Scalia Cardinalis decessus.*

Hunc pari fato sequēbatur Desiderius Scalia Cremonensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum. Hic post plures sibi ab Ordine suo delatos honores tandem Romæ Magistratum Commissarii Sacræ Inquisitionis consecutus, a Paulo V. eodem die Melphienſi Episcopatu, & Purpura Romana decoratus est, postea a Gregorio XV. ad Comensem Ecclesiam translatus, ea sponte dimissa totum se virtutum studio, & Romanæ Ecclesiæ obsequio dicabat. Erat in consultationibus acerrimus, vividi ingenii, integræ mentis, in benefactores gratus, in amicos officiosus, moribus comis, adeo tamen splendidus, & munificus, ut ære alieno gravatus demum die vigesima secunda Augusti septuagenarius decederet.

§. CV.



§. CV.

*Augustini Galamini Cardinalis  
extrema.*Sæc. XVII.  
A. C. 1639.

Die sexta Septembris decessit Augustinus Galaminius in terra Brisighellæ ortus, qui itidem Prædicatorum Ordini adolescens adscriptus, per omnes ejusdem Religionis gradus ad Commissarii munus Sancti officii, ad Magistratum Sacri Palatii, necnon ad supremam Ordinis sui Præfecturam euectus, a Paulo V. dum Parisiis moraretur, Cardinalis titulo S. Mariæ de Ara cæli renuntiatus est, ubi tamen eodem victu & amictu usus, quicquid ex Laurentanæ & postmodum Auximenæ, quas Episcopus rexerat, Ecclesiarum proventibus supererat, semper in pauperes distribuit: Tanta fidelitate verus Pastor Ecclesiam suam administrabat, ut e Diœcesis suæ finibus nunquam exierit, nisi ut Pontificiis comitiis interesset. Annuas coegit Synodos, & tam plebi suæ, quam Clero sanctissimas leges & statuta saluberrima præscripsit, ipse vero gregis sui exemplum, Ordinis decus, Episcoporum speculum, & Purpuræ ornamentum, sicut magna sanctimoniam fama vixit, ita & meritis dives, & senio gravis fere nonagenarius Auximi

Z 2

obiit,

*Pio de viris  
Ill. Ord.  
Præd. Eck-  
hard Script.  
Ord. Præd.*



Sæc. XVII. obiit, ingenti & ovium & Fratrum lactu  
 A. C. 1639. apud suos sepultus. Edidit acta Synodalia, Institutiones pro Clero Auximensi, Epistolas Encyclicas ad suos Fratres, necnon testamenti sui tabulas.

## §. CVI.

*Ludovicus de Nagarets de la Valeta  
 Cardinalis vita functus.*

*Ferrer. Hist. cont. Hisp. cap. 2. t. 12. pag. 337.* **E**jusdem Mensis die vigesima octava Septembris in Gallicis castris decessit Ludovicus de la Valeta patria Engolismensis, qui non ex animi indole, sed ex Parentis sui voluntate Ecclesiasticum induit, ac pinguisimis beneficiis, & Abbatiis saginatus, tandem ex Tolosano Archiepiscopo Cardinalis renuntiatus est, quamvis nullo Sacro ordine esset initiatus. Postea dimisso Archiepiscopatu ad militare transiit Gallici exercitus regimen, ubi in inferiori Germania Lendrecium urbem vigesima sexta Julii die occupavit, in Belgio in Hispanos movit, atque in Italia Sabaudia Ducissam contra defuncti Ducis Fratres tutatus est. Demum vero Rivolæ morbo correptus obiit, armis magis, quam rebus Ecclesiasticis natus; quocirca Pontifex comperto illius obitu pro eo, utpote non Cardinale, sed

*Vid. supra  
 §. 9.*

Frau-



Franciæ Marescallo consuetas preces in Sæc. XVII.  
 Purpuratorum Collegio fundi noluit, A. C. 1639.  
 propterea vero Galliarum Regis indi-  
 gationem incurrit.

§. CVII.

*Arnaldistæ ex Abbatia Portus Regii  
 in Campis ejeti.*

Cum in Jansenismi Historia frequens  
 occurrat mentio Portus Regii in  
 Campis, haud injucundum erit, suc-  
 cinctam saltem illius subjungere rela-  
 tionem. Hoc nomen igitur inditum  
 erat Abbatiae Ordinis Cisterciensium ab  
 Odone Sullio Parisiensi Episcopo circa  
 Annum Domini millesimum ducentesi-  
 mum quartum pro duodecim Moniali-  
 bus fundatæ, ac sexto lapide ab urbe  
 Parisina distitæ. Augebantur hujus Ab-  
 batiae reditus liberalitate ipsius S. Lu-  
 dovici Franciæ Regis, insuper Hono-  
 rius III. Papa amplissimos eidem con-  
 tulit favores, concessitque, ut Laici  
 tedio hujus sæculi ad vitæ correctio-  
 nem permoti in segregato ædificio sa-  
 latis portum invenire possent: unde  
 accidit, quod plures generis nobilitate,  
 ac scientia celebres Viri relicto sæculo  
 ad ædes, ubi olim S. Theobaldus hu-  
 jus Abbatiae Superior habitabat, soli-  
 tudinis ac pietatis amore confugerint:

*Racin. Abr.  
 Hist. de  
 Port-Royal.  
 Heliot. Hist.  
 des Ordr.  
 p. 4. c. 44.  
 tom. 4.*



**Sæc. XVII.** Exeunte autem sæculo decimo sexto  
A. C. 1639 regularis disciplinæ fervor aut ætatis  
vicio, aut civilium bellorum licentia  
pene extinctus videbatur: Maria au-  
tem Angelica Arnaldina, quæ pro con-  
fucta illius ævi corruptela ad Patris sui  
preces ab Henrico IV. Regenonnisi un-  
decim annos nata in Abbatissam sue-  
rat nominata, lapsam disciplinam ad  
vetera Ordinis sui instituta revocare  
aggressa est, superatisque pene in-  
numeris obstaculis & oppositionibus in  
pluribus aliis Monasteriis SS. *Benedicti*  
& *Bernardi* Spiritum resflescere fecit,  
egregiam opem præstantibus S. Fran-  
cisco Salesio, & Francisca de Chantal.  
Hisce monialibus sese aggregabat Ma-  
ter Agnes Arnaldina Angelicæ Soror,  
quæ San - Cyrana Abbacia Regi resti-  
tuta, circa annum hujus sæculi deci-  
mum nonum in Portus Regii Coadju-  
tricem nominata, Constitutiones a Jo-  
anne Francisco Gondio Parisiensi Archi-  
episcopo approbatas conscripsit. Post-  
quam vero Monialium numerus ultra  
Monasterii vires, & ambitum accre-  
verat, atque ex ipsius loci angustiis Mo-  
niales crebris ægrotudinibus infestaren-  
tur, anno Christi millesimo sexcentesi-  
mo vigesimo quinto Mater Angelica om-  
nes Religiosas Virgines ex Portu Regio  
transtulit ad amplius Asceterium, quod  
eius



ejus Mater Catharina Arnaldina in Pa-  
 risiensi suburbio ad S. Jacobum suo ære  
 erexerat. Favebat hisce Monialibus  
 summopere Maria Medicæa Franciæ  
 Regina, ad cujus preces Ludovicus  
 Rex ejus Filius ab expeditione Rupel-  
 lensi redux, annuente etiam Urbano  
 VIII. Papa anno hujus sæculi vigesimo  
 nono concessit, ut deinceps hujus Mo-  
 nasterii Abbatissa haud amplius ex Re-  
 gis nominatione, sed Monialium ele-  
 ctione quolibet triennio innovanda fie-  
 ret, ac deinceps non ultra Cistercien-  
 sium Ordinis Præposito, sed Parisiensis  
 Episcopi jurisdictioni subesset. Fausta  
 hæc auspicia paulopost turbabantur dif-  
 fidiis ob invecum novum quoddam in-  
 stitutum perpetuæ adorationis SS. Sa-  
 cramenti exortis, quibus accedebat  
 controversia de arcana corona SS.  
 Sacramenti, quam precandi formam,  
 ut supra meminimus, Pontifex æque  
 ac Facultas Theologica damnaverant:  
 Joannes vero Vergerus, cui Rex anno  
 Christi millesimo sexcentesimo vigesimo  
 San - Cyranam Abbatiam contulerat,  
 pro aris & focis propugnabat, & vero-  
 similis ipse pro Religiosis Virginibus  
 Portus Regii composuerat. Dein si-  
 mulatæ San - Cyranæ pietatis studio,  
 ac fallaci verborum profluvio infatuata  
 Mater Angelica familiaris de animæ  
 suæ

Z 4



Sæc. XVII. suæ statu cum eodem versari cæperat, atque improvido prorsus consilio non modo se, sed cunctas Asceterii sui Moniales ejus directioni commisit: inde vero evenit, ut intra exiguum temporis spatium hæ Virgines, quæ prius religiose & in simplicitate cordis sui Deo deserviebant, & frequentem Eucharistiæ & Pœnitentiæ usum in deliciis habebant, a suo Moderatore depravatæ ab utriusque Sacramenti usu sub dignioris præparationis specie averterentur, suisque erroribus immortalæ perirent. Non deerant ex hisce Virginibus nonnullæ, quæ hujus novi Moderatoris fallacias suspicatæ, apud Patrem Vigierium Sacerdotum de doctrina Christiana Præfectum quererentur, se sub novo animo exactius ad Pœnitentiæ Sacramentum disponendi obtentu non nisi post longissimas procrastinationes ab eo absolvi, earumque potissimas ob assiduas hæc dilaciones sensim in tantas conjici angustias, animique curas, ut aliæ ad hoc Sacramentum & Eucharistiam accedere non auderent, aliæ vero ad summam morum licentiam, obdurationem animi vel desperationem inducerentur: nonnullæ etiam S. Synaxin nequidem in Paschate reciperent, sed joco exploderent. Harum igitur lamentis, ac impendentis ruinæ periculo excitatus



citatus Richelius Cardinalis, San - Cy - Sæc. XVII.  
 raum carceri mancipari iussit, Monia- A. C. 1639.  
 les vero relicto Parisiensi Portu Regio  
 ad pristinum Portus Regii in Cam-  
 pis Conventum reversæ sunt. Eo au-  
 tem tempore, quo hæ in Parisino Mo-  
 nasterio degebant, Antonius le Maitre  
 Angelicæ Nepos, Arnaldus, Andil-  
 lyus ejusdem fratres, Sacius pluresque  
 alii, qui se *Solitarios* nominarunt, ad  
 Portum Regium secesserant; nam Ma-  
 ter Angelica, & Agnes Abbatissa in  
 suo Monasterio facultates & locum de-  
 derunt Abbati San - Cyrano, ejusque  
 Doctrinæ faventibus, qui tamen postea  
 de Jansenii erroribus suspecti, inde ex-  
 cedere iussi sunt.

Eodem hoc anno non deerant quam-  
 plurimi, qui apud Richelium Cardina-  
 lem pro Abbate San - Cyrano deprecæ-  
 rentur, quibus tamen ipse reposuit, quod  
 Germania & Francia ex integro adhuc  
 Catholicæ forent, si Lutherus & Cal-  
 vinus in tempore in carceres, ubi haud  
 amplius nocere potuissent, fuissent  
 detrusi.

§. CVIII.

*Collectio tractatum de libertatibus  
 Ecclesiæ Gallicanæ a Regio Se-  
 natu proscripita.*

Z 5

Jam



Sæc. XVII. Jam anno priori ambo Fratres Germa-  
 A. C. 1639. ni Petrus & Jacobus de Puy non  
 modo tractatus de Ecclesiæ Gallicanæ  
 libertatibus sæculo decimo sexto editos,  
 sed etiam varia scripta, in quibus ar-  
 gumenta in harum libertatum & ju-  
 rium defensionem a præfatis Authori-  
 bus allata exponebantur, in unum vo-  
 lumen collegerunt, typisque edi cura-  
 runt. Adversus hanc editionem non  
 modo Apostolicæ Sedis Nuntius, sed  
 & viginti duo partim Cardinales partim  
 Archiepiscopi & Episcopi vehementer  
 obstrepebant: unde eodem anno die  
 vigesima Decembris regius Senatus  
 hunc librum, utpote sine Regis licentia  
 editum, promulgato edicto proscripsit:  
 postea idem liber Sorbonæ Doctoribus  
 ab iis, quæ, salvis tamen veris Eccle-  
 siæ Gallicanæ libertatibus, universali  
 Ecclesiæ adversarentur, expurgandus  
 tradebatur, quorum judicio præfati  
 Præsules adulterinum hunc partum die  
 nona Februarii hujus anni damnarunt,  
 ejusque editionem suppresserunt, hanc-  
 que in rem die decima quarta ejusdem  
 Mensis Cardinales, Archiepiscopi &  
 Episcopi Parisiis tunc agentes episto-  
 lam ad omnes Franciæ Præsules de-  
 dere: nec id mirum videri debet; Cle-  
 rus enim Gallicanus nequaquam inter  
 jura & Ecclesiæ suæ libertates nume-  
 rari



Sæc. XVII.  
A. C. 1639.

rari voluit illas, quæ ad dissolvendam  
cum Ecclesia Romana Matre sua, &  
summo Pontifice ejus Capite unionem,  
aut ad infringendum obsequium filiale  
erga eundem tendunt, cum ergo in  
præfato libro multa fuerint adducta,  
quæ veras libertates destruerent, &  
schismati occasionem præberent, Au-  
storque studiosè varias usurpationes,  
quas potestas sæcularis contra Eccle-  
siam sæpe ex vindictæ æstu attentavit,  
collegerit, atque ex quolibet facto ab  
ipsis etiam Gallis postmodum reprobato  
jus, usum & consuetudinem eruere vo-  
luerit, hinc Clerus Gallicanus a Ludo-  
vico æquissimo Rege petebat, ut una-  
cum Sanctiore suo Consilio & Præsuli-  
bus tandem determinaret, quænam sint  
illa privilegia & libertates Ecclesiæ Gal-  
licanæ, ut veri & laudabiles usus & jura  
ab usurpationibus fecernerentur: Eo  
fine postmodum Ludovicus XIV. anno  
hujus sæculi quinquagesimo primo rem  
discuti, hasque libertates imprimi jus-  
sit: sicut etiam anno sequenti Pithovei  
tractatus de libertatibus Gallicanis una-  
cum commentario in Petrum du Puy  
typis vulgatus est: observandum tamen,  
quod tam Præsulum epistola, quam  
Senatus decretum in nova editione  
commentariorum Cleri Gallicani desi-  
deretur.

§. CIX.



Sæc. XVII.

A. C. 1639.

§. CIX.

*Scriptores Religione Catholici hoc anno denati.*

*Dupin Nouv. Bibl. des Aut. Eccles. pag. 134. Abrege chron. Hist. Eccl. tom. 3. Mira. Script. Sacul. XVII.* Paucos ex celebrioribus Catholicis Scriptoribus hoc anno vita functis adducere lubet, quos inter primo loco occurrit Joannes Wiggerus Lovaniensis Theologiæ Doctor, qui quamvis æque ac Janfenius Jacobi Jansonii Magisterio & familiaritate usus esset, Baii tamen, ejusque dogmatum labes inde in discipulum minime derivata fuit: reliquit enim commentaria in universam D. Thomæ summam, in quibus nil nisi Orthodoxum, summe elaboratum, solidisque principiis innixum reperitur. II. Ferdinandus Santiago Fratrum de Mercede Generalis, qui considerationes in Evangelia, tractatum de contritione, & apologiam pro usu æreæ Monetæ in Hispania edidit. III. Philippus Caroli, qui ejurata Lutheri secta ad fidem Catholicam reversus, scripsit varias lectiones, Antiquitates Ecclesiasticas, & alia nonnulla opuscula. IV. Berlingarius Vigintimillius typis vulgavit Paraphrasin in Psalterium Davidis, in epistolas ad Romanos, Corinthios, & ad Timotheum præter plura alia V. Laurentius de Ponte ex Ord. FF. Minorum edidit



edidit commentaria in Matthæum, & Sæc. XVII.  
 librum Sapientiæ. VI. Paulus Vite- A.C. 1639.  
 lescus Ord. Capuccinorum scripsit Chro-  
 nicon Ordinis sui. VII. Jacobus Bi-  
 dermanus Jesuita, qui præter varia  
 poemata publici juris fecit prolusio-  
 nes, quibus Romani Pontificis digni-  
 tas contra hæresin propugnatur: scripsit  
 etiam libros tres pro miraculis & varia  
 opuscula Theologica decem libris com-  
 prehensa. VIII. Octavius de Tufo iti-  
 dem Jesuita posteris reliquit commen-  
 taria in Ecclesiasticum. IX. Nicolaus  
 Riccardius ex Ord. FF. Præd. ex cujus  
 calamo profluxerat Historia Concilii  
 Tridentini a calumniis vindicata, com-  
 mentaria in omnes S. Scripturæ libros,  
 disputationes in D. Thomam, tractatus  
 de optimo genere interpretandi S. Scri-  
 pturas, de gratia Christi, & conceptio-  
 ne B. V. præter plura alia sat erudita  
 opuscula. X. Thomas Campanella ex  
 eodem Ordine suo ævo doctissimus, fa-  
 torum tamen acerbitate summopere mi-  
 serandus, edidit plusquam centum qua-  
 draginta varii argumenti opuscula,  
 quæ sigillatim Jacobus Gassarellus, &  
 Jacobus Echard in sua Bibliotheca re-  
 censent.

*Nic. Erythr.  
 Pimac. I.  
 p. 41. & 43.*



Sæc. XVII  
A. C. 1639.

§. CX.

*Ex Protestantibus Scriptores nonnulli mortui.*

*Freher.  
Theatr.  
part. I. Sect.  
3. Bayl.  
dict. Hist.  
& Critiq.*

Obiere pariter hoc anno ex Aatholicis nonnulli suis scriptis celebres, & quidem primo Guilielmus Amesius gente Anglus, qui ex odio Episcopalis Regiminis patriam suam deseruit, dein Roterodamensis Professor posteris reliquit tractatum de conscientia, & origine Sabbati, lectiones in Psalmos, Medullam Theologiæ, Puritanismum Anglicanum, explicationem epistolarum D. Petri, & casus conscientiae. II. Albertus Westphalus scripsit relationem necessariam de iniquo contemptu Germanicæ versionis Biblicæ Lutheri & Apologeticum contra errores sub explicationis duarum positionum nomine publicatam. III. Sigismundus Schererzius vulgavit Constantiam Evangelicam, manuale communicantium, captivorum, peregrinantium &c. Speculum tentationum spiritualium, & alios nullius ferme momenti libellos. IV. Franciscus Albanus, mordax nugator & Apostata, qui, ut convitiis in Catholicos effusis apud suos sibi victum compareret, anathomiam Papatus, & Romano-Catholicum Monachorum Asinum con-



confarcinavit. V. Caspar Movius edi- Sæc. XVII.  
dit demonstrationem orthodoxam Ber- A. C. 1639.  
gio oppositam, Anti-Crocium, dispu-  
tationem de Baptismo præter alia.  
VI. Ludovicus Duate scripsit buccinam  
Evangelii, praxin pietatis, & decisio-  
nes caluum conscientiæ. VII. Joanes  
Salkeldus natione Anglus præter  
alia typis vulgavit tractatus de Angelis  
& Paradiso. VIII. Conradus Dietrich  
conscripsit Mysteriologiam Sacramento-  
rum, Pœnitentiam Davidicam, com-  
mentaria in librum Sapientiæ, quæ-  
stiones Theologicas de fanaticismo  
Schwenckfeldianorum præter plura alia.  
IX. Samuel Bohlius edidit com-  
mentarium Biblico-Rabbinicum, tra-  
ctatum contra matrimonia compro-  
vignorum, divisionem Decalogi, &  
commentaria in Malachiam & Proverbia.

## §. CXI.

*Namurcensis Diœcesanæ Synodi acta.*

Immota, qua Engelbertus Desbois *Hartzk.*  
Namurcensis Episcopus flagrabat, *Conc. Germ*  
pastorali sollicitudine accensus, hoc *tom. 9.*  
anno die septima Junii Diœcesanam  
habebat Synodum, cujus celebriora  
adducemus decreta. Igitur præter plu-  
ra alia oppido salubria statuta Synodus  
hortabatur Concionatores, ut diebus  
solem-



Sæc. XVII. A. C. 1639. solemnioribus ita suas Conciones efforment, ut potius catechismum, quam concionem redoleant, & captui populi, quantum fieri poterit, adaptent: insuper calices stanneos, quos idem Episcopus ob temporum iniquitatem non sine magno dolore suo antea permiserat, ab Altari removeri præcepit, iussitque, ut singuli calices parva habeant cochlearia: inhibuit vero, ne herbæ cæmeteriorum ab ullius, nec etiam Parochi animalibus depascantur, nec ibidem lintea dealbentur, accepta in Ecclesiarum vestibulis grana excutiantur, minus vero arbores frugiferae deinceps plantentur, simulque vetitum, ne in supplicationibus puellæ Reliquias vel S. Imagines circumferant. Statuit quoque Synodus, ut infantes illegitime nati, ad Ecclesiam sine solemnitate deferantur, illorumque Matres a puerperio non purificentur: præcepit etiam, ut Confessarii non aliter nisi *teño capite*, & *sedendo* suos poenitentes absolvant: sustulit quoque corruptelam, qua Ecclesiasticorum nonnulli canes suos ad Ecclesiam deduxerunt, & circa Altaria habuere: monuit etiam Ecclesiasticos, ut puerperarum conviviis nunquam, nuptiarum vero rarissime, & tunc ita modeste interfint, ut præsentibus exemplo & ædificationi esse valeant.

§. CXII.



## §. CXII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1640.*Quorundam Principum & Illustrium  
obitus.*

Præter varias calamitates, quibus Imperator iniquissimo hoc tempore *Brachel. Hist. temp. lib. 6.* iactabatur, intimo doloris sensu percepit mortem Philippi Augusti Filii sui; luctum tamen Cæsaris temperabat alter Filius Leopoldus Ignatius Josephus, quem Augusta Imperatrix anno sequenti Viennæ felici puerperio enixa est. Eodem ferme tempore obiit Antonius Wolfartus primo Abbas Cremifanensis, postea Viennensis Archiepiscopus, Vir doctrina, rerumque usu longe celeberrimus, qui itidem Abbatiam pluribus dynastiis auxerat. Pari fato Joannes Philippus Dux Saxo - Altenburgicus Friderici Guilielmi Saxonæ Ducis Filius nulla mascula prole relicta, vivis ereptus est.

## §. CXIII.

*Sueci per Leopoldum Austriae Archiducem ex Bohemia ejecti.*

Nullum non movebat lapidem Ferdinandus III. Imperator, ut Bannarium Suecici exercitus Ducem oblati *Jæger. Hist. Eccl. l. 10. cap. 1. Barre hist. d' Allemagn. con- t. 9. p. 722.* duobus Silesiæ Ducatibus ad pacis

*Hist. Eccles. Tom. LX.*

A a

con- t. 9. p. 722.



**Sæc. XVII.** consilia inclinaret; obtiterant tamen  
A. C. 1640. Galli, qui Sueciæ Reginam, ne Bannerio paciscendi facultatem concederet, absterrebant. Spe ergo sua delusus Imperator Leopoldum Archiducem, quem Gallasso a militari Præfectura amoto, copiis Cæsareis præfecerat, in Bohemiam movere iussit, ut Bannerium inde propelleret. Hic ergo cum valido exercitu progressus, recuperato Regio-Græcio, & Colino, aliisque urbibus qua vi, qua deditioe subactis decem Suecorum equitum turmas ad internecionem delevit, ac Bannerium, ut a Batavis, incassum tamen, suppetias peteret, coegit: occupato dein Leutmerizio & Brandesio Bannerium e tota Bohemia exegit, cæsis plusquam quatuor Suecorum millibus. Fugientem tamen Dux Longevillanus iterum stiterat; hic enim Gallicis, & Vinariensibus, necnon Hassicis & Luneburgicis auctis copiis Salfeldam movit, atque Archiducis prope insequentis castra acriter verberare cæpit, nihil tamen præter velitares conflictus integro pene Mense profecit: cum autem Hatzfeldio & Piccolominæo Ductoribus novem Bavarorum millia Cæsareis accessissent, Leopoldus Suecos ad extremam usque Vifurgin rejecit, inde vero promotis castris Wahlum Comitem cum Bavaris copiis



copiis in Hassiam irrumpere iussit, qui Sæc. XVII.  
 etiam variis urbibus captis trans Visurgin A.C. 1649.  
 victricia arma sua protendere statuit,  
 paulopost tamen ab hoste repulsus.  
 Haud multo post Bredanus Cæsaris Tri-  
 bunus prope Zwickaviam Wittenber-  
 gium Sueciæ Tribunalum cum novem  
 legionibus profligavit. Interim vero  
 Raufenbergius Guelferbyti Guber-  
 nator Steinbrucum nobile firmumque  
 præsidium expugnavit, quod tamen  
 Luneburgicus Dux arcta mox obsidione  
 pressit. Tanta ibi erat Bavarorum in  
 propugnando pertinax fortitudo, ut  
 tectis pene omnibus vi tormentorum di-  
 rutis, ac militum civiumque potissimis  
 inedia jamjam consumptis, de deditio-  
 ne nequidem cogitassent, nisi suppæti-  
 am spe frustrati non animo, sed viri-  
 bus defecissent: hujus quoque urbis  
 jacturam mox Luneburgi deditio, &  
 Guelferbytanæ urbis obsidio sequebatur.

## §. CXIV.

*Cæsareo - Bavari adversus Gallos, &  
 Vinarienses vario Marte  
 pugnantes.*

Interim Vinarienses, Longavillæo Du- Adler. An-  
 ce, cunctas ferme urbes ad Rhenum nal. Boic.  
 fitas deprædationibus, incendiis, im- p. 3. lib. 25.  
 modicisque exactionibus misere deva- num. 11.  
 starunt, Pufend. l. 12.  
de reb. Suec.

A a 2



Sæc. XVII. starunt, Cæsareisque præsiis in Weteravia ex Fridberga & Braunfelsa e-  
 A. C. 1640. jectis potius armentis, civiumque bonis, quam hosti bellum intulisse videbantur: Nec ad hæc violentias otiosi substitere Bavari; hi enim occupatis Altzheia, & Baccaro, cuncta ferme oppida Mosellam inter & Rhenum sita, quæ antea Vinarienses invaserant, recuperarunt, Bambergerus quoque Philippopolis Gubernator iterata excursione ingentem hosti cladem intulit: magis prospera fors arridebat Vinariensibus, dum ab Hochenvillanæ arcis obsidione Bavaros propellunt, multisque trucidatis, & captis non paucis, atque inter eos ipso Alberto Fürstenbergio arcem expugnant. Hanc tamen cladem paulopost ulciscabantur Bavaro-Cæsarei, dum in Weteravia Gallo-Vinarienses semisopitos inopina vi opprimunt, captaque Ursella urbe, & Epsteinia arce Suecis, quicquid Mensle Maio in Hassia occupaverant, adimunt, atque Amœneburgum & Fridbergam recuperant, quin tamen hæc ipsa armorum felicitas omnino incruenta esset; iterata enim impressione prope Zigenheimium Cæsarei fusi, fugatique fuere. Hanc cladem nonnihil reparabant Bavari, qui Coburgo, Hiltpurghulio, Meinunga, aliisque oppidis Sueco ereptis,



reptis, Bobenhufii & Eichsfeldiæ quas-  
 dam Vinariensium legiones internecio-  
 ne deleverant, capto etiam Echar-  
 do Tribuno, Vigiliarum Præfecto, mul-  
 tisque gregariis: Nec interim Saxones  
 a bellico labore feriabantur; quippe ad  
 Lipsiam prope Pagum Machavium inita  
 pugna Königsmarchium, qui ex Bohe-  
 mia redux plura Saxonix oppida ex-  
 actionibus exhauserat, magna clade  
 protriverunt, necnon Mauritanam ar-  
 tem capto illius Præfecto & præsidia-  
 riis cum ingenti præda recuperarunt,  
 ac paulopost Cæsareis adjuti, Chem-  
 nitzium quoque & Zwickaviam rece-  
 pere, quadringentis Suecis ad deditio-  
 nem coactis. Nec magis prospero Marte  
 Sueci in Silesia dimicabant, quamvis  
 enim Wolaviam intercepissent, Cæsa-  
 rei tamen Hernstadium, Jauram & Stri-  
 gaviam eis eripuerunt, ipsamque Hirs-  
 bergam expugnassent, nisi Stalhant-  
 sciis opportune suppetias tulisset.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1640.

§. CXV.

*Gallici exercitus gesta in Italia & Bel-  
 gio contra Hispanos.*

Hoc item anno Hispani ad Rhenum  
 die tertia Februarii variis oppidis  
 feliciter expugnatis extremos adhibuere  
 conatus, ut Brisaccum Gallis eriperent:

*Jäger. Hist.  
 Eccl. lib. 10.  
 cap. 2.  
 Nani Hist.  
 Venet. l. II.  
 Buffier. Hist.  
 lib. 24.*

A a 3

verum



Sæc. XVII. verum incassum omnia, quocirca Gal-  
 A. C. 1640 liarum Rex, exclusis Suecis, munitif-  
 simum hoc Imperii propugnaculum sibi  
 soli vendicabat, ac cum suo exercitu  
 in Bavaros, & per Sueviam in ditio-  
 nes Auftriacas irrupturus, præprimis  
 armorum societatem cum Suecis usque  
 ad belli exitum prorogare studuit. In-  
 terim vero Harcurtium Comitem cum  
 valido agmine in Sabaudiam emisit,  
 ut Christinæ Sabaudi Ducis Viduæ,  
 Gallicique Regis Sorori contra Hispanos,  
 & defuncti Ducis Fratres opem ferret.  
 Hic ergo Leganesium Mediolanensem  
 Governatorem, qui Casalem urbem op-  
 pugnat, adoritur, sed tertio ab Hi-  
 spanis repellitur, tandem vero ipsa  
 Martis frustratione accensus post pugnam  
 ad duas horas protractam hostem ma-  
 gna clade protritum in fugam agit, &  
 Casalem urbem vastis, altissimisque o-  
 peribus circumseptam diuturna obli-  
 dione liberat: Hoc successu animatus  
 Harcurtius rem adoritur temeritati,  
 quam fortitudini propiorem; quamvis  
 enim Leganesius Marchio cum ingenti  
 exercitu Gallis incubaret, nihilominus  
 Taurinum urbem, quam Thomas Prin-  
 ceptum cum Præsidariis Gallos numero  
 longe excedentibus infederat, obsidet,  
 eamque, Hispanis auxiliatoribus repres-  
 sis aliquoties, cæsisque occupat, suoque  
 exem-

*Bruffon. hist.*  
*Ital. l. 8.*  
*Bougeant*  
*Hist. Bell.*  
*tricen. p. 1.*  
*lib. 6.*



exemplo ostendit, non semper ad magna & ardua opus esse copiosis exercitiis, sed Ducibus & animis. Pari fortuna Dux Castillionæus Chalnæi Picardi Prætoris & Mellerai Marefcalli copiis suffultus, in Artesia Atrebatum arte & natura prævalidum munimentum post longam difficilemque obsidionem, Hispanis prælio devictis ac succurrere præpeditis, in conspectu Hispani exercitus interceptit. Auxit interim Gallorum lætitiâ altera Regis proles mascula, Philippus dictus, qui die vigesima prima Septembris luci datus, atque Andegavenfi Ducatu patrimonii loco donatus, in Regii Patris Matrisque solatium ad res magnas adolevit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

## §. CXVI.

*Comitia Imperii Ratisbonæ celebrata.*

Inter hæc totam ferme Europam depalcentium bellorum incendia, haud obscura promicabat reducendæ pacis spes; eo fine jamjam S. R. Imperii Electores Norimbergam convenerant, & Daniæ Rex, Neoburgicus, Megapoli-  
tanus & Luneburgicus Duces, necnon Ulmenfis & Francofordienfis urbes suos eo ablegabant Oratores: Aderat quoque Galli Regis nomine Hespîus, quia tamen idoneam legationis suæ fidem

Adlxr. An-  
nal. Boi.  
lib. 25.  
Barre Hist.  
& Allemagn.  
tom. 9. pag.  
732.

Aa 4

face-



Sæc. XVII. A. C. 1640. facere non poterat, urbe excedere ius-  
sus est. Vidua quoque Hassiæ Land-  
gravia, cum copias suas jamjam Ban-  
nerio junxisset, invitæ Gallis Legatum  
mittere non audebat, quamvis postea  
se ad comitia non fuisse vocatam, quæstæ  
esset. Sollicitabatur etiam Cæsareis  
litteris Georgius Dux Brunsvico-Lune-  
burgicus, pro quo tamen Friderici &  
Augusti Ducum Oratores responderunt,  
privatis Georgii querelis nondum fuisse  
satisfactum; adhucdum enim Guelfer-  
bytum Bavarico præsidio teneri, Ec-  
clesiam Hildesheimensem in privatos  
usus convertere, Ducibus esse denega-  
tum, & æris alieni a Friderico Ulrico Duce  
contracti solutionem Luneburgicis im-  
poni hæud posse. Brandenburgicus quo-  
que Elector Pomeraniam sibi a Suecis  
iniquè ereptam querebatur. Cum ve-  
ro horum controversiæ solo Electorum  
iudicio decidi hæud possent, Cæsar om-  
nium Ordinum Comitia Ratisbonæ in-  
dixit, urgente præprimis Urbano VIII.  
Papa, qui datis litteris Cæsarem, Prin-  
cipesque Catholicos ad seria pacis con-  
silia vehementer hortabatur: Ipsemet  
igitur Imperator Mense Junio Ratisbo-  
nam profectus, Suecos, Gallosque ad  
hæc comitia invitabat, cunctisque, pro-  
scriptis etiam, Principibus, nondum re-  
conciliatis ex Regum petito publicæ fi-  
dei

*Londorp.*

*t. 4. p. 865.*

*tom. 5 p. 1.*

*Ec.*



dei securitatisque literas expediri cura- Sæc. XVII.  
 bat, ita tamen, ut Gallis Colonia, A. C. 1640.  
 Suecis vero Lubeca vel Hamburgum  
 ad instruendas pacis prolusiones assigna-  
 retur. Rebus ita dispositis Cæsaris no-  
 mine Guilielmus Badensis Marchio in  
 prima Sessione proposuit, hæc comitia  
 potissimum fieri, ut sublatis dissidiorum  
 causis solida tranquillitas, & animo-  
 rum unio restitueretur, si vero hæc de-  
 sperata esset, de opportunis belli pro-  
 ferendi mediis consulatur, ac denique  
 iustitiæ administratio suo vigori redda-  
 tur. Postea afferebantur Luneburgico-  
 rum literæ, quibus suam cum Suecis  
 societatem, obtenta ditiones suas amit-  
 tendi formidine, apud Cæsarem excusa-  
 bant; cum autem hæc defectio pessimi  
 exempli res esset, hinc Cæsar Saxoniz  
 inferioris Ordines ad debitæ observan-  
 tiæ studium hortabatur, simulque Im-  
 perii Electores rogabat, ut Luneburgi-  
 cos & Hassos Duces a Suecorum fœ-  
 dere revocare niterentur. Hac de re  
 moniti Duces, Cæsari supplicabant, ut  
 ipsi omnes & singuli ad comitia voca-  
 rentur, suam ibidem sententiam dicturi:  
 Annuit Imperator, ipsisquæ ad comitia  
 accedendi & recedendi facultatem,  
 literasque securitatis prono animo con-  
 cessit: Eandem quoque gratiam Electori  
 Trevirensi adhuc Viennæ detento &



Sæc. XVII. Carolo Ludovico Palatino Comiti fecit.  
 A. C. 1640. Philippus pariter Simmeranus Friderici V

Palatini Germanus Sedano rescribens die  
 quinta Septembris, a præteritorum mo-  
 tuum culpa se purgare intentus, in in-  
 tegrum restitui petiit: pariter Northu-  
 sienses suam cum Luneburgicis con-  
 junctionem excusare: ita nempe,  
 tum nemo nocens volebat videri, aut  
 quicquam adversus Cæsarem vel Im-  
 perii jura peccasse: *Grandis*, subjungit  
 Boicorum Annalium Scriptor, *grandis*  
*excusantium confidentia, grandior clemen-*  
*tia Cæsaris, qui cum subditis suis, usque*  
*non supplicibus, sed armatis, & qui cum*  
*publicis hostibus contra ipsum conspira-*  
*bant, pacisci sustineret: Tanti erat salus*  
*publica, & in generosissimo Imperatoris*  
*pectore tranquillitatis cura.*

§. CXVII.

*Sinister horum comitiorum successus.*

**H**ac Cæsaris indulgentia ad pacis ne-  
 gotiationem plana via sterni crede-  
 batur, sed in ipso statim limine, ut in-  
 ter turbidæ indolis homines fieri amat,  
 tot subortæ sunt cavillationes, jurgia  
 & altercationes, ut ex his comitiis  
 ægre quicquam salutare speraretur:  
 Præprimis nonnullis displicuit ab Ele-  
 ctoribus Coloniam pro Gallis, & Lu-  
 beccam



beccam pro Suecis fuisse assignatam, Sæc. XVII.  
 eoquod Reges ab Electoribus invitari, A. C. 1640.  
 non satis ex dignitate esset, hacque ratione ipsi Reges pacem petere viderentur: Ut ergo hic quoque obex tolleretur, decretum est, agendum esse de pace per externos, & quidem gratum fore, si summus Pontifex & Veneti apud Franciæ Regem, & Daniæ Rex apud Suecos pacis arbitrum agerent, demum vero eos, qui pacis consiliis obstitent, communibus armis velut publicos hostes esse habendos. Præterea Protestantes hujus congressus successum præpedire moliebantur, falso spargentes, quod Episcopi numero superiores essent, ac per pensiones Hispanicas adlecti, necnon Pontificio anathemate territi Catholicis plus æquo faverent, necnon Catholici, postquam Saxo Cæsari accessisset, suffragiorum numero ceteris prævalerent, & Principum Collegia Austriacus Legatus moderaretur.

Postmodum super militis Cæsarei hybernis ac supplendo, alendoque exercitu agebatur; horum tamen militum distributio ab Electoribus Principibusque Cæsaris arbitrio relicta est, alendis autem copiis Austriaci & Bavari Ordines centum quinquaginta, ut vocant, Menses Romanos, alii sexaginta  
 & mi-



Sæc. XVII. & minus, Ratisbonenses vero nonnisi  
A. C. 1640. duodecim, prætexta civium pauper-  
 tate, adnuebant. His deliberationi-  
 bus de bello totum ferme tempus ab-  
 sumebatur, etsi Cæsar jam die primo  
 Novembris monuisset, ut ad primum  
 pacis negotium rediretur, nihilo-  
 minus proscriptorum Principum Ora-  
 tores toti in eo erant, ut generalem  
 amnistiam seu reconciliationem pro om-  
 nibus Austriacæ Domus hostibus a Cæ-  
 sare extorquerent. Verum nova tum  
 exorta erat contentio Catholicos inter  
 & Protestantes, cum hi reconciliatio-  
 nis gratiam ab anno Christi millesimo  
 sexcentesimo decimo nono, quo Fride-  
 ricus Bohemiæ diadema usurpaverat,  
 Catholici vero a Gustavi Adolphi irru-  
 ptione seu anno hujus sæculi trigesimo  
 inchoandam censuissent. Augeta demum  
 fuere hæc dissidia, dum Catholici sua  
 gravamina contra Protestantes, & hi  
 vicissim contra illos in comitiis propo-  
 suere, quin hac in re quicquam deci-  
 deretur, sed hanc pacificationem in  
 annum sequentem producere, necesse  
 esset.

## §. CXVIII.

*Turbæ in Gallis ob editionem libri,  
 cui titulus: Optatus Gallus  
 exortæ.*

Post-



Postquam Richelius Cardinalis indi-  
 gnatione in Papam concepta Regii  
 Senatus, ut supra memoravimus, de-  
 cretum extorserat, vi cuius Romam  
 trans Alpes aurum mitti prohibitum,  
 atque annatas remitti aut saltem im-  
 minui, necnon nationale Concilium,  
 in quo ipse pro Galliis eligeretur Patri-  
 archa, congregari postulabat, ingens  
 inde inter Cleri Gallicani Præsules, ce-  
 terosque Doctores contentio exorta est:  
 Auxerunt turbas libelli nuper editi de  
 libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, nec-  
 non Regia declaratio circa matrimonia,  
 qua ad eorum valorem conditiones ab  
 Ecclesia nunquam præscriptæ require-  
 bantur: Harum novitatum timore ad-  
 actus Carolus Herfentus Sacerdos Pa-  
 risiensis sub ementito *Optati Galli* no-  
 mine Paræneticum librum *de cavendo*  
*schismate ad Ecclesiæ Gallicanæ Primates,*  
*Archiepiscopos & Episcopos* hoc anno ty-  
 pis vulgavit, in quo contra Richelium  
 Cardinalem insurgens, postquam ne-  
 cessitatem unionis cum Pontifice supre-  
 mo capite ostenderat, veterem Gallo-  
 rum observantiam erga Sedem Aposto-  
 licam pluribus encomiis exaggerabat,  
 hanc vero sensim extinctum, Eccle-  
 siamque Gallicanam brevi in schisma  
 Anglicano simile, nisi Clerus tempesti-  
 ve succurrat, prolapsurum iri demonstra-  
 bat.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1640.

*Argentre*  
*Collect. Jud.*  
*t. 3. p. 244.*

& 248.  
*Dupin Hist.*  
*Eccl. tom. 4.*

S. 5.  
*Baill. tom. 2.*  
*Concil. p. 672.*

*Vid. supra*  
*hoc libro*  
 S. 95.

*Alegamb.*  
*Bibl. Script.*  
*S. J. lit. M.*

p. 616.



Sæc. XVII. bat. Richelius Cardinalis, cum in  
 A. C. 1640. Authoris notitiam venire haud posset,  
 nullum non movit lapidem, ut saltem  
 hic ipse libellus a Regio Senatu dam-  
 naretur: Id quoque pro sua, qua vale-  
 bat, auctoritate mox impetravit: quo-  
 circa die vigesima tertia Martii hic li-  
 ber Senatus decreto tanquam in Re-  
 gem injuriosus, & seditiosus a carnifice  
 laceratus igni adjicitur. Eundem quo-  
 que libellum Richelius a Francisco Gon-  
 dio primo Parisiensi Archiepiscopo die  
 vigesima octava ejusdem Mensis tan-  
 quam falsum, scandalosum, pacis pu-  
 blicæ destructivum, & aversionem a Re-  
 ge ejusque Ministris sub obtentu ti-  
 mendii schismatis inspirantem damnari  
 curavit. Huic quoque censuræ ceteri  
 suæ Provinciæ Episcopi subscribere.  
 Præterea Richelii jussu quatuor Theo-  
 logi, qui Optatum Gallum refellerent,  
 fuere designati, ex quibus Pater Mi-  
 chael Rabardous Jesuita librum sub ti-  
 tulo: *Optatus Gallus de cavendo schismate,*  
*levi manu sectus* anno sequenti edidit,  
 in quo sat inepte contendebat, occasio-  
 nem schismati haud præberi, si Patri-  
 archa in Galliis crearetur, nec ad id  
 summi Pontificis consensus magis foret  
 necessarius, quam ad erigendum Pa-  
 triarchatum Constantinopoli aut Jero-  
 solymis: In quo tamen hic Author gra-  
 vite



viter hallucinabatur, cum nequidem Sæc. XVII.  
 in Oriente *legitimus* Patriarchatus sine A. C. 1640.  
 Pontificis consensu *de jure* erigi posset,  
 minus ergo in Occidente, ubi Papa  
 pro minime dubio totius Ecclesiæ Pa-  
 triarcha & Capite agnoscitur: Eapro-  
 pter hujus Authoris confutatio nequi-  
 dem in Gallia ab omnibus probabatur,  
 Romæ autem anno Christi millesimo  
 sexcentesimo quadragesimo tertio die  
 decima octava Martii a Generali Con-  
 gregatione Sacræ Romanæ & Universalis  
 Inquisitionis haud immerito condemnata  
 fuit, eoquod *multas propositiones temera-  
 rias, scandalosas, piarum aurium offensi-  
 vas, impias, Seditiosas, potestatis Ponti-  
 ficæ destructivas, immunitati & libertati  
 Ecclesiasticæ contrarias, novatorum hæresi-  
 bus proximas, erroneas in fide & manifeste  
 hæreticas contineret.* Adeo de Sacerdotii  
 & Imperii juribus utrinque scribere, &  
 quid sentiatur, publici juris facere,  
 Viris eruditis periculosum est: Obser-  
 vandum tamen, quod Clerus Gallica-  
 nus præfatum Inquisitionis decretum,  
 (licet alias Galli hujus tribunalis de-  
 creta parum respiciant) anno Domini  
 millesimo sexcentesimo quadragesimo  
 quinto die decima nona Septembris  
 Parisiis in Generali suo conventu rece-  
 perit, atque ad acta retulerit.

§. CXIX.



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

## §. CXIX.

*Quædam propositiones a Sacra Facultate Theologica Parisiis notatæ.*

*Argentre  
l. c. p. 86.*

Die decima sexta Junii hoc anno Robertus Constantin, patria Andinus, in Sacra Facultate Theologica Licentiatus publicas propugnabat theses, in quibus tamen Doctorum Sorbonicorum non pauci quasdam notarunt propositiones Sedis Apostolicæ auctoritati derogantes: Erant autem hæ:

I. „Ecclesia Sancta, Civitas Dei vi-  
„ventis, mater fidelium, quibus est  
„suprema fidei regula, & controversia-  
„rum iudex, non vero Scriptura, cu-  
„jus Decretis quisquis resistit, habentis  
„est ut Ethnicus, & publicanus,  
„traditiones divinas etiam non scriptas  
„admittit, quibus ejus veritas solidatur.  
„Hinc per Scripturas Sacras voluntatem suam notam fecit Deus, in  
„quarum numero Tobix, Judith, Esther,  
„quæ Artaxerxem Longimanum conjugem habuit, & Machabæorum  
„Libri sunt reponendi. Nullus fuit Caisarianus inter Arphaxad & Sale, Job in  
„Idumæa natus Rex fuit. Apostoli, post conversionem, bonorum suorum  
„non abdicavere dominium: non licebat



„Judæis dare uxoribus pro libitu libel-  
 lum repudii: Concilium generale uni-  
 versam repræsentans Ecclesiam, ha-  
 bet immediate authoritatem & infal-  
 libilitatem a Deo.

Sæc. XVII.  
 A.C. 1640.

II. „Fundamentum aliud non est in  
 Ecclesia, quam Christus Jesus, cujus  
 per hæc verba Joan. 20. pasce oves  
 meas: supra cæteros Apostolos firma-  
 tus est Petri Principatus, ideo Petram,  
 de qua loquebatur, intellige cum S.  
 August. fidei confessionem. Ecclesiæ  
 claves a Christo accepit, cum dedit  
 Petro & reliquis Apostolis, quibus  
 Principem eum præficiens, unam ca-  
 thedram constituit, ut Ecclesia una  
 monstratur. Romana ergo Sedes,  
 quam Petrus fundavit, dimissa Antio-  
 chena, origo est & centrum Ecclesia-  
 sticæ unitatis; nec, qui a Petri Ca-  
 thedra diffidet, vivit catholicus. San-  
 ctus est & a Scriptura in actibus apo-  
 stolicis principium accepit, ritus eli-  
 gendi Episcopos, ex cleri suffragiis &  
 populi consensu: consilium Evange-  
 licæ paupertatis non sequitur, qui di-  
 missa suis hæreditate petit Monaste-  
 rium. Marcus ex 70. Discipulis non  
 fuit „

III. „Donatio Constantini, & omnes  
 fere Pontificum Epistolæ usque ad  
 Syricium dubiæ sunt fidei. „

*Hist. Eccles. Tom. LX.*

Bb

IV.



Sæc. XVII.

A. C. 1640.

IV. „Episcopatus fons & plenitudo  
 „totius Hierarchicæ potestatis, in Ec-  
 „clesia unus est, & licet a singulis in  
 „solidum pars retineatur, singulis ta-  
 „men ex officio incumbit, universæ  
 „providere Ecclesiæ, *Τη καθολικη επισκο-  
 „παπη πισιοθῆναι.* Necessitatem appel-  
 „lationum, quas in majoribus & mino-  
 „ribus causis, ad Episcopum Romanum  
 „Africana non admittebat Provincia,  
 „ante Sardicense in tota Ecclesia igno-  
 „tam, excludebat usus formatarum,  
 „quo fiebat, ut qui semel a proprio Epi-  
 „scopo erat excommunicatus, ab alio  
 „recipi non posset? ex hinc vero fre-  
 „quens & in occidente, & in oriente  
 „appellationum ad Romanam Sedem  
 „consuetudo viguit.

V. „Nycæno 6. Canone Decretum  
 „est, ut jus Metropolitanum, quo per  
 „Egyptum, Libiam, & Pentapolim  
 „Alexandrinus Patriarcha utebatur, a  
 „Meletio turbatum, conservaretur, ad  
 „normam illius, quod Episcopus Roma-  
 „nus per Ecclesias suburbicanas, quas  
 „non totum occidentem, nec ab Urbis  
 „Vicario, sed a loci situ sic nuncupa-  
 „veris, ut Metropolitanus obtinebat.

VI. „Penes Romanum Pontificem  
 „est sollicitudo omnium Ecclesiarum, &  
 „in conciliis ordinario jure præsidere.  
 „Constantinopolitanum II. cui nec  
 „per



„per se, nec per Legatos præfuit, vim <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 „tamen generalis obtinet. Provincia- <sup>A. C 1640.</sup>  
 „lia, quos in fide & moribus edunt,  
 „canones obligant, ut de Africanispa-  
 „tet contra Novatum & Pelagium: mos  
 „antiquus viget in Gallia, Nationalia  
 „non convocari invito Principe. Quod  
 „semel in Spiritu Sancto congregatum  
 „fuit, ulteriorem confirmationem non  
 „expectat. Synodus plenaria, in qua  
 „sopitam Anabaptismi causam scribit  
 „Beatus Augustinus, Nycæna non fuit,  
 „sed Arelatensis I. coacta Constantino  
 „promovente ad componendum cum  
 „Cæciliano schisma Donatistarum; quo-  
 „rum ad pœnitentiam manus impositio-  
 „nem, Episcopis ad se transeuntibus  
 „adhiberi solitam, rectæ Disciplinæ Ec-  
 „clesiasticæ contrariam Melchisedes pro-  
 „nuntiavit. „

VII. „Jure divino tenentur Episcopî  
 „in Parœciis ut curati residere, nec  
 „sine adulterii periculo, relicto, quem  
 „primum habuere, Episcopatu, ad a-  
 „liam possunt tuta conscientia, absque  
 „gravi ratione transvolare: qui jam  
 „præbendatus, aut simili gaudens offi-  
 „cio, pastorale animarum beneficium  
 „superinducere non veretur, in eadem  
 „damnatione est, a qua sine justa causa  
 „nulla dispensatio poterit expedire.  
 „Pensionum, quas vetus nescivit Ec-  
 „clesia,

Bb 2



Sæc. XVII. „clesia, cauta debet esse creatio, nec  
 A. C. 1640. „alias, quam ob provectam multorum

„laborum resignantis ætatem, aut per  
 „concordiæ viam sine peccato ab Epi-  
 „scopis concedi possunt. Beneficia ec-  
 „clesiastica ambiri non postulant, sed  
 „donari Doctis ac piis, non indignis;  
 „nec compensationis locum tenere de-  
 „bent, sed officii & oneris. Qui spi-  
 „ritualibus inhiat, ut metat tempora-  
 „lia, damnationem acquirit.”

VIII. „Qui donat, aut qui recipit  
 „beneficium, honoris, aut commodi  
 „caussa, uterque reus est, sicut & qui  
 „a peccatorum sordibus confugit ad  
 „Sacerdotii Dignitatem, tanquam ad  
 „pœnitentiæ statum; proximus post  
 „Episcopum Archidiaconus, ejus ocu-  
 „lus, & assiduus comminister, plebem  
 „sibi subjectam in conscientia tenetur  
 „regere, animam pro anima redditurus.  
 „Canonici, quorum institutum ab Ec-  
 „clesiæ canonibus tanquam a regula  
 „nomen accepit, in partem Sollicitudi-  
 „nis Episcopalis vocati, non solum Pfal-  
 „modiæ vacare, sed & verbi præcones  
 „esse debent, & in Domini Vineâ vigi-  
 „les operarii. Parochus, quos ex suis  
 „scandalo Ecclesiam graviter offendere  
 „videt, posset excommunicare.”

IX. „Monachi & Regulares, quorum  
 „officium est plangere & pœnitere, in  
 „om-



Sæc. XVII.

A. C. 1640.

„omnibus debent esse subjecti Episco-  
 „pis, qui nisi jusserint, iis hierarchica  
 „omnis interdicitur functio, non de-  
 „bent ut Dominantes in clero a Pasto-  
 „ris custodia maxime vero a Missis Pa-  
 „rochialibus, & Sacramentorum per-  
 „ceptione, ejus subditos avocare, sed  
 „humilitatem sectari, ut sint veri Ec-  
 „clesiæ filii, quæ est agni sponsa.,

Quoniam vero Facultas Theologica  
 in suis comitiis Robertum ad retractan-  
 das hæc propositiones compelleret,  
 ipse apud Cardinalem Richelium desu-  
 per questus, ipsius patrocinium implo-  
 rabat, data ad eundem hac epistola die  
 vigesima septima Junii.

„Cum summæ & prudentiæ & au-  
 „thoritati tuæ Ecclesiæ atque ut Regni  
 „Salus innitatur, ita E. C. dissen-  
 „sionum, quæ utrinque exoriri possunt  
 „arbitrum ac disceptatorem agnoscant  
 „omnes necesse est; quæ mihi causa  
 „animam dedit, ut te Supremo rerum  
 „moderamini, atque publicæ paci, per-  
 „vigili ac indefesso studio incumbentem  
 „audeam interpellare, præsidium tuum  
 „in summa, in qua nunc versor agita-  
 „tione, implorare. Ex more instituto-  
 „que Facultatis, evulgaveram nuper  
 „propositiones aliquot ex probata recepta-  
 „que tot retro Sæculis majorum nostro-  
 „rum Doctrina collectas, quæ in eo  
 B b 3 „spe-



Sæc. XVII. „specimine ventilarentur, quod postre-  
 A. C. 1640. „mum exhibendum est Laureæ Docto-  
 „ralis Candidatis; quas cum pro mu-  
 „nere meo clarissimo Syndico obtulif-  
 „sem emendandas, ipse eas semel at-  
 „que iterum examinatas chyrographo  
 „suo firmavit. Verum etsi id nullo  
 „partium studio, sed solo ediscendæ ve-  
 „ritatis amore ductus præstitissem, præ-  
 „ter opinionem meam factum est, ut  
 „nonnulli externæ ditionis, & exoti-  
 „corum dogmatum quam gallicæ liber-  
 „tatis ac splendoris studiosiores, me in  
 „suspicionem affectati erroris trahere  
 „conati sint, eoquod nonnulla ad legi-  
 „timam regię potestatis defensionem  
 „inferueram, tabellamque meam indi-  
 „scussa causa, meque inaudito, in  
 „comitiis quibusdam per insolitam fa-  
 „ctionem non ex ritu solemnı indictis,  
 „sed iis data opera majore numero vo-  
 „catis, quos turbarum suarum sauto-  
 „res habent, præjudicata sententia  
 „damnare tentaverint, quasi Sedis a-  
 „postolicæ authoritati (cui ita me ad-  
 „dictum ut catholicum & theologum  
 „hominem decet, multæ illic conclu-  
 „siones palam profitentur) quicquam  
 „detractum voluissem. Hæc rei gestæ  
 „summa, cujus penes te, Emin. Card.  
 „integrum arbitrium est. cuique ita  
 „me submitto, ut, si ex fide & veri-  
 „tate



„tate est, quod protuli, tuo oraculo Sæc. XVII.  
 „tuearis, si quid peccatum, censura A.C. 1640.  
 „tua corrigas; meque in omni-  
 „nibus ut sincerum veritatis amato-  
 „rem, tuæque dignitatis, ut par est,  
 „obsequentissimum Cultorem ab iniqua  
 „hominum plus æquo suis, ac peregri-  
 „nis sensibus addictorum impugnatione  
 „defendas. Hoc ab usitata Sapien-  
 „tia, hoc ab incredibile humanitate  
 „tua expectat, omnique animi demis-  
 „sione supplex contendit.

*Cardinalis Eminentissime,  
 Tuæ Eminentiae.*

*Devotissimus Cliens.*

Ad has vero Roberti literas Riche-  
 lius hæc in responsis dedit:

„Cum tuas literas accepi, jam ad nos  
 „de tuis positionibus ortus rumor per-  
 „venerat: gaudeo me in ea, quam de  
 „te concepi opinione, non deceptum:  
 „credidi te nulla ratione adduci posse,  
 „ut quidquam proferre velles, quod le-  
 „gitimam Pontificis auctoritatem im-  
 „minueret, & Facultatis pacem inter-  
 „turbaret, id ad me missa tua Epistola  
 „testatur. Quæ in Thesium tuarum  
 „contextu durius quam par sit, dicta  
 „videntur, adnotavi, in iis quid sen-  
 „tias, clarius explicabis, in problema-  
 „ticis,

B b 4



Sæc. XVII.,  
 A. C. 1640. „ticipis, ut libet, sentiendum: in iis ve-  
 „ro, quæ ad veritatis definitæ quæ-  
 „stiones pertinent, ne recte sentiendo  
 „fidem ludere videamur, cautissime lo-  
 „quendum. Hanc ut serves regulam  
 „precatur.,,

*Tui amantissimus,*

*Armandus  
 Card. de Richelieu.*

Cum autem Robertus unacum suis literis insuper aliud scriptum, in quo theses suas a Facultate notatas explicabat, ad eundem Cardinalem transmississet, hinc Richelius die duodecima Julii datis ad Facultatem literis eidem significabat, quod Robertum rogarit, ut mentem suam circa præfatas theses aperiret, ipse vero summa submissione cunctas propositiones in sensu Catholico explicarit, proin de hoc negotio haud ultra agendum censeret: his expositis Richelius Roberti declarationes seu interpretationes ad Facultatis Theologicæ Decanum ac Doctores transmittit: Hujus vero explicationis erat tenor sequens.

„Cum evulgatis per me decima quin-  
 „ta Junii die thesibus accepissem, a  
 „nonnullis alienam plane & meo sensui  
 „contrariam interpretationem attribui,  
 „hinc



„hinc quædam in his obscuriora maxi-  
 „me, quæ ad sanctam Sedem apostoli-  
 „cam & Regulares pertinent, palam ac  
 „sine ambagibus enotare, & animi  
 „sensa aperire decrevi. „

„Atque hæc mihi primum mens  
 „fuit, nullam in dubium adducere ea-  
 „rum quæstionum, de quibus inter Ca-  
 „tholicos omnes convenit, & quas uni-  
 „versa Ecclesia amplectitur. „

„Unde & summum Pontificem a-  
 „gnosco, Ecclesiæ catholicæ caput,  
 „ejusque potestatis & Authoritatis pri-  
 „matum, quem in Ecclesia obtinet,  
 „non modo ecclesiastico, sed divino jure  
 „fundatum, ac stabilitum esse: confi-  
 „teor, verbis istis Joan. 20. *pasce oves*  
 „*meas*, sicut declaratum a me crede-  
 „bam ea positione, cujus initium est:  
 „*fundamentum aliud non est in Ecclesia,*  
 „*quam Christus Jesus:* cujus per hæc  
 „verba. Joan. 20. *pasce oves meas:* su-  
 „pra cæteros Apostolos firmatus est  
 „Petri Principatus. „

„Præterea vim appellationum ad  
 „S. Sedem apostolicam inviolabiliter,  
 „& per omne tempus spectasse sentio,  
 „nec primum introductam, eique attri-  
 „butam a generali concilio Sardicensi,  
 „sed tantum harum appellationum usum  
 „ante Sardicense prædictum in tota  
 „Ecclesia aut nullum, aut non adeo



Sæc. XVII. „frequentem extitisse dixi, aut dicen-  
 A. C. 1640. „dum duxi. „

„Quod ad regulares spectat, eos nul-  
 „latenus vituperare intendo, qui re-  
 „licta suis hæreditate petunt Monaste-  
 „rium, sed tantum arbitratus sum, illos  
 „non ita exacte ad literam & perfecte  
 „Evangelicæ paupertatis consilium se-  
 „qui, quam eos, qui erogato pauperi-  
 „bus patrimonio in regularium discipuli-  
 „nam se recipiunt propter hæc verba  
 „Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse,*  
 „*vade, vende, quæ habes, & da pauperi-*  
 „*ribus, & habebis thesaurum in celo:*  
 „*& veni, & sequere me.*

„De cætero, quod in postrema po-  
 „sitione scripsi, sic intelligo, ut velim  
 „eos ex regularibus, qui plebem a Pa-  
 „rochialibus Missis, & Sacramentorum  
 „in iis perceptione avocant, peccare:  
 „eos denique regulares, si spectentur  
 „jure ordinario, & ex primæva insti-  
 „tutione seclusis privilegiis, subjectos  
 „& submissos esse Episcopis. „

Huic expositioni postmodum Rober-  
 tus addita alia declaratione singulas pro-  
 positiones ita ad sensum Catholicum  
 reducebat:

Propositio I. *Fundamentum aliud non*  
*est in Ecclesia, quam Christus Jesus &c.*  
*ideo Petram, de qua loquebatur, intel-*  
*lige Petri confessionem.*

„De-



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

„Declaro me excludere Personam Pe-  
tri a ratione fundamenti & me intelli-  
gere confessionem ejus fuisse motivum,  
propter quod super illo Petro fundavit  
Christus Ecclesiam suam; unde & sum-  
mum Pontificem agnosco Ecclesiæ ca-  
tholicæ Caput, ejusque potestatis &  
authoritatis primatum, quem in Ec-  
clesia obtinet, non modo ecclesiastico,  
sed divino jure fundatum, & stabilitum  
esse confiteor verbis istis Joan. 20.  
„pascite oves meas, per quæ verba su-  
pra cæteros Apostolos firmatus est  
Petri Principatus.,,

II. *Ecclesia claves a Christo accepit,  
cum dedit Petro,*

„Declaro Christum dedisse imme-  
diate Petro claves, non autem Eccle-  
siam dedisse Petro.,,

III. *In Ecclesia unus est Episcopatus,  
& licet a singulis in solidum pars tenea-  
tur, singulis tamen ex officio incumbit uni-  
versæ providere Ecclesiæ.*

„Declaro me sic hanc thesin intelli-  
gere, quod singuli Episcopi in necessi-  
tate Ecclesiæ debent auxilium suum  
conferre ad subveniendum Ecclesiæ.  
„Utpote cum aliqua hæresis grassatur  
in aliqua diæcesi, dormitante proprio  
Episcopo, debent vicini Episcopi,  
quantum in ipsis est, providere huic  
„malo.,,

IV.



Sæc. XVII. IV. *Necessitatem appellationum, qua  
A. C. 1640. in majoribus & minoribus causis ad Epi-  
scopum Romanum Africana non admitti-  
bat Provincia, ante Sardicense in tota  
Ecclesia ignotam, excludebat usus forma-  
tarum.*

„Declaro jus appellationum ad S.  
„Sedem apostolicam inviolabiliter & per  
„omne tempus jure divino spectasse,  
„nec primum introductum, sive attri-  
„butum a concilio Sardicensi, sed tan-  
„tum harum appellationum usum ante  
„Sardicense prædictum non adeo fre-  
„quentem extitisse.”

V. *Provincialia, quos in fide & mori-  
bus edunt. Canones, obligant, ut de Afri-  
canis patet.*

„Declaro, quod prædicti Canones  
„obligant, & communi Ecclesie con-  
„sensu & usu recipiantur, si vel a gene-  
„rali concilio, aut a summo Pontifice  
„approbentur.”

VI. *Quod semel in Spiritu Sancto con-  
gregatum fuit, ulteriorem confirmationem  
non expectat.*

„Declaro, me per voces (semel in  
„Spiritu Sancto congregatum) intelli-  
„gere celebratum consummative in Spi-  
„ritu Sancto,”

VII. *Consilium Evangelicæ paupertatis  
non sequitur, qui dimissa suis hæreditate  
petit Monasterium.*

„De-



„Declaro, me arbitrari illos non Sac. XVII.  
 „tam exacte ad literam, & perfecte A. C. 1640.  
 „Evangelicæ paupertatis consilium se-  
 „qui, quam eos, qui erogato pauperi-  
 „bus patrimonio in Regularium disci-  
 „plinam se recipiunt, propter verba  
 „Christi Matthæ, 19. *si vis perfectus esse,*  
 „*vade, vende omnia, quæ habes, & da*  
 „*pauperibus.*

VIII. *Monachi & Regulares debent in*  
*omnibus esse subiecti Episcopis, qui nisi*  
*missis paruerint, iis hierarchica omnis in-*  
*terdicitur functio.*

„Declaro, me sic intelligere, ut ve-  
 „lim eos ex regularibus, qui plebema  
 „parochialibus Missis, & Sacramento-  
 „rum in iis perceptione avocant, pec-  
 „care. Eos denique regulares, si spe-  
 „ctentur jure ordinario, & ex primæva  
 „institutione, seclusis privilegiis, sub-  
 „jectos, & submissos esse Episcopis..”

## §. CXX.

*Catalonorum rebellio ac defectio.*

Erupit tunc temporis in apertum Ca-  
 talonorum desperata rebellio, cujus  
 infausta auspicia ab Hispana Salsularum  
 obsidione repetenda sunt; cum enim  
 Olivarius Comes supremus Hispani Re-  
 gis Minister in Richeli Cardinalis o-  
 idium, hanc urbem expugnandi avidi-  
 tate

*Ferr. Hist.*  
*Hisp. cont.*  
*tom. 12.*  
*p. 353. §. 35.*  
*Nani Hist.*  
*Venet. l. II.*  
*Rivol. di*  
*Catal. da*  
*Luca Assa-*  
*tate rino.*



**Sæc. XVII.** tate flagraret, Catalonos ad militares  
**A. C. 1640.** labores vinculis ac verberibus urgeri  
 jussit, impositisque tributis, militum  
 contuberniis, ac violatis eorum privile-  
 legiis Nobiles æque ac plebæos imma-  
 niter vexavit: Enimvero hi duos Ca-  
 puccinos Bernardinum de Mamleu, &  
 Joannem de Sardagna Madritum ableg-  
 gabant, supplices, ut tandem ab im-  
 modicis liberarentur vexationibus: ve-  
 rum ad hæc querelas surda erat  
 Aula, & Cataloni insuperhabito  
 nationis suæ privilegio, quo extra pa-  
 triam ad militaria compelli nequirent,  
 nihilominus contra Gallos ex suis po-  
 pularibus sex armatorum millia con-  
 tricripere, quorum quamplurimi Salsu-  
 lanæ obsidionis tempore peste, cædi-  
 bus, aliisque miseriis absumpti sunt:  
 Deploranda horum conditione adeo non  
 movebatur Olivarius, ut etiam hanc  
 Provinciam militibus Hispanis ad hie-  
 mandum concederet, quorum petulan-  
 tia, rapinis, stupris, incendiis, ac cæ-  
 dibus Cataloni, atque ex his præcipue  
 Barcinonenses demum exasperati, ha-  
 bito Ordinum conventu decreverunt,  
 immunitates patrias quovis pretio tuen-  
 das esse. Comperto horum consilio O-  
 livarius hujus factionis principes capi  
 jussit, vicissim vero Helenanus, Orgel-  
 lensis, & Gerundanus Episcopi milites,  
 qui



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

qui Ecclesias deprædati fuerant, an-  
nuente ipso Rege, anathemate percu-  
lerunt: rursus vero Cataloni Madritum  
decem Viros oppido conspicuos ablega-  
runt, qui captos libertati restitui pete-  
rent. Verum priusquam hi Madritum  
venerant, jamjam seditioni datum est  
initium; cum enim miles quidam pro-  
pe arcem, cui nomen, *Dantonia Fluvia*,  
ab obvio rustico frigidam peteret, hic  
vero illum glande trajiceret, mox ce-  
teri milites in rabiem acti, effractis fo-  
ribus hujus arcis Dynastam in Templo,  
quo confugerat, trucidarunt. Sacrilega  
hac cæde velut classico excitati ru-  
stici, Italam legionem, quæ ad oppi-  
dum San-Colomnam hybernatum ive-  
rat, adoriuntur, multisque interfectis  
in fugam agunt: milites vero vicem  
repenfuri duo oppida deprædantur, ac  
comburunt, necnon in San-Colom-  
nana urbe quadraginta ædes solo æ-  
quant. Inde vero universa Catalonen-  
sis Provincia communi seditione exar-  
sit: confluunt plusquam quinque con-  
juratorum millia, totoque furore Ge-  
randam urbem occupant, Gubernato-  
rem & Regios Ministros, quos illuc au-  
fugisse noverant, in frustra concidunt,  
militesque, quos ipsis casus infausta-  
que fors in manus dederat, tanquam  
hæreticos, fideique proditores misere  
truci-



Sæc. XVII. A. C. 1640. trucidant: Aucto demum furore Sannonicum progrediuntur, ibidemque Mutinensis Legionis milites promissa vitæ venia deceptos, noctu una omnes interficiunt, necnon quadringentos equites, cæcis quamplurimis, Barcinonem usque in fugam agunt. Haud leve incrementum periculosa hæc seditio exinde ceperat, quod civium præcipui, imo & nonnulli Provinciæ Proceres præprimis Barcinonenses sub Religionis vindicandæ obtentu hæc rusticorum ausus approbassent, illosque tanquam Templorum a militibus flamma, rapinis & cædibus prophanorum ultores deprædicassent. Horum applausu animati rustici nuper a Pro-Rege captos armata vi e carceribus suis eripere decernunt, ac falso persuasi, se justum bellum adversus patriæ legis transgressores, hæreticos, ac Catholicæ Religionis hostes gerere, ipsum Christum Dominum tanquam suum Belliducem sibi eligunt, & supplicantium more, Christi Crucifixi imaginem præferentes, Barcinonensem urbem armati ingrediuntur, captos effracto carcere liberant, in triumphum ad Cathedralium ducunt, expletoque furore nonnisi Episcopis, Consulibusque impense rogantibus, urbe excedunt. Tandem hujus seditionis fama ad ipsas Regis



Regis aures pervaserat, qui in militum Sæc. XVII.  
 licentias æque ac in rusticorum insultu A. C. 1649.  
 tus severe inquiri iussit.

Nec tamen propterea resedit seditionum rabies; cum enim die septima Junii in festo Corporis Christi plusquam rusticorum quingenti clam armis instructi Barcinonem venirent, accidit, ut quidam satelles ex rustico explorans, an occulta gestaret arma, illum post mutuas altercationes pugione vulneraret, mox ad læli vociferationem concurrunt unaomnes, collectisque undique lignis Palatium Pro-Regis incendere parant, ipsumque Pro-Regem, qui tantam audaciam immisis copiis compercere nitebatur, urbe expellunt, demum, cum ab ipso numero cresceret seditionis ardor, factiosi in plura divisa agmina Regios Ministros aut interficiunt, aut spoliatis eorum ædibus fugam agunt, ipsum etiam Sant-Columam Proregem denuo reversum, cum in armamentarium suæ salutis consultus aufugeret, lapidibus obrutum multis vulneribus confodiunt, Regiisque præfidiariis urbe pulsas, Procures ceteras regiarum partium aut necant, aut bonis exutos in exilium ejiciunt, ac Regis ærarium diripiunt, furore ex urbe in agros effuso. Tentabant Urbis Senatores motæ seditionis calumniam al

*Hist. Eccles. Tom. LX.* Cc amc



Sæc. XVII. A. C. 1640. amoliri, constituto magnæ pecuniæ præmio præprimis in eum, qui Pro-Regis ficarium proderet: Episcopi quoque & Ecclesiastici seditiosos cives, rusticosque placare satagerunt: Olivarius etiam benignior factus, Cordonæ Ducem natione Catalonum, in Pro-Regem nominabat, qui sua mansuetudine, prudentia, morumque comitate absdubio populares suos ad Regis obsequium revocasset, nisi paulopost præmatura nimis morte reddendæ pacis spem fessellisset. Eo fatis functo Provinciæ Deputati ferme omnes Cataloniam Hispani Regis imperio subducere decreverunt, atque inter eos Clarissus novæ Reipublicæ normam esse invehendam censuit, hancque in rem Franciscum Villaplanam plena agendi facultate instructum in Gallias supplicatum ablegabat, ut Rex liberam hanc Rempublicam suo patrocínio tueri vellet. Annuente Galliarum Rege, ac primo remissius novis tumultibus Victoriæ & Dertosi exortis, resistente Ægidio Garzia Manriquez Barcinonensi Episcopo, novo Pro-Rege, tandem universa Catalonia Hispani Regis jugum excussit. Incassum Papæ Nuntius, Ducissa de Cardona, & Philippus IV. Rex missis eo Legatis, crebris hortationibus, & oblata veniæ gratia seditiosos ad officium revocare satagebant,



gebant, eoquod Cataloni ab Clarisio Sæc. XVII.  
 promissis Gallorum suppetiis firmati A. C. 1640.  
 omnem reconciliationis viam abhorre-  
 rent: interim vero armorum violentiam,  
 quam Valesius Bellidux cum valido  
 milite ad Cataloniæ fines emisso in-  
 tentabat, simulata obsequendi volun-  
 tate, motæque rebellionis dolore per-  
 fide eluserunt simulque Ducem Andega-  
 vensem Franciæ Regis Filium nonnisi  
 trimestrem Infantulum in Reipublicæ  
 suæ Principem elegerunt, quo facto  
 Ludovicus Galliarum Rex seditiosos  
 Barcinonenses, eorumque exemplo Ca-  
 talonos omnes in fidem, suumque pa-  
 trocinium recepit, ac conscripto milite  
 subsidiario Belliduces expertos rebelli-  
 bus submitit.

## §. CXXI.

*Lusitani Hispani Imperii jugum ex-  
 cutientes.*

Prosperis Catalanorum successibus a-  
 nimati Lusitani Ulyssipone matura-  
 tam jam diu defectionem ordiuntur: Ab  
 eo tempore, quo Sebastianus Lusitaniæ  
 Rex in prælio a Mauris trucidatus occu-  
 buit, inter competitores ingens fervebat  
 æmulatio, tandem vero neglecto jacobo  
 Bragantino Duce, Philippus II. Hispa-  
 niarum Rex ductore Alba Duce Lusi-  
 taniam

*Vertot Hist.  
 des revol. de  
 Portug.*

*pag. 44.*

*Passerelli  
 Bell. Lusit.*

*pag. 364.  
 Brago Hist.  
 dell. rivol.  
 di Portug.*



Sæc. XVII. taniam armorum vi subegit, eapropter  
A. C. 1640. ipse necnon Philippus III. & IV. Lusitanos non velut indigenas subditos, sed gentem armis subactam habuere: inde vero inveterata eorum in Hispanos aversio, quæ indies vel ideo aucta, quod Regni Proceres, ac Nobiles a publicis officiis excluderentur, & populus ad incitas redigeretur. Postmodum regnante Philippo IV. Margaritha Sabauda Mantuæ Ducissa in Lusitania ProReginæ nomen gerebat, rerum autem summam pro suo arbitrio moderabatur Michael Vasconcellus a folius Olivarii Ducis nutu dependens. Hic juxta Magistri sui præcepta, ut Lusitanis seditionis bellicque nervum succideret, tanta inhumanitate pecunias ab eis extorserat, ut potius militares exactiões ab hostibus, quam legitima tributa a subditis exegisse videretur: Solus adhucdum Hispanis suspectus videbatur Joannes Bragantiæ Dux, qui primævo naturæ beneficio indolem ad omnes humanitatis leges compositam nactus, præter divitias, certumque successionis jus in Regnum, insuper plurimum auctoritate & affectu apud Lusitanos valebat. Hunc ergo a Lusitania evocare, ac Mandritum pellicere, in primis curis habebat Olivarius, præcipue cum Eburani novis tributis exasperati in primo indi.



indignationis suæ ardore Bragantinæ sæc. XVII.  
 Domus imperium publicis votis exoptassent: Ut igitur Olivarius tam potentem Hispanæ Dõminationis æmulum A. C. 1640.  
 Lusitanis subduceret, primo Mediolanensis Gubernatoris dignitatem, postea supremam Hispani exercitus contra Catalanos educendi Præfecturam eidem obtulit: eo autem hos laqueos vario obtentu cautius eludente, Olivarius Comes Lopezio Osorio, qui Hispanæ classi contra Gallos in Cataloniae opem excurrentes instructæ præerat, negotium dedit, ut Joannem Bragantiæ Ducem in Hispaniam captum abduceret: Verum Bragantino saluti fuit tempestas, qua Hispana classis a maritima Lusitanæ ora propellebatur: Spe ergo sua frustratus Olivarius alias parabat insidias; datis igitur literis affectu & fiducia in Ducem plenis, eundem de infausto Hispanæ classis fato certiolem reddit, rogatque, ut ipse, cum Rex novæ classi instruendæ impar esset, cuncta Regni propugnacula, portusque lustraret, ac submissis quadraginta aureorum millibus hæc loca adversus Gallorum incursus valide muniret, & Lusitanam juventutem indicto delectu armis instrueret: secreto autem Olivarius Hispanis arcium Præfectis præceperat, ut Ducem in proximo portu caperent,

Cc 3

mox



Sæc. XVII. mox in Hispanias abstrahendum. At-  
 A. C. 1640. tamen insueta hæc Olivarii benevolentia  
 Bragantino latentis doli suspicionem  
 ingerebat: unde Dux plena, quam ei  
 Olivarius dederat, auctoritate contra  
 ipsos Hispanos utendum ratus, pecunias  
 sibi submissas ad conciliandos Nobiles,  
 civesque, necnon ad armandos juvenes  
 Lusitanos impendit: Jamjam suis consiliis  
 suffragabantur Rodericus de Cugna Ulyssiponen-  
 sis Archiepiscopus, alique duodecim primæ  
 Nobilitatis Viri, quos præprimis Joannes  
 Pinto Ribeira, qui Duci a secretis erat,  
 jam dudum Hispanam dominationem  
 exosos proxima auspicatoris imperii  
 spe lætabat, juvenibus vero, quod illos  
 Hispani sub specie bellicæ expeditionis  
 contra Catalanos, in exilium extra patriam  
 prolectare tentarent, exponebat, cives  
 autem & Mercatores Commerci ex Indiis  
 ad Gades per nefas translatis, damnum  
 immense inde redundantis memores esse  
 jubebat: denique apud Clerum violatas  
 immunitates & jura, necnon præcipuas  
 dignitates Ecclesiasticas nonnisi  
 exteris concessas exaggerabat. Dispositis  
 ita plurimorum animis, secretorum  
 conscii clam conventum habuere, in quo  
 Archiepiscopus cuncta spiritus & eloquentiæ  
 suæ fræna laxare, & in Hispani Regis  
 ignaviam



viam, Olivarii & Vasconcelli crudeli- Sæc. XVII.  
 tates, imposita tributa, militumque A. C. 1640.  
 vexationes, ceterasque patriæ calamitates pleno sermonis impetu detonare cepit: cum autem nil Oratore nervoso potentius ad firmandos in cepto proposito animos, nilque penetrabilius ad conciliandas dissonas voluntates, ita vix credibile est, quo repentino inter se consensu tota gens jam dudum a veteris obsequii studio aliena ad res novas insurrexerit: Ne vero cunctatio, solito suo vitio, bene consultata destrueret, tanquam in arena capto consilio confestim Michael Almeida, Mendoza & Antonius Almada Joannem Bragantiæ Ducem adeunt, eidemque Lusitanum diadema offerunt. Continuo Dux Hispanæ potentæ metum in populi sui, Gallicique præsidii fiduciam vertens, applaudente Ludovica Augusta Coniuge sua sceptrum acceptavit: Tum vero conjurati incredibili furore Vasconcelli Palatium adoriuntur, cæsisque Prætorianis, dispersisque satellitibus eundem multis plagis conficiunt, ac die prima Decembris aut captis aut trucidatis Hispanis Proceribus, necnon Margaritha Sabauda ad fines Regni deportata, Joannem IV. in Lusitanæ Regem proclamant, cui paulopost non modo Ulyssiponensis arx & Urbs, sed &



Sæc. XVII. A. C. 1640. universa Lusitania obsequii homagium præstitit. Hæc Joanne adhuc absente agebantur: die autem sexta ejusdem Mensis comperto rei successu novus Rex Ulyssiponem ingressus, a cunctis Proceribus & populis ingenti applausu excipitur. Ita paucos intra dies non modo Lusitania ab Auftriacis Hispaniæ regibus defecerat, sed etiam, quæ annexæ erant, remotissimæ Regiones, Brasilia in America, Malabaria in Asia, & quæ præterea Lusitani nominis erant, vel in Asia, aut Africa novo Regi fidem jurarunt, sola tamen Septa in Africa Hispanis remansit, aperto regibus documento, Regna levi momento sæpe ob unius Ministri sævitiam a gente in gentem transferri: tantæ enim jacturæ acerbitas omnis, & dolor ab Hispano Rege haud immerito in solum Olivarium, clientem suum in paucis charum, supremumque rerum arbitrum conjecta fuit. Ceterum prodigii loco habebatur, quod in tanta conjuratorum multitudine, quæ plerumque infida secreti custos est, tam diu agitatum consilium occultari, atque perspicacissimos Hispanorum oculos latere potuerit. Ut vero Lusitani novum Regem tueri possent, auxilia ingentemque belli apparatus copiose a Gallis Batavisque inito cum eis federe, acceperunt, Hispanorum crudelitatem,



tatem, avaritiam, arrogantiam, usur- Sæc. XVII.  
 pationes, & nescio, quæ crimina plus A. C. 1640.  
 æquo tam calamo, quam lingua ubi-  
 que in primo seditionis prosperæ æstu  
 exaggerantes: sed scilicet is rebellium,  
 & desperatorum mos priscus est, in-  
 sectari satyris & contumeliis eos, qui-  
 bus par esse nequeunt successibus, om-  
 nisque semper potentia nimia, quan-  
 tum æmulis clausa, tantum maledicis  
 esse consuevit aperta, vociferantibus,  
 violenter esse occupatum, quod valen-  
 ter sentiunt custoditum.

## §. CXXII.

*Caroli Regis rationes pro æquitate  
 belli contra Scotos rebelles  
 denuntiati.*

Quamvis Puritani in Scotia primi ar- Rusworth  
 ma contra legitimum Regem suum vol. 3. p. 993.  
 parassent, atque ad eorum vota pacis Et seqq.  
 articulos extorsissent, nihilominus eo Clarendon.  
 temeritatis devenere, ut ipsas concor- t. 1. p. 167.  
 diæ tabulas aliis verbis, quam cum Rege Salmon hist.  
 convenissent, promulgarent, & non Chron.  
 pauca Regi injuriosa inspergerent: quo d' Angl. t. 1.  
 comperto Carolus Rex depravatas hasce pag. 213.  
 tabulas Londini a carnifice comburi  
 iussit: Inde vero aucta est Puritanorum  
 indignatio, qui etiam rursus arma ca-  
 pesserunt, utque Regem suum eo validius



Sæc. XVII impugnare possent, Loudenium in Gal-  
 A. C. 1640. lias suppetias petiturum destinavit, tra-  
 dito eidem epistola, in qua Franciæ  
 Regem Asylum & Principum, Ordinumque oppressorum Sanctuarium appellitabant: attamen forte ita casus tulit, ut hæc epistola a Traquerio intercepta in Regis manus incideret, qui Loudenium Londinensi Turri includi iussit, ac perspecta sui populi perfidia, cognitoque periculo adversus hos rebelles in Senatu Anglico bellum decrevit, illiusque æquitatem hisce rationibus fulciri satagit. I. Parlamentum libertate sibi promissa eo usque abutebatur, ut præter Religionis, suorumque privilegiorum libertatem, quam *consone ad civiles Ecclesiasticasque leges* petiissent, plurima ultra leges stabilitas sibi arrogarit. II. Puritani præter Jacobi Regis conventionem anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo initam, & a Carolo Rege approbatam, aliam erexerunt, in qua mutuum inter se auxilium jurato polliciti sunt contra quoscunque, nequidem excepto Rege, cum tamen in priori conventionem ejusmodi mutuum subsidium fuisset promissum, *si illud Rex præceperit*. III. A tempore inchoati Parlamenti inscio & invito Rege copias conscribere, easque delectu habito ad bellum paratas esse



esse jufferunt. IV. Ingentem armorum Sæc. XVII.  
apparatum contra Regem ab exteris A. C. 1640.  
regionibus sibi compararunt. V. Ex  
subditorum proventibus pro summo im-  
perio tributa imposuere. VI. Famosos  
libellos contra regium Regimen per  
Angliam in vulgus sparserunt. VII.  
Edinenfis arcis Gubernatori necessaria  
ad reparandos muros suppeditare, spre-  
to Regis mandato renuerunt. VIII.  
Milites Regios pro coemenda annona  
ex arce in urbem descendentes, variis  
modis divexarunt. IX. Eandem ar-  
cem, ne illa Rex prævaleret, cinctam  
tenuere, variasque urbes tormentis,  
aliisque propugnaculis contra Regem  
munierunt. X. Plures Proceres, quod  
Regi addicti essent, carceri mancipa-  
runt. XI. Edinenses Magistratus non  
sine perduellionis labe, Regi suo obse-  
quium denegarunt. Cum ergo propter  
has, pluresque alias causas Carolus  
Rex adversus rebelles subditos suos  
bellum denuntiare, compulsus esset,  
ad diem decimam tertiam Aprilis Par-  
lamentum in Anglia convocare statuit,  
ut a Regni Ordinibus pecuniarum sub-  
sidia impetrare posset.



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

§. CXXIII.

*Senectus, seu Parlamentum a Carolo Rege in Anglia habitum.*

*Rapin Thoir  
Hist. d' Angl.  
l. 19. p. 631.  
Nelson t. I.  
pag. 306.*

Enimvero Thomas Wentworthus Staffordiæ Comes sponte sua ad hoc bellum viginti, & Lenoxius Dux, pluresque alii Proceres ferme quadraginta librarum millia Regi suppeditabant, Hiberni quoque Ordines quatuor, ut vocant, subsidia offerebant: ut vero ceteræ etiam Provinciæ sua quæque tributa penderent, Parlamentum convocari necesse erat: Die igitur præstituta Rex Proceribus, Nobilibus, civibusque Westmonasterii congregatis per eundem Comitem supremum Regii Sigilli Custodem pluribus exposuit, qualiter Jacobus ejus Pater Anglicam nationem ab exterorum insultibus vindicaret, Scotos & Anglos in unam gentem cum ingenti splendore, & Angliæ Regni honore conjunxerit, atque in ipsos etiam Scotos beneficia, totiusque Nationis Anglicæ jura & privilegia nullo discrimine extenderit: „nunc vero, „pergebat Comes, Scoti fidei, gratitudinis & obsequii immemores, filii „Belial suis insolentiis & rebellionibus „classicum concinnunt, & cujusdam „Achitophel consilia secuti excusso Re-  
gii



„gii Imperii jugo infinitam propemodum Sæc. XVII.  
„multitudinem in rebellionis societatem A. C. 1640.  
„secum rapiunt, & honores, potestatem,  
„Regiamque auctoritatem usurpantes,  
„arma contra Unctum Domini, legiti-  
„mum ac minime dubium Regem suum  
„capessunt: His quidem Rex exercitum  
„suis expensis ac fidelium Anglorum  
„ope contractum opposuit, non ut no-  
„ceret, sed ut eos terrore ad obsequium  
„revocaret, hi vero Regio militij insultantes  
„audacter gladiis caput objectare  
„ausi sunt: Rex quidem probe perpen-  
„dit, Puritanos ex illis esse, quos nec  
„vincere, nec vinci gloriosum fuerit, ma-  
„luit tamen, facta futuri obsequii  
„fideique pollicitatione injuriarum ob-  
„livisci, quam ultionem in subditos  
„exerrere. Quamprimum vero Rex  
„Bervico redierat, luculenter patuit,  
„Scotos simulato hoc obsequio tum  
„nonnisi ad exequenda perniciofa eo-  
„rum consilia, & ad declinandam tem-  
„pestatem eis impendentem temporis  
„inducias quævisse, nunc vero exte-  
„rum quoque hostem in rebellionis o-  
„pem evocare. „ His dictis Rex præ-  
„fatam Loudenii epistolam ad Galliarum  
„Regem a Rothessio, Montrosa, Mon-  
„gomeryo, Loudeno, Leslæo, Forre-  
„stero, & Marro Scotis Proceribus sub-  
„scriptam exhibuit, ac prælegi jussit,  
„postea



Sæc. XVII. postea Windebanckium, quem a Secretis habuit, ad inferioris Curiae Patres decrevit, ut eis exponeret, Scotorum temeritatem jam eo devenisse, ut non amplius controversia ageretur de Liturgia, vel de Episcopali Regimine, sed an ipsemet Carolus ultra eorum Rex esset futurus, an secus: cum ergo, inquietabat Windebanckius, Rex tam perniciosam rebellionem inultam transmittere non posset, maxime cum & illi pacem proterve nuper violassent, sibi esse consilium, illos bello, quando alia rationes compertæ fuissent inutiles, ad justas obsequii metas reducere; quam ad rem subsidia necessaria a fidelibus & amantissimis Angliæ suæ Ordinibus se petere instanter instantissime, promittens, se impetrato, quod sufficeret, auxilio, Tributum navale remissurum, nec ullis postea civium desideriis refragaturum, modo nihil subsidiis concedendis anteverteretur.

Attamen inferioris Curiae Patres, quorum potissimi erant Puritani Scotis bene affecti, de Scotiæ turbis ac vindicanda Regis autoritate parum solliciti, die vigesima sexta Aprilis rebellionem querelas de exactiōibus, privilegiorum violatione, disciplinæ Ecclesiasticæ immutatione, tribunalis pro Anglorum Procerum delictis inquirendis



dis erecti, necnon *supremæ Commissionis* **Sæc. XVII.**  
 excessibus exaggerabant, petentes, ut **A. C. 1640.**  
 priusquam de pecuniarum subsidiis age-  
 retur, populorum querelis satisfaceret;  
 non enim agnoscimus, reposuerunt illi,  
 conditionem, quam Regi placuit ad-  
 jicere petitioni nostræ, scilicet: quod si  
 pecuniæ, quantum satis esset, dare-  
 mus, ipse Tributum navale remissurus  
 esset: Satis enim constat, hoc nullo  
 jure populo impositum, sed per vim in-  
 iustam esse extortum. Nec teneri po-  
 pulum Anglicanum subsidia contribuere  
 in bellum, quod non bono, sed exitio  
 Patriæ est inchoatum, & quod maxi-  
 me detestatur. Rogamus igitur potius,  
 ut auctores impii illius belli supplicio  
 afficiantur.

Præterea, cum eis innotuisset, quod  
 Rex in Loudenium iudicii acta instruere  
 vellet, hi Regem jam eo redactum,  
 ut supremo jure haud ultra agere pos-  
 set, compulerunt, ut hunc perfidum  
 hominem libertati assereret. Ex ho-  
 rum petulantia Rex acerbiora metuens,  
 Laudo Archiepiscopo, & Thoma Went-  
 wortho Staffordiæ Comite suadenti-  
 bus, die decima sexta Maij Parlamen-  
 tum dissolvit, palam tamen professus,  
 se non minus pro patriarum legum obser-  
 vantia fore sollicitum, ac si Parlamen-  
 tum esset congregatum. Postridie Rex  
 e Cu-



Sæc. XVII. e Curia inferiori tres Senatores, qui  
 A. C. 1640. præcipui erant seditionis inctores

Hothamum, Crevium, & Belazifum  
 custodiæ dari, & Nobilis Brockii scri-  
 nia excuti jussit: hac ipsa tamen seve-  
 ritate rursus Parlamenti jura a Rege  
 fuisse violata, vociferabantur Puritani:  
 Ediderat quoque Blagshavius libellum,  
 quo demonstratum ibat, Parlamenti  
 decreta etiam dissentientibus Episcopis  
 valida esse, nullamque Clericis profa-  
 nam competere jurisdictionem: recla-  
 mabat Rex, Cancellarius, & Cantua-  
 riensis Archiepiscopus, Puritani tamen  
 Authorem amplis præmiis, & elogiis  
 celebrabant, qui etiam die decima nona  
 Maij in publico foro Londini scri-  
 ptum quoddam affixerant, quo omnes  
 artium tyrones Archiepiscopi Pala-  
 tium solo æquare sollicitabantur: In-  
 terim Clerici in suo Conventu sub Sy-  
 nodi nomine Sessiones, annuente Rege  
 prosequabantur, & conditis septende-  
 cim Canonibus decernebant, ut omnes  
 Ecclesiastici, & Universitatis Doctores  
 jurato profiterentur, quod Doctrinam  
 „& Disciplinam in Anglicana Ecclesia  
 „stabilitam, utpote quæ cuncta ad sa-  
 „lutem necessaria contineat, approba-  
 „rent, nulloque pacto ullam doctrinam  
 „Papisticam invehere, nec in moderno  
 „Ecclesiæ Regimine immutationem ad-  
 „mit-



mittere, vel hoc Regimen superstitio- Sæc. XVII.  
 nibus Romani Episcopi subjicere vel- A. C. 1640.  
 lent., Displicuit non paucis hæc ju-  
 ramenti formula, eoquod *Ecclesiastici*  
 subditos ejusmodi juramento adstrin-  
 gere ausi essent, hocque jurejurando  
 Ecclesiæ disciplinam immutandi liber-  
 tatem Regi demerent, cui tamen soli  
 tanquam *supremo Ecclesiæ Capiti* olim  
 egregii Reformatores utramque pote-  
 statem adjudicarunt: ita nempe pro  
 varia temporis rerumque vicissitudine  
 de suprema potestate Ecclesiastica mer-  
 cari consuevere.

## §. CXXIV.

*Ipsimet Angli vario sub obtentu Regi  
 suo infensi.*

Tantus erat Scotorum Regem suum  
 opprimendi ardor, ut ipsos etiam  
 Anglos innumeris beneficiis eidem ob-  
 strictos ad rebellionis suæ societatem  
 pertrahere, totis viribus adlaborarent,  
 nec etiam animosis eorum conatibus  
 defuit perverſi consilii successus; quip-  
 pe ex bellicæ ultionis metu omnem  
 pecuniarii subsidii spem intercidere in-  
 tenti, varias Angliæ urbes, ac præci-  
 pue Londinensem ad denegandas in  
 Scoticum bellum suppetias impulerunt,  
 populumque contra Regem concitare  
*Hist. Eccles. Tom. LX.* Dd fata-

*Toyras Hist.  
 d' Angl. l. 19.  
 Clarendon  
 tom. 1.  
 pag. 191.  
 Nalson l. c.  
 pag. 491.*



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

fatagerunt; quocirca per emissarios suos in vulgus sparsere, quod Rex sua tyrannide in Scotos sibi ad æqualem contra Anglos sævitiam viam sternere, & non tam Episcopalis Ordinis studio, quam plenam Regiminis politici potestatem sibi soli arrogandi cupiditate Hierarchiam in Scotiæ Regnum invhere moliretur: His addebant, quod Rex Papismum in sua Regna revocare niteretur, cum Reginæ suæ Religione Catholicæ, Laudo Archiepiscopo, ceterisque Protestanticæ Religionis hostibus nihil denegare auderet, ac insuper Papistas, qui fidelitatis juramentum deferre recusarunt, non modo toleraret, sed etiam tanquam fidelissimos subditos protegeret, variisque beneficiis cumularret; quinimo palam Rosseto Comiti, qui Londini Papæ negotia procurabat, instigante & favente Regina permiserit, ut sine ulla dissimulatione aulam cum splendido comitatu adiret, atque in suis ædibus tanquam communi asylo Catholicis conveniendi copiam faceret: ac præterea Papistæ horum patrocínio suffulti ad tantam proruperint temeritatem, ut publice & turmatim Londini ad suas Ecclesias, perinde ac si Senatus auctoritate essent munitæ, confluerint. His aliisque suspicionibus, calumniis & querelis Scoti



Scoti populo Anglicano averfionem Sæc. XVII.  
 contra Regem fuum inflillare, totis vi- A C. 1640.  
 ribus nitebantur: exin vero ipfemet  
 Rex haud obscure cognofcere poterat,  
 quod ex Anglis nonnifi pauciffimi in  
 bellicam expeditionem contra Scotos  
 lubenti animo pecuniarum subsidia fup-  
 peditari, minus vero arma capeffere,  
 parati effent.

## §. CXXV.

*Regis exercitus a rebellibus Scotis  
 profligatus.*

Tandem Rex ad eam redigebatur ne- Salmon hift.  
 cessitatem, ut rebelles Scotos ar- d' Angl. l. c.  
 morum vi ad obfequium revocare coge- Pufendoff  
 retur: die igitur trigesima Julii viginti Introd. a  
 armatorum millia, ductore Northum- Hift. t. 4.  
 berlando Comite, in aciem eduxit;  
 militabant sub Regis vexillo potiffi-  
 mum Hiberni & Catholici, quos Reli-  
 gionis fuæ fanctitas in Regis fui fide  
 immotos tenebat. Attamen Conwayum  
 Comitem Regii Equitatus Præfectum  
 jamjam prævenerat Leslæus, qui a  
 Batavis Gallisque omni bellico appa-  
 ratu, pecuniisque largiter inſtructus  
 die vigesima Auguſti, qua Rex Lon-  
 dino Eboracum contenderat, cum vi-  
 ginti duobus Scotorum millibus in An-  
 gliam irrupit, ac die vigesima feptima  
 Dd 2 ejus-



Sæc. XVII ejusdem Mensis Neoburriæ castra po-  
A. C. 1640. fuit, Tynam fluvium trajecturus: ni-  
 hilominus Conwayius instructo milite, &  
 composito ad inhibendum transitum a-  
 gmine occurrit, committitur prælium,  
 & ut plerumque in civilibus bellis fieri  
 amat, primum rebellibus fortuna favit,  
 quippe cæsis regionum ferme quadrin-  
 gentis Conwayius, Dunhelmum usque  
 aufugere, ac Neocastrum bellico apparatu  
 & annona instructissimum hosti cedere  
 compulsus est; Hac suorum clade ter-  
 ritus Rex, die prima Septembris re-  
 bellibus subditis suis veniam obtulit,  
 dummodo positis armis sese subjicerent,  
 obstinatos autem Scotos, eo quod sub-  
 tuendæ Religionis obtentu Regiam au-  
 thoritatem abolere molirentur, perduel-  
 lionis reos ac rebelles, publico edicto  
 declaravit. Verum Scoti nec minis  
 territi, nec Regis clementia placati,  
 Northumberlandiam, & Dunhelmen-  
 sem Episcopatum exactionibus & rapi-  
 nis exhauerunt, ipsumque Regem Ebo-  
 racum usque aufugere coegerunt: nec  
 his contenti, insuper duo edicta (\*) pro-  
 mulga-

(\*) Primi edicti titulus erat: *Sex rationes,*  
*quibus Scotorum irruptio in Angliam vindica-*  
*tur: alterum ita inscribatur: Scotorum, sui-*  
*que exercitus innovationes suis in Anglia fra-*  
*tribus expositæ.*



mulgarunt, in quibus audacter declarabant, quod Rex pacem violarit, ipsi vero arma nequaquam in Regnum vertere cogitarint, sed unice se suaque contra juratos hostes suos, nominatim Stafordix Comitem, & Cantuariensem Archiepiscopum defendere, intendirint, præcipue cum propter commercii libertatem terra marique intercifam, proximam ruinam prævertere cogerentur: hujus vero sinceræ intentionis suæ testem ipsum Deum invocabant, omnia sacra profanaque contestati, ac insuper fidem suam jurantes, ac dejerantes, perinde ac si perfidiæ suæ sat ponderis non fuisset, nisi perjurio suo Numen etiam & superos involvissent. Postea Anglos ad parem seditionem sollicitabant, eoquod non minus Anglorum, quam Scotorum libertates a Rege invaderentur. Denique ad ipsum Regem die octava Septembris literas dederunt, in quibus petebant. I. Ut Scotix Parlamentum, & Synodi decreta Edini stabilita, rata haberet. II. Edinensi arce, aliisque Scotix propugnaculis duntaxat ad Regni defensionem uteretur. III. Scotos ob subscriptam conventionem nulla pœna nec juramentis aut subscriptione Regni legibus contraria gravaret. IV. Regios horum motuum in-centores severe puniret.

Dd 3

Sæc. XVII.  
A. C. 1640.



Sæc. XVII. niret. V. Navigia Scotis erepta una-  
 A. C. 1640. cum mercibus restitueret, illataque  
 damna resarciret. VI. Edictum, quo  
 Scoti tanquam rebelles declarati fuif-  
 sent, revocaret, suosque milites ex fi-  
 nitimis arcibus educeret, necon libe-  
 rum commercium Anglos inter & Sco-  
 tos restitueret.

## §. CXXVI.

*Carolus Rex Parlamentum convocare  
 compulsus.*

*Rusworth,*  
*Vol. III.*  
*p. 1263.*  
*Nalson t. I.*  
*pag. 435.*  
*Calmet Hist.*  
*Univ. p. 422.*

Haud parum ad extremam Regis per-  
 niciem conferebant Scotorum sol-  
 licitationes, quibus Anglos, & præci-  
 pue Londinenses ad suas partes per-  
 traxere: Hi enim non modo Scotis cen-  
 ties mille Sterlingorum libras ad alen-  
 dos milites suppeditabant, sed insuper  
 quosdam Eboracum ad Regem able-  
 gare ausi sunt, qui de impositis tribu-  
 tis, variis in Religione innovationibus,  
 juramentis, Canonibus, Catholicorum  
 Londini agentium frequentia, quorum-  
 dam civium incarceratione, repentina  
 Parlamentorum dissolutione, commer-  
 cii imminutione, militum præcipue Hi-  
 bernorum exactionibus aliisque populi  
 oppressionibus apud Regem quereren-  
 tur, simulque peterent, ut Rex his  
 malis remedium opponeret, & confe-  
 stim



sum Parliamentum convocaret, in quo Sæc. XVII.  
harum calamitatum Authores punirentur, bellumque sine sanguinis effusione  
finiri posset. Ad horum postulata Rex A. C. 1640.  
hæc respondit: „Priusquam vos mihi  
„vestras querelas exposuistis, jam præ-  
„vidi periculum, quod mihi meoque  
„Sceptro imminet, ac propterea cun-  
„ctos Regni Proceres ad vigesimam  
„quartam Septembris diem Eboracum  
„convocare statui, cum illis, quid in  
„præsenti rerum statu ad honoris mei  
„conservationem, Regnique securita-  
„tem magis conferat, consulturus: vo-  
„bis quoque, ceterisque suas sententias  
„desuper edicere, liberrimum erit: „  
Porro in hoc Procerum conventu Rex  
contracti exercitus causas, rationesque  
exposuit, & Londinensium postulata  
examinans ostendit, eorum quædam  
præcipuas Scotici Regni leges ever-  
tere, alia Regiis prærogativis adversari,  
Regisque proventibus damna inferre,  
ac denique ipsis etiam subditis nociva  
esse: tandem vero Rex Eboracensis Pro-  
vinciæ Proceres hortabatur, ut bi-  
mestre stipendium regiis militibus sol-  
verent; annuere Proceres, supplices  
tamen, ut Rex cum Scotis pacem ini-  
ret, & Parliamentum convocaret. Igi-  
tur ad horum preces Carolus ad diem  
tertiam Novembris Parliamentum Ebo-  
raci

Dd 4



Sæc. XVII. A. C. 1640. rati celebrandum indixit, ac sexdecim Procere designavit, qui die prima Octobris Rhidogoni prævie cum Scotiæ Deputatis de pace agere inciperent, ubi tamen die decima sexta ejusdem Mensis nonnisi de alendo Scotorum exercitu, nequaquam de induciis, minus vero de pace actum: præterea Scoti Eboracum venire recusabant, caussati, fuorum securitati ibidem ob Stafordix Comitum ac Hiberni Pro - Regis præsentiam haud satis consultum fore: cessit eorum importunitati Rex, Angli vero Procere instigantibus Scotis rursus instabant, ut Rex pacis consultationem Rhidogono Londinum transferret: denuo annuit Rex, quamvis haud ignoraret, quod Londinenses cunctis, quæ Parlamentum in Regiæ auctoritatis decrementum esset decreturum, absudio sint suffragaturi, & Scoti in ea urbe tam ex civibus, quam Parlamenti Senatoribus præcipuos sibi oppido propensos, proin Regi infensissimos haberent: unde etiam accidit, quod Angli Procere Scotos ad continuandum bellum incitarent, atque ad id singulis diebus præter octingenta quinquaginta sterlini libras, quicquid ad belli usum erant necessarium, eis abunde suppeditarent, mallentque rebellibus, quam Regi hæc subsidia toties tamque demisse



missa petita concedere, ut ad Parla- Sæc. XVII.  
menti defensionem paratas contra Re- A. C. 1640.  
gem copias haberent.

## §. CXXVII.

*Anglorum Scotorumque violentiæ con-  
tra Carolum Regem suum.*

Intempestiva hac Regis indulgentia Puffendorff  
Angli efferaiores effecti, primas eo Et Salmon  
curas intenderunt, ut Regiam auctori- l. c.  
tatem penitus deprimerent: præprimis  
igitur die quinta Novembris Carolum  
Regem adegerunt, ut rebellibus sub-  
ditis suis recens bello parta tanquam  
jure vindicata relinqueret, nilque ho-  
stile adversus eos ageret, nec Parla-  
mentum Londini inchoatum dissolve-  
ret, nisi prius omnes barbarum Aucto-  
res puniti, atque irrepentes corruptelæ  
fuisent sublatæ, verbo, Rex consen-  
tire cogebatur, ut hi Parlamentum  
suum, quamdiu eis libuerit, prorogare  
valerent: postea aliam Regiminis nor-  
mam pro summo imperio invehentes,  
Regis auctoritatem ferme ad nudum  
nomen restrinxerunt, exauctoratisque  
Episcopis Catholicos omni calamitatum  
genere divexarunt, eosque intra decem  
ab urbe leucas prohibuere, necnon Sa-  
cerdotes ad pœnas ab Elisabetha Regi-  
na sancitas revocarunt: Insuper Par-  
lamen-

D d 5



**Sæc. XVII.** lamentum, ut auctoritatis sibi arrogatæ  
A. C. 1640. specimen daret, simulque Regis patientiam  
exerceret, Stafordix Comitem, fidelissimum Regis clientem in jus vocat, eumque de perduellione inique accusatum die quinta Decembris Londinensi Turri captum includit, simulque Laudum Cantuariensem Archiepiscopum in carceres conjici jubet. Inde vero Curix inferioris Senatores audacia & petulantia crescere cæperunt, ac Londinensi populo in Regem concitato contra novam Ecclesiæ disciplinam ritusque reclamarunt, & Prynneum, Burtonum, & Bostwichum juratos Regis hostes ab eodem in exilium depulsos, velut in triumphum ovantes Londinum revocarunt, eisque plenam suos inimicos insequendi facultatem concessere: die autem decima septima Decembris omnia tributa a Rege imposita tanquam illegitima suppresserunt, eisdemque jus vectigalium ademerunt, condito decreto statuentes, quod Clerici deinceps nullos Canones condere valerent ac, nuper conditi utpote ad seditionem tendentes nec a Laicis nec Clericis essent servandi, Clericorum vero Synodus cunctis Regni & Ecclesiæ legibus adversaretur, proin subsidia ibidem Regi promissa omnino essent irrita: demum Catholicis inhibuerunt, ne Reverentiam



rentiam nomini Jesu exhiberent, nec Sæc. XVII.  
 ad lectionem Evangelii surgerent, mi- A. C. 1649.  
 nus vero imagines Deiparæ in Templis  
 exponeret: quarto autem post die Pen-  
 ningtonus Senator libellum supplicem  
 a quindecim seditiosorum millibus sub-  
 scriptum Parlamento exhibuit, horum-  
 que nomine Episcopatum, & Litu-  
 rgiam penitus aboleri, ac extirpari pe-  
 tit: Denique tam superioris quam in-  
 ferioris Curix Senatores, prævalenti-  
 bus suffragiis eorum, qui Scoticarum  
 partium erant, absque ullo Regiæ di-  
 gnitatis respectu, in speciem, ne po-  
 puli opprimerentur, nec Religio læ-  
 deretur, reipsa autem ut Regem suum  
 auctoritate, Regno, vitaque spoliarent,  
 & Catholicos excinderent, omnes di-  
 vinas, humanasque leges pessumdare  
 non erubuerunt.

## §. CXXVIII.

*Lusitani omnesque Europæi a Japo-  
 nia in perpetuum exclusi.*

Jam ab anno Christi millesimo quin- Kæmpfer  
 gentesimo nonagesimo septimo Ca- Hist. du Ja-  
 tholici in Japonia a Christiani nominis pon. t. 2.  
 hostibus graves pertulerunt vexationes:  
 nihilominus tamen Viri Apostolici, quos  
 Lusitani Mercatores navibus suis in hoc  
 Regnum sæpe invexerant, tanto pro-  
 ventu



**Sæc. XVII.** **A. C. 1640.** ventu Patrum doctrinam (ita Japones Religionem Romano - Catholicam appellabant) propagarunt, ut in unico anno, vigeties mille quingentis septuaginta Martyrio affectis, clausisque jam Christianorum templis, nihilominus plusquam duodecim millia, atque inter eos ipsemet Imperator Fide-Jorius unacum potissimis ex suis Aulicis, Tribunis & militibus fidem Catholicam amplecterentur. Postquam vere Hollandi uberrimo, quem Lusitani ex Japonico commercio hauserant, proventu pellecti, anno Christi millesimo sexcentesimo, firmam Sedem primo in Firanda Insula & postea Nagasaki fixerant, ac demum undecimo post anno a Japonum Cæsare plenam negotiandi libertatem obtinuerant, nil intentatum inaufumque reliquere, ut omnibus Lusitanis, Hispanisque ex Japonia depulsis ipsi soli in hoc Regno mercaturam agere possent. Peropportune eis accidit Bonziorum averfio, ac inde in Imperatorem Japonicum derivata in Catholicos indignatio; quam Hollandi sparsis in Lusitanos calumniis egregie auxerant, cum enim eo tempore, excusso Hispaniæ & Lusitanæ Regis jugo, tanquam rebelles armis opprimerentur, vindicandi animo, Lusitanos supplantare, eisque omnem commercii copiam per  
fas



fas nefasque intercidere, decreverunt: <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 Nec calamus est, neque sermo, qui <sup>A.C. 1640.</sup>  
 possit omnes illorum dolos, calumnias,                       
 infidiasque comprehendere, ut taceam  
 secretas ipsorum machinationes, quibus se cunctas merces, quas hucusque  
 Lusitani in Japoniam intulissent, leviori  
 pretio advecturos, Imperatori pollice-  
 bantur, insuper, & quod horrendum  
 dictu, ut cum Christianæ Religionis  
 contemptu, & Christiani sanguinis di-  
 spendio Japonicum aurum aucuparentur,  
 comminisci haud dubitarunt, Lu-  
 sitana navi prope Bonæ spei promonto-  
 rium intercepta, se epistolam ad Lusi-  
 tanæ Regem a quodam Mauro Japone  
 quidem, Catholicis tamen additissimo  
 scriptam invenisse, ac per eam Chri-  
 stianorum conspirationem adversus Ja-  
 ponæ Imperatorem detexisse. Supposi-  
 titias has literas mox Hollandi Firan-  
 dinæ Insulæ Principi, conductitio Hol-  
 landorum fautori exhibuere, quibus  
 nulla mora ad Nagasaki Gubernatorem  
 transmissis, Maurus, ceterique Lusitani  
 omnes in vincula conjiciuntur, utque  
 crimen, quod nunquam cogitarunt,  
 faterentur, omni tormentorum genere  
 torquentur, & quamvis ipse Guberna-  
 tor de captivorum innocentia testaretur,  
 prævalente tamen odio contra Catho-  
 licos concepto, Maurus palo alligatus,  
 vivus



Sæc. XVII. vivus comburitur, omnibusque Christianis (exceptis Hollandis) Japoniæ Regnum occlusum, & Japonibus Regno exire interdictum est, promulgato hanc in rem edicto, cujus præcipui articuli erant sequentes.

I. Nec ullum navigium, nec ullus ex Japonibus indicta mortis poena Regno exeat, pariter Japones ad Regnum reversi morte plectantur.

II. Quicumque Sacerdotem vel Christianum manifestarit, quinquenta Sterlingicorum nummum libras in præmium accipiat.

III. Omnes, qui Christianorum Religionem propagaverint, aut infame hoc nomen portaverint, in carceres conjiciantur.

IV. Tota gens Lusitana, Matres, nutrices, eisque adhærentes exilio mulctentur, Amacoumum deportandi.

V. Quicumque literas ex regionibus exteris inferre, aut post exilium in Regnum reverti ausi fuerint, unacum tota familia sua omnibusque illis, qui pro ejus vita deprecari præsumperint, morte afficiantur.

VI. Nec Nobilis, nec miles quicquam ab extero emere permittatur &c. Datum anno Regni nostri decimo tertio Quanie decimæ nonæ in quinto Mense.

Pro-



Promulgato hoc edicto Hollandi, <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 ne pro Christianis habiti, jacturam sui <sup>A. C. 1640.</sup>  
 commercii facerent, nec orationibus  
 vacabant, nec Psalmos pro more suo  
 cantabant, omnibusque Christianæ Re-  
 ligionis actibus abstinebant; dum vero  
 eisdem Japones exprobrabant, quod  
 æque ac Lusitani in Christum Domi-  
 num crederent, se Hollandos, non  
 vero ejusdem Religionis cum Lusitanis  
 esse responderunt: (\*) quinimo, ut Chri-  
 stiani nominis hostes crederentur, proin-  
 ex aurifero hoc Regno non ejicerentur,  
 anno hujus sæculi trigesimo octavo ad  
 obsidendam Simabaram urbem, nec-  
 non ad trucidanda multa millia Chri-  
 stianorum, qui desperatione, ac tor-  
 mentorum metu ad hanc urbem con-  
 fugerant, Japonibus operam, vires &  
 arma junxerunt. Nondum tamen Lu-  
 sitani omnem commercii, Religionis-  
 que profitendæ spem abjecerant; quo-  
 circa hoc anno duos Oratores unacum  
 septuaginta tribus Nobilibus supplica-  
 tum ad Imperatorem ablegarunt: ve-  
 rum

(\*) Dum Michael Sandwortus, Hollandus,  
 facto naufragio cum suis sociis Nagasakium  
 venisset, a Japonum Inquisitoribus interro-  
 gatus, an Christianus esset, vel non? anda-  
 cter respondit: *quid Christiani, Christiani?  
 nos Hollandi sumus.*



Sæc. XVII. A. C. 1640. rum hi in Nagasakiensi portu in vincula coniecti, violato gentium jure, ex Imperatoris mandato capite plexi sunt, exceptis duodecim eorum famulis, quos, ut suis popularibus funestum hujus legationis successum enarrarent, Imperator Amacoum deduci, ac sacrilega temeritate Hispanis nuntiari jussit, quod si ipsemet Lusitanæ Rex, imo ipse etiam Christianorum Deus in Japoniam pedem inferre præsumeret, parem cum Lusitanis Oratoribus forem subiturus esset, Ita demum hoc anno omnibus Europæis perpetuum exilium, plusquam bis centies mille Catholicis acerbissima mors, simulque ultimum Religioni Christianæ exterminium in Japonia per Hollandorum invidiam, avaritiam, & infidelitatem fuit irrogatum: Eodem quoque anno Hollandiæ Ordines Philippum Rovenium Ultrajectinum Archiepiscopum patria exulare jusserunt.

§. CXXIX.

*Josua Placæi hæresis de Peccato originali.*

*Jäger. hist.  
Eccl. l. 9.  
cap. 5.*

**H**aud leves tumultus in Calviniana Synagoga excitavit Josua Placæus Salmuriensis Præco, dum hoc anno publicæ disputationi exposuerat Theses de



de statu hominis lapsi ante gratiam; in Sæc. XVII.  
 his enim de peccato originali agens, A. C. 1640.  
 illud negata imputatione primi peccati  
 Adæ, duntaxat in habituali, subiecta, *Apolog. in*  
 & inhærente corruptione constituit: *expl. Et de-*  
 Præterfluxerat integrum quinquen- *ens. decret.*  
 nium, quin Academiæ Senatus, aut *Carent.*  
 natalissimi Præcones, seu, ut vocant, *Bossuet. Hist.*  
 Presbyterium, vel ulla alia Synodus Pro- *var. tom. 2.*  
 vincialis, hujus doctrinæ foetorem pas- *p. mihi 284.*  
 sim diffusam subodorati fuissent: tan- *Aymon Syn-*  
 dem vero Antonius Garissolius, An- *nod. Nat.*  
 dreas Rivetus, Carolus Daubuz, alii- *t. 2. p. 680.*  
 que Prædicantes Galli & Hollandi tan- *Et 750.*  
 ta animorum contentione insurrexerunt,  
 ut ad componendam hanc controver-  
 siam Pseudo-Synodus Nationalis Ca-  
 rentonii in Galliis quinto post anno  
 fuerit convocata, in qua Placæi doctri-  
 na damnata est edito decreto sequenti:  
 „Cum relatum fuisset ad Synodum,  
 „Scripta quædam, alia typis evulgata,  
 „alia manu exarata prodiisse, quæ to-  
 „tam rationem peccati originalis sola  
 „corruptione hæreditaria in omnibus  
 „hominibus inhærente definiunt, &  
 „primi peccati Adæ imputationem ne-  
 „gant; damnavit Synodus doctrinam  
 „hujusmodi, quatenus peccati Origina-  
 „lis naturam ad corruptionem hæredi-  
 „tariam posterorum Adæ ita restringit,  
 „ut imputationem excludat primi illius  
*Hist. Eccles. Tom. LX.*      Ee      pec-



Sæc. XVII. „peccati, quo lapsus est Adam; adeo-  
 A. C. 1640. „que censuris omnibus subjiendos cen-  
 „suis Pastores, Professores, & quos-  
 „cunque alios, qui in hujus Quæstio-  
 „nis disceptatione a communi Senten-  
 „tia recesserint Ecclesiarum Protestan-  
 „tium, quæ omnes hactenus & corru-  
 „ptionem illam & imputationem hanc  
 „in omnes Adami posteros descendend-  
 „tem agnoverunt. Sed & illud eadem  
 „Synodus omnibus colloquiis & Syno-  
 „dis Provincialibus injungit, ut quos  
 „Theologiæ candidatos ad Sacrum Mi-  
 „nisterium evehendos curaverint, ii  
 „jubeantur huic decreto chirographum  
 „suum subscribere.,

Non modo hoc decretum, sed ipsa e-  
 tiam agendi ratio, quam Calviniana  
 hæc Pseudo-Synodus tenuit, variis  
 censuris mox perstringebatur, ac præ-  
 primis inter plures alios nævos vitio  
 vertebatur, quod hæc Synodus Natio-  
 nalis hanc doctrinam damnare sit ausa,  
 cum tamen in ipsis Calvinistarum Sy-  
 nodis immota lege cautum fuisset, ne  
 Synodus *Nationalis* doctrinales accula-  
 tiones in *Provincialibus* Synodis non-  
 dum examinatas admitteret; Præterea  
 hæc Synodus de partium studio, præ-  
 cipiti judicio, falsaque prudentia argue-  
 batur, eoquod Placæum nec citatum  
 nec auditum damnasset, totumque ne-  
 gotium



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

gotium tam arduum in unica expedi-  
viffet felfione, in qua Gariffolius capi-  
talis Placæi hoftis fimul Præfidis & ac-  
culatoris vices obibat: nec etiam de-  
fuere Prædicantes, qui hoc decretum  
tanquam novum, non neceffarium, ni-  
mis feftinanter, re haud fatis penfata  
Synodisque Provincialibus inconfultis  
editum, imo Verbo Dei minus confo-  
num rejecerunt: necnon ipfa Pseudo-  
Synodus Juliodunenfis poftea An. 1659.  
hoc ipfum decretum immutavit. Inde  
autem elucet, quam apta fint ad defi-  
niendos *fidei* articulos damnandosque  
errores Calvinianæ Synodi fuprema  
judicia, quibus falva Ecclefiæ commu-  
nitione, quivis pro fuo genio impune ac  
libere obluçtari potef: fic ut etiam Cal-  
viniftarum non pauci poft Carentonenfe  
decretum, imputationem primi peccati  
tanquam erroneam libere & impune  
damnarunt, & quamvis Genevenfes,  
quod *imputatio peccati Adami antecedit  
corruptionem*, anno hujus sæculi feptua-  
gefimo quinto tanquam novum articu-  
lum fuæ fidei decreto fub annum ejus-  
dem sæculi quadragesimum nonum ad-  
ditum definierint, eundemque ab om-  
nibus docentibus & difcentibus, nifi  
Minifterio omnique functione Ecclefi-  
ftica privari velint, fubfcribi petierint,  
nihilominus quidam Calviniani Præco-  
nes,

E e 2



Sæc. XVII. nes, atque inter eos præcipue Joannes  
 A. C. 1640. nes Claudius maximæ inter suos aucto-  
 ritatis Præco adversus hanc definitio-  
 nem acriter declamavit, eoquod non  
 esset permiffum adjungere Confessionibus no-  
 vos fidei articulos, cum non ageretur de  
 sola disciplina, quæ mutari posset, sed  
 de punctis doctrinæ ex natura sua immuta-  
 bilibus, proin ejusmodi fidei novæ fa-  
 bricatores seipsos Deum constituerent, &  
 unitatem scinderent cum Ecclesiis Galliæ,  
 Angliæ, Germaniæ, Poloniæ &c. Postea  
 idem Claudius de Genevensibus hæc  
 Papis graviter questus, quod hujus ar-  
 ticuli subscriptionem inaudita severitate  
 exegerint, atque etiam illos, qui alibi mi-  
 nistraturi, vocationis duntaxat recipiendæ  
 gratia Genevam venissent, imo & Pastro-  
 res dudum in Ministerio constitutos ad sub-  
 scribendum coegerint, tandem concludit:  
 hac ratione Genevenses damnant seipsos, ac si  
 hæctenus pacem injustam coluissent cum iis,  
 quibus bellum declarare oportuisset. Egre-  
 gia sane fidei unitas, puritas, ac Cal-  
 viniani Judicis supremi auctoritas! Ve-  
 rum Calvinistæ, juxta Juriei Magistri  
 sui edictum, Ecclesias suas Corpori Ec-  
 clesiæ Christianæ jamjam unitas credunt,  
 eo ipso, quod IN ALIQUIBUS dogma-  
 tibus conveniant, etsi inter se schismata ha-  
 beant usque ad nudatos acinaces.



## §. CXXX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1640.*Principum, aliorumque Illustrium  
obitus.*

Hoc item anno Amurates IV. Turca- *Sagredo*  
rum Imperator in medio victoria- *Mem. Iflor.*  
rum cursu, ætatis flore, summoque *l. 13. p. 731.*  
crudelitatis furore Constantinopoli subi-  
tanea morte interceptus est. Hic sub  
primis Regiminis sui auspiciis conti-  
nuos Janissarorum seditiones integro  
sanguinis diluvio restrinxerat, domitis-  
que Persis, ac trucidatis suorum quam-  
plurimis Christianum nomen extermi-  
nare paraverat: cum vero apud neo-ele-  
ctum Vizirium intemperantius veneri-  
tasset, seque vino & aqua viva ingurgi-  
tasset, ex crapula die octava Februarii  
periit. Successit eidem Frater suus  
Ibraimus annos natus duodetriginta,  
qui solus ex tribus Fratribus suis, quos  
Amurathes hoc adhuc anno, ut totam  
sarpem Ottomanicam excinderet, stran-  
gulari iussit, non quidem carcerem,  
truculentas tamen fratris sui manus e-  
valerat, eo quod illum mente captum,  
ac conjugii impotentem credidisset.  
Obiit eodem ferme tempore Schah-  
Sophi Persarum Rex duobus relictis  
Filiis, alio septenni, qui Patri successit,  
altero quadrimo. Mors ejus tam læta

Ee 3

Tur-



**Sæc. XVII.** Turcis, quam Persis luctuosa exstitit; **A. C. 1640.** animi enim fortitudine, bellique experientia parem Persæ cernere desperabant. Magis adhuc funestus fluxerat Bavaris idem annus; postquam enim die decima septima Aprilis annuente summo Pontifice, & suffragantibus cunctis Canonicis Albertus Sigismundus Bavarix Dux ac Maximiliani Electoris Nepos in Frisingensem Coadjutorem electus fuerat, in medio gestientis lætitiæ cursu mox successit ingens luctus non modo ex periculoso Maximiliani morbo, sed præcipue ex nimis præmaturo funere Caroli item Bavarix Ducis, Alberti Fratris natu majoris, qui die vigesima Maij Monachii vivere desinit. Erat is optimæ spei Princeps, totque virtutibus insignis, ut dubium relinqueret, an natalium splendorem probitas, vel natales probitatem magis exornarint. Præterea die vigesima prima Novembris anno ætatis suæ quadragesimo quinto apud Regio-montem in Borussia decessit Georgius Guilielmus Elector Brandenburgicus, qui successorem habuit Filium suum Fridericum Guilielmum.



Sæc. XVII.  
A.C. 1640.

## §. CXXXI.

*Varie Urbani VIII. Pontificis Maximi Constitutiones.*

Inter varias Constitutiones, quas Urbanus VIII. Papa hoc anno edidit, præcipuæ sunt sequentes: statuit primo die octava Februarii, quod Fratres Minores Conventuales, cum vere Mendicantes sint, ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus prohiberi nequeant, quominus per se ipsos in locis, ubi Conventus habent, eleemosynas quærant. Quoniam vero quidam Religiosi ex Congregatione Scholarum piarum contra suam professionem eo obtentu reclamarint, quod norma a præfatæ Congregationis Constitutionibus præscripta non fuerit observata, hinc Papa die vigesima secunda Octobris declaravit, ejusmodi Religiosos non esse audiendos, maxime post quinquennium, ac insuper omnes Religiosos reclamantes, qui Professionem ante vigesimum primum annum emisissent, veros esse Clericos. Die autem decima tertia Martii idem Pontifex vetuit, ne nova loca sub titulo *de Propaganda fide* imposterum ubique temere, & inconsulta Sede Apostolica erigerentur. Præterea die vigesima tertia Augusti electionem

E e 4

S. Do-



Sæc. XVII. S. Dominici in civitatis Regnique Neapolitani Patronum confirmabat, ratamque habebat declarationem Constitutionis Clementis VIII. Papæ de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta.

## §. CXXXII.

*Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.*

*Decis. Rot.  
S. Congr.  
Ind. Episc.  
& rit.*

**M**otis subinde variis dubiis circa Ecclesiæ ritus vel Sacramentorum administrationem Sacræ Congregationes Romanæ varias etiam edidere decisiones, & primo quidem die vigesima Aprilis declaratum, quod absolutio concessa cum conditione, *refectis expensis*, impediri non valeat illarum obtentu, si de expensis non constat: ejusdem vero Mensis die vigesima octava S. Rituum Congregatio rursus decedit, quod Regularibus non liceat instituere supplicationes extra claustra, vel publice Sacramentum sine expressa Ordinarîi licentia exponere. Sacra autem Concilii Congregatio die vigesima sexta Maij declaravit, quod Episcopi etiam inconsultis Superioribus possint visitare Monialium Monasteria Regularibus subiecta, etiam assumpto Vicario Generali, & Confessario earundem Monialium.



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

lium. Die autem decima septima Augusti Congregatio Episcoporum decrevit, quod Prælati nullius Diæcesis, & Vicarius Apostolicus, si non sint Episcopi consecrati, advocare debeant Episcopum vicinum pro administrando Confirmationis Sacramento: Declaravit quoque die decima Julii Sacra Congregatio, quod Commissarius Nuntii Apostolici a censuris absolvere nequeat: moto autem dubio, an illi, qui in privatis Episcoporum Oratoriis Sacrificio Missæ interfunt, etsi sint extranei, quando in eis Episcopi celebrant, Ecclesiæ præcepto satisfaciant? Sacra Concilii Congregatio die vigesima secunda Septembris affirmando respondit. Insuper Sacra Rituum Congregatio die sexta Octobris præcepit, ut solemnes functiones, quas per seipsum, si præsens esset, Episcopus obiret, eo absente vel impedito, prima dignitas, quocunque demum nomine appelletur, obeat. Denique trigesima ejusdem Mensis die Episcoporum & Regularium Congregatio decidit, quod Episcopus Curato inhibere nequeat, ne administret Viaticum infirmis sine sua licentia.

§. CXXXIII.

*Pretiosa mors S. Petri Forerii.*

E e 5

Haud



Sec. XVII.  
A.C. 1640.

*Bedel. vita  
Petr. Forer.  
Heliot. Hist.  
des Ord.  
Reg. tom. 2.  
pag. 419.  
Calmet Hist.  
de Lorraine.  
tom. 3. l. 33.  
pag 150.*

Haud immerito inter Viros sanctitate ac Religionis studio conspicuos præcipuum sibi locum vendicat Petrus Forerius, qui Mirecurizæ in Lotharinga die trigesima Novembris anno prioris sæculi sexagesimo quinto potius cælo, quam mundo natus videbatur, quippe ab ipso ortus sui momento indolem ad virtutum exercitia docilem exhibuit, Numenque neque puer vel leviter irritare, neque adolescens in vindictam provocare ausus est, demum latino, græcoque idiomate in Academia Mulsipontana instructus, tanta morum gravitate eminuit, ut ejus Magistri obstupescerent, in hoc parvulo Tobias nil puerilis levitatis reperiri. Numerabat annos ætatis viginti, quando emenso Philosophiæ stadio in Abbatia Chamousey appellata, Canonicorum Regularium Ordini sese associabat, & Mulsipontum reversus, maximo cum profectu Theologiæ operam navabat. Nec tamen deerant Petro graves admodum vexationes virtutum pedissequæ; tres enim moribus depravati juvenes, cum vitia sua virtutum ejus splendore perstringi dolerent, contumeliis, cavillationibus, ac subinde verberibus immixtoque leguminibus veneno, atque omnis generis injuriis Petrum afficere certabant, quibus tamen omnibus ferrea



Sæc. XVII.  
A. C. 1640.

rea patientia superatis, tandem Petrus trigelimo ætatis anno Matincuriensem Parochiam adeptus est, ubi ardentissimo animarum Zelo gregem suum Divini Verbi pabulo indefesse reficiens, cum mentes pertinaciter invitas nonnulli difficulter nudis verbis molliri cognosceret, pietatis exempla superaddidit, sermone & opere potens: Nonnumquam tamen Apostolicis suis laboribus optatam messem respondere cernebat, eoquod non pauci provectoris ætatis juvenes non modo nihil ab ebrietate, lasciviæque consuetudine remitterent, sed insuper ad eadem prave facta a parentum exemplo ac sermone pueri puellæque incitarentur; semper enim promptis in deteriora lapsibus lubrica inventus trahitur, quoties nefarium a Senioribus magisterium adipiscitur: hinc Petrus, ut huic malo remedium opponeret, pueritiæ e cunis egressæ curam in se suscipere, eamque a peccato ab lactare, cordiumque teneritudini virtutis amorem, ac vitii horrorem instillare statuit. Eo consilio Congregationem Marianam seu *Notre Dame* erexit, cui statim nonnullæ Virgines mundi fastidio, & Petri monitis pellectæ nomen dederunt, quæ ad puellas in Dei amore & timore, necnon disciplinis flexus sui accommodis instituendas sese voti



Sæc. XVII voti Religione obstrinxerant, ipso Ca-  
A. C. 1640. rolo de Lotharingia Cardinale Legato  
 die octava Decembris anno hujus sæ-  
 culi tertio, ac demum Paulo V. Papa  
 septimo post anno hoc institutum appro-  
 bantibus: Parem quoque Congregationem  
 pro puerorum institutione crexerat  
 Petrus, simulque Congregationem  
 Canonicorum Regularium Salvatoris  
 nostri primo in Lunevillana Abbatia ad  
 S. Remigium die secunda Februarii anno  
 hujus sæculi vigesimo tertio ad  
 pristinam Sanctimoniam revocavit. No-  
 vam hanc Congregationem anno se-  
 quenti Urbanus VIII. Papa confirmavit,  
 quæ etiam postea plurimum aucta in  
 hanc usque diem pietate ac doctrina  
 celebratur. Bello autem Lotharingiæ  
 Ducatum devastante, cum Matincuriense  
 oppidum ab hostibus invaderetur,  
 Forrerius inde profugere compulsus,  
 Grajacum Burgundiæ Comitatus  
 urbem contendit, ubi senex parvulis  
 literaria elementa, & Catholicæ fidei  
 præcepta tradebat, reliquum vero tem-  
 pus divinarum rerum commentationi-  
 bus, necnon elaborandis Religiosarum  
 Constitutionibus impendit: tandem ve-  
 ro die duodecima Octobris febris correptus,  
 die nona Decembris anno ætatis  
 suæ septuagesimo sexto mortis suæ  
 præsciis inter suavissima cum Deo colloquia



loquia placidissime animam Deo reddi- Sæc. XVII.  
dit. Publicæ luci dare constituerat li- A. C. 1640.  
brum de Praxi Parochorum, quod o-  
pus a manu adeo probata elaboratum  
apud omnes maximum invenisset ap-  
plausum, si completum fuisset relictum.  
Relatus est Petrus a Benedicto XIII. in  
Beatorum numerum die decima Januarii  
Anno Christi millesimo septingentesimo  
trigesimo, solemnia vero Beatificatio-  
nis Romæ idem Pontifex ad vigesimam  
nonam Januarii ejusdem Mensis in-  
dixerat.

## §. CXXXIV.

*Scriptores Ecclesiastici hoc anno de-  
functi.*

Nec hoc anno invida mors Viris do- Miræus  
ctrina conspicuis pepercit; plures Script. Sæ-  
enim non sine Ecclesiæ, ac literariæ cul. XVII.  
Reipublicæ damno nimis præmaturo Alegambe  
fato abrepti sunt, quos inter primus Bibl. Script.  
occurrit Stanislaus Lubienskius Epi- S. J.  
scopus primo Lucæorientis, postea Plo-  
censis, qui Religionis Cætholicæ pro-  
pugnator acerrimus, eloquentiæ vi, re-  
rumque gerendarum dexteritate tam  
Ecclesiæ quam Poloniæ Regno utilissi-  
ma præstitit obsequia. Ex ejusdem  
posthumis operibus Antverpiæ editis  
celebrantur ejus monita de recte ge-  
rendo



**Sæc. XVII.** **A. C. 1640.** rendo Episcopatu, discursus de rebus Silesiacis, responsio ad septuaginta rationes, quibus ficti nominis Eques Regem & Polonos ad Bohemicos motus concitare nitebatur: Exstant quoque illius libri quatuor de motu civili in Polonia, necnon narratio de bello Turcico apud Chocimum gesto ad Gregorium XV. & Ferdinandum II. Cæsarem missa, præter querelam ob militare sædus anno hujus sæculi vigesimo secundo initum: Scripsit plura alia, ac præcipue responsum ad Procerum protestationem contra Statum Ecclesiasticum. II. Andreas du Chene seu alio nomine Quercetanus natione Gallus, & Historiographus Regius, qui incomparabili prorsus industria, vastissima Scriptura, eousque ignotorum ac delitelcentium volumina in apricum felicissime produxit; editis quinque Scriptorum Gallicorum tomis, quorum tres postremos ejusdem Filius Franciscus ad posthumam lucem promovit. Collegit præterea Scriptores rerum Normanicarum, atque omnia opera B. Alcuini seu Albini Flacci: commendatur quoque ejus Historia Pontificum a B. Petro usque ad Innocentium IX. necnon Bibliotheca Authorum, qui Historiam & Topographiam Franciæ conscripserunt. Edidit insuper Historiam Hispaniæ, Angliæ &c. & li



& librum de Antiquitatibus urbium Franciæ, præter novam editionem Chronici Prosperi ex antiquissimo & genuino exemplari jam circa annum sexcentiesimum trigiesimum secundum exarato, atque a recentioribus editionibus longe diversissimo concinnatam. III. Felicianus de Vega Mexicanus Archipræsul edidit relectiones Canonicas, tractatum de censuris, pluraque alia. IV. Josephus Balcus Bariensis Canonicus, qui tractatus de sæcunditate Dei, de transsubstantione, & de motu corporis naturalis posteritati reliquit. V. Facundus de Torres Ord. S. Benedicti Insulæ S. Dominici Archipræsul scripsit Philosophiam moralem Ecclesiasticorum. VI. Georgius de Connei Pontificius ad Mariam Henrieta Angliæ Reginam Legatus edidit vitam Mariæ Stuartæ, demonstrationem Religionis, tractatus de institutione Principis, & de duplici statu Religionis apud Scotos præter plura alia. VII. Joannes Antonius Reitanus scripsit de adventu D. Pauli Messinam, & de Bacilo eis ab eodem Apostolo in Episcopum dato. VIII. Alphonfus Vagnonius Jesuita edidit tractatus de incarnatione & Passione Christi, de optima Regni administratione, de quatuor novissimis, de vitis Sanctorum, & de Philosophia morali.

IX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1642.



**Sæc. XVII. IX.** Stephanus Luzvicus ex eadem Societate vulgavit libros, quibus titulus:

**A. C. 1640.** *Fel pœnitentiæ & colloquium Divini amoris, cor devotum, Jesu Christi Regnum, & pacifici Salomonis thronus.* X. Dositheus ab Angelis Carmelita Excalceatus Concionator egregius scripsit commentaria in Apocalypsin, & in cantica canticorum, præter renovatæ urbis & Templi ab Ezechiele delineati allegoricam & moralem descriptionem. XI. Elias a S. Theresia ex eodem Ordine edidit legationem Ecclesiæ triumphantis ad militantem pro liberandis animabus in Purgatorio, necnon Palatium spirituale Beguinariorum, & epigrammata de Viris illustribus Ord. Præmonstrat. Lovanii Typis Joannis Masii 1615. excusa, præter Vitas S. Theresiæ & V. Annæ a S. Bartholomæo. XII. Didacus de Cea Franciscanus elucubravit Archilogiam Petri & Pauli, & Thesaurum terræ sanctæ.

§. CXXXV.

*Protestantium Scriptorum obitus.*

*Freher  
Theatr.  
Erud. p. I.  
sect. 3.*

**P**aucos ex Scriptoribus A catholicis hoc anno denatis subjungere lubet, quos inter primus Joannes Polyander edidit Concertationes Antifocinianas, Syntagma exercitationum Theologicarum,



rum, tractatum de existentia essentiali Sæc. XVII.  
 Jesu Christi, disputationem adversus A.C. 1640.  
 invocationem Sanctorum, & S. Reli-  
 quias, Harmoniam locorum S. Scri-  
 pturæ, de Theologiæ revelatæ præ-  
 stantia, pluraque alia. II. Joannes  
 Boilius Anglus scripsit notas in Chry-  
 sostomum, collationem in quatuor  
 Evangelia & acta. III. Andreas Mer-  
 ckius scripsit contra Weigeli deliria.  
 IV. Thomas Jacksonius publici juris  
 fecit commentaria in Symbolum Apo-  
 stolorum, & Pentateuchum, necnon  
 tractatum de Providentia Dei & crea-  
 tione. V. Joannes Ballas edidit tra-  
 ctatus de testamento gratiæ, de fide,  
 de pietatis virtute, catechismum, &  
 formam Ecclesiæ novam in Anglia ad  
 examen revocatam. VI. Mathias Ber-  
 neggerus scripsit idolum Lauretanum,  
 tubam pacis Anti-Scioppianam, tra-  
 ctatum de Scripturæ testimoniis in con-  
 clusionibus mere naturalibus non usur-  
 pandis, & speculum boni Principis.  
 VII. Balthasar Gualterus vulgavit Dia-  
 tribam de Constantini baptismo, &  
 donatione contra Baronium, proble-  
 mata Hebraica, Chaldaica, Syriaca &  
 Græca, tractatum de Papæ Primatu  
 & Antichristo, præter Lutherum vin-  
 dicatum. VIII. Joannes Meelfürer  
 scripsit postillam Davidicam, vindicias  
*Hist. Eccles. Tom. LX.* Ff Evan-

*Fréher  
 Theatr. E-  
 rud. part. I.  
 sect. 3.*



Sæc. XVII. Evangelicas, unacum auctuario, vindicias Apostolicas, & commentaria in epistolam D. Pauli ad Philippenfes. IX. Joannes Davenantius typis vulgavit prælectiones de supremo Judice, & de justitia habituali, præter libros de sponsalibus & matrimonio.

## §. CXXXVI.

*Synodi Audomarenfis Statuta.*

*Hartzh.  
Concil. Ger-  
man. t. 10.*

Hoc item anno Christophorus de France Audomarenfis Episcopus Synodum celebrabat, in qua præter ea, quæ jam in alio Concilio Diœcesano ibidem ante quinquaginta septem annos celebrato decreta fuerant, præcipue statutum est, ut Sacerdos non nisi tecto capite sacramentalem absolutionem impertiretur, nec Parochus Eremitas in sua Parochia toleret sine Episcopi licentia. Hortabatur insuper Synodus, ut populus singulis Mensibus ad S. Synaxin accedat, & Ludimagistri bis in hebdomada pueros circa cantum Gregorianum, & modum Sacerdotibus in Altari inserviendi instituant.

